


INTEGRITAS
CONCORDIA
INDUSTRIA
LIONEL
WALTER
ROTHSCHILD
1886


251 D


BRITISH MUSEUM
TRING
NATURAL HISTORY


BRIT. MUS. (N.H.)
ENTOMOLOGY

SYNONYMIA INSECTORUM.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

TOMUS PRIMUS. — PARS PRIMA.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Viâ du Pont-de-Lodi, n° 6.

GENERA ET SPECIES
CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A Dom. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN,
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS PRIMUS. — PARS PRIMA.

PARISIIS,

Apud RORET, via HAUTEFEUILLE, N° 10 bis.

1833.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS ET CELEBERRIMIS

DOMINIS

COMITI DEJEAN,

E REGNI GALLIÆ PATRIBUS, GENERALIS LOCUM TENENTI, COMMENDATORI, ETC., ETC.

P. A. LATREILLE,

REGIÆ SOC. GALLIÆ, LEGIONIS HONORARIÆ MEMBRO, ETC., ETC.

LEONARDO GYLLENHAL,

EXCUB. PRÆF. ET EQU. ORDINIS DE WASA, ETC., ETC.

ET

E. F. GERMAR,

PHIL. DOCTORI, MINERAL. PROFESSORI, ETC., ETC.

ENTOMOLOGIS NOSTRI ÆVI INCLYTISSIMIS,

HAS PLAGULAS

SIGNUM VENERATIONIS

OFFERT

AUCTOR.

Hoc ausculta, sta et Dei contemplare miracula.

Job, Cap. XXXVII. xiv.

LECTORI.

Post editam operis mei *Synonymiæ Insectorum* sectionem tertiam plus quam decennium jam præteriit. Longioris hujus moræ complures fuere causæ, et hæc potissima, quod præ incrementis scientiæ Entomologicæ hodiernis, ipsam operis dispositionem in partibus quibusdam præcipuis immutandam censui; quæ vero res plus poposcit temporis, quam quod studiis dilectissimis tribuere mihi licuit. Hac etiam mente in opere hocce edendo serior quam ocior fui, non solum ut numerum, quantum fieri posset, maximum generum novorum et specierum huc pertinentium colligere, sed etiam consilia et monita rem ipsam illustrantia reportare quam plurima mihi contingeret.

Synonymiam nudam, qualem priores operis partes exhibent, heic sistere adjunctis quibusdam novarum specierum descriptionibus, haud visum est convenire familiæ *Curculionidum* numerosæ, quæ ab auctoribus priscis vix leviter tacta, tanto majore diligentia recentioribus hisce temporibus tractata est. Vetus igitur systema totum denuo quasi elaborandum fuit; cujus quoque laboris specimen in opere: *Curculionidum dispositione methodica*, septem abhinc annis a me edito, exponere ausus sum. Hoc autem specimen familiam Coleopterorum fere maximam systematice disponendi quin multis laboraret mendis, fieri non potuit. Celeberr. Latreille, entomologorum nostri temporis omnium princeps, in *Dictionnaire Classique d'histoire naturelle, art. Rhynchophores*, librum hunc meum recensens, plura hæc menda exhibuit, propositis simul rationibus, quibus familia eadem ipsi tractanda videtur. Me quidem omnia, quæ vir hicce doctissimus ad rem illustrandam exposuit, maximi æstimare, hoc jam ostendit opus, ad rationes illius haud raro accommodatum; in nonnullis tamen non potui, quin ab illo dissentirem.

Haud sane omnino approbanda mihi videtur dispositio illa artificialis, qua familiam *Curculionidum* duos in ordines, *Orthocerorum et Gonatocerorum*, divisi, cum hæc dispositio divisioni, quæ dicitur, naturali, aliis similitudinibus et affinitatibus quam antennarum innixæ, interdum minus apte congruat. Cum autem Domino hujus Universi non placuerit, per limites abruptos vel nostræ saltem perceptioni satis apertos, certas quasi lineas distinctivas ducere, nec faciat natura saltus, sed continuo eatur per gradus, et hæ series non solum extensione progrediantur directa, sed etiam diradientur ad latera, aliisque seriebus ita quodammodo adnectantur, ut totum modo quasi retis sit connexum, nemini tamen nisi Artifici ipsi, Deo. rite conspicuum; putaverim sane, systema non omnino male cohærens artificiale, dum melius exspectatur, potius esse admitttendum, ut saltem certo quodam ordine quasi gregatim genera disponantur, quam ut sine regulis et nexu immensi hujus agminis individua promiscue congererentur.

Præcipua, quam feci, systematis immutatio in eo versata est,

quod ab *Orthoceris* ad *Gonatoceros* ea transmisi genera, quorum in rostris cernitur vestigium scrobis, scapo recipiendo aptæ, quorumque scapus longior est et in apice ad juncturam funiculi plus minusve fractus vel mobilis. Erroris cavendi causa denominationem *subgeneris* rejiciendam quoque putavi, ejusque in locum, ad designandas majores subdivisiones generis cujusdam, nomen *Gregis* substitui.

In Introductione ad *Curculionidum disposit. methodicam*, p. VI et VII, necnon in nota p. 27, exponere jam conatus sum causas, cur ego, æque ac Comes Illustr. Dejean, huic familiæ denominationem *Curculionidum* reservandam putaverim, licet nomen *Rhynchophoridum* eidem imposuerit celeberr. Latreille. Cum tamen hoc nomen præferendum adhuc censeat vir hicce doctissimus, ea, quæ loco citato attuli, denuo heic breviter repetere mihi liceat. Vocabulum *Curculio* nomen est vetus probatum Romanum; idem ut nomen genericum adhibuit immortalis noster Linné, et generi huic omnes hujus familiæ species ipsi notas adnumeravit, paucis modo exceptis; clariss. Herbst jam anno MDCCXCV aliud genus nomine *Rhynchophori* insignivit, quo tamen rejecto, domini Clairville, Fabricius et alii generi eidem nomen dederunt *Calandra*.

Lex, quam in opere meo antea citato mihi præscripsi, ut generibus omnibus, saltem novis, masculina adderem nomina, cur desereretur, adhuc deesse videntur rationes satis idoneæ. Cum tota familia nomen gerat masculinum, generi quoque idem summo jure vindicandum mihi videtur. Accidit haud raro, ut ab uno genere ad alterum transferatur species. Si vero species hæc a genere masculino ad femininum demigraret, nomen quoque specificum quandam immutationem subeat, necesse est; quod tamen variam statim efficeret confusionem, Museis novas subinde imponeret rubricas, etc. Ab antiquissimis inde temporibus *Curculio* appellatus est ex. gr. *nebulosus*, *albidus*, et s. p. minusque igitur aptum mihi videtur, si, nulla admodum urgente necessitate, terminatio nominis specifica immutaretur, et scriberetur *Cleonis nebulosa*, *albida* et s. p. Rationem permutati generis *Calandra* jam supra declaravi. Si hanc solam ob causam, quod auctores nonnulli certis quibusdam generibus nomina feminina tribuerunt, nunc pro vocabulo *Cleonus* exciperetur *Cleonis*, *Sibinia* pro *Sibynes*, *Baris* pro *Baridius*, *Ameris* pro *Amerhinus*, etc., inconstantiæ reus essem, eo quoque magis, quod opus meum prius publico, ut opinor, majori jam nonnihil innotuit.

Vitio mihi datum est, quod nomina nonnulla generica alio quam vulgari modo scripsi, ex. gr. *Brenthus*, vulg. *Brentus*; cum vero vocabulum græcum Βρενθος non τ habeat, sed θ, litteram *th* heic rectissime adhibitam crediderim. Omnia, quæ possunt, corrigenda sunt vitia; quod autem, cum familia quædam tota quasi denuo describitur et pertractatur, aptissime fieri videtur.

Nomina quædam generica, ab auctoribus nonnullis recentioribus celeberrimis vel data vel probata, ut *Tubicenus*, *Bulbifer* abjicere ausus sum, eorumque in locum reponere nomina *Auletes*, *Dryophthorus*, et s. p. eam ob causam, quod illæ denominationes, contra morem jam diu receptum, originis græcæ non fuerunt. Ita

quoque nomina quædam, ut *Cleopus*, *Phalidura*, etc., non retinui sed alia substitui, hac adductus ratione, quod certum mihi non fuit, nomina illa generica eas revera continere species, quas generibus *Gymnætron*, *Amycterus* proprie adnumeravi, præsertim cum nulla species ut typus genericus fuit proposita, nec raro observavi, alias etiam species, vere diversas, talia sub genera esse congestas.

In nominibus formandis specificis, illam semper secutus sum regulam, ut nomen antiquissimum, sub quo descripta fuit species, potissime retinerem. Nomen enim tale non nisi inscitia, vel casu quodam et usu deinde recepto omissum est. Hoc tamen abjecto denominationi in Museis frequentiori præcipue adhærere, haud satis probandum mihi videtur.

Opus generosiss. Comitis Dejean *Catalogue des Coléoptères*, artis lucisque plenum, suoque in genere eadem, qua cetera Illustriss. Auctoris scripta, laude ornandum, sæpissime citavi, quoties illum sub hoc vel illo nomine, nullas licet diagnoses et descriptiones exhibuerit, individuum idem quod ego respexisse, certo intellexi; omnes vero, etiam quam maxime vulgares, ibi allatas species, nulla simul exposita Synonymia, citare a re alienum, hujusque voluminis prolixitatem nimium adaugere, mihi est visum.

Nonnullas Curculionidum species, ab auctoribus recentioribus jam expositas, heic denuo vel totas descripsi vel eisdem novas addidi diagnoses! Sæpissime hoc ideo factum est, quod ad species jam explicatas accesserunt novæ, his affines; unde characteres antea minus essentiales habitos jam excipere necessarium duxi.

Felicissime mihi contigit, ut in hoc opere perficiendo socios et adjutores habuerim Dom. GYLLENHAL, Summ. Excub. Præfect. Equit. Ord. Wasiaei, et Dom. BOHEMAN, Subcent. Horum priori, veteri meo, venerabili et intime dilecto amico quantum debeam et quam grato hoc agnoscam pectore, verbis exprimere nequeo. Laudes illius litterariæ, longe lateque notæ, meo non egent præconio; magna vero, quæ illi debetur, pars hujus operis eidem sine dubio, quod alias desideraret, pretium tribuet. Ut descriptiones specierum et diagnoses, quæ meritissimum hunc Entomologum agnoscunt auctorem, propius significarem, his subscripsi signaturam *Ghl.*— Dom. Boheman, quanto favore et auxilio huic operi adfuerit, indicat signatura *Bhn.*, descriptionibus illius accuratissimis subnotata; nec volui nec debui hanc prætermittere occasionem, quin amico æstimatissimo animum benevolentiæ memorem testarer. Qui, quo calet litterarum ardentissimo amore, quo gaudet ingenio acutissimo scientiæ Entomologicæ in posterum quoque, procul dubio, maximum addet emolumentum.

Plures etiam, quibus opus hocce ornatur, descriptiones acceptas refero Dom. Prof. GERMAR (Halæ), Dom. Comiti et Equiti MANNERHEIM (Petropoli), Dom. GEBLER Consil. Aul. et Equit. (Barnaulæ, in Sibiria), qui viri hoc meum conamen liberalissime sublevarunt, quibusque summas et sincerissimas, oportet, agam habeamque gratias.

Gratissima quoque mente agnoscam benevolentiam et liberalitatem plane egregiam, quam longa annorum serie mihi præstitit, atque doctissima quæ, ex indefesso scientiæ nostræ amore, mihi im-

pertivit consilia Generosiss. Comes DEJEAN (e Regni Galliæ Patribus), singularis hujus favoris documentum habeo maximum, quod æstimatissima illius opera conductorem hujus operis publicandi nactus sum; id quod alias haud speraverim.

Restat adhuc ob alia, quæ operi huic quam maxime profuerunt, officia publicas persolvere gratias. Amicus mihi carissimus, Generosiss. Com. MANNERHEIM, pro eximio in me favore, non solum omnium e Museo suo haud exiguo Curculionum pertractandorum mihi copiam fecit, sed etiam plurima, quibus ipse carui, individua mihi liberalissime donavit. Eadem benevolentia et liberalitate me affecit Dom. STEVEN Consil. Stat. et Equ. (Sympheropoli). Ita quoque Dom. Prof. GERMAR, Dom. SCHUPPEL (Berolini), Dom. CHEVROLAT (Parisiis), Dom. DE HAAN (Lugduni Batav.), Dom. FALDERMANN (Petropoli), Dom. GEBLER (Sibiriæ), Dom. HOPE (Londini), Dom. Prof. KUNZE (Lipsiæ), Dom. THOMAS SAY (in Indiana, Amer. sept.), Dom. DE WINTHEM (Hamburgi), Dom. DUPONT junior (Parisiis) aliique studio quasi æmulo summoque favore res plurimas raras mihi communicarunt, et hoc modo operam meam haud parum adjuverunt.

Tres reliquæ operis partes quam citissime, spero, modo valetudo bona et occasio faveat secunda, in publicum prodibunt. In his enim nihil fere restat, nisi ut, generibus, quæ sequantur, examini aliquantulum accuratiori subjectis, autographum meum denuo exscribatur. Parum abest quin bis mille descriptiones specierum novarum huic operi paratas et absolutas jamjam habeam.

Sparresœter prope Scaram d. I Majus MDCCCXXXIII.

LIBRI
IN SYNONYMIA INSECTORUM CITATI,
ET
ABBREVIATIONUM EXPLICATIO.
(CONTINUATIO.)

Beck, Beitr.—Beiträge zur Baierischen Insektenfaune, oder Beschreibung und Abbildung neuentdeckter Kæfer, etc.—Augsburg, 1817.—8°.

Billb. Enum. Ins.—Enumeratio Insectorum in Museo Gust. Joh. Billberg.—Holmiæ, 1820.—4°.

Bonsd. Curc. Suec.—Historia Naturalis Curculionum Sueciæ.—Auctore Gabr. Bonsdorff. Upsaliæ, 1785.—Dissert.

Clairv. Ent. Helv.—Entomologie Helvétique ou Catalogue des Insectes de la Suisse, rangés d'après une nouvelle méthode, avec descriptions et figures. Zurich. (Vol. I. 1798, II. 1806.—8°.)

Cuvier, Règne Anim.—Le Règne Animal, distribué d'après son organisation, par M. le Chevalier Cuvier, avec figures, dessinées d'après nature.—Tome III. Paris, 1817. — 8°.

Dalm. Anal. Ent.—Analecta Entomologica. Auctore Joh. Wilh. Dalman. Cum Tabulis IV æneis. Holmiæ, 1823.—4°.

Dalm. Ephem. Ent.—J. W. Dalman, Ephemerides Entomologiæ.—Holmiæ, 1824.—8°.

Dej. Catal. Col.—Catalogue de la collection de Coléoptères de M. le Baron Dejean.—Paris, 1821.—8°.

Drapiez, Ann. d. Sciences phys.—Annales générales des Sciences Physiques.—Bruxelles, 1820.—8°.

Fisch. Ent. Ross.—Entomographia Imperii Rossici. Auctore Gotthelf Fischer, Waldheimensi. Cum Tabulis æneis. Mosquæ, 1820—1824.—4°.

Fisch. Lettre de Pander.—Lettre au D. C. H. Pander par G. Fischer de Waldheim : contenant une notice sur un nouveau genre d'Oiseau et sur plusieurs nouveaux Insectes.—Moscou, 1821—8°.

Germ. Fn. In. Eur. – Fauna Insectorum Europæ cura E. F. Germar.—Halæ. 12° (Ahren. Faun. Ins. Eur. contin.)

Germ. Ins. Spec.—Insectorum species novæ aut minus cognitæ, descriptionibus illustratæ. Auctore E. F. Germar. Volumen Primum Coleoptera. Cum Tab. æneis II.—Halæ, 1824.—8°.

Germ. Iter.—Reise nach Dalmatien und in das Gebiet von Ragusa von Ernst F. Germar. Mit 9 illum. Kupfern. Leipzig und Altenburg, 1817.—8°.

Humm. Essais Ent.—Essais Entomologiques publiés par David Hummel.—Saint-Pétersbourg, 1821—1829.—8°.

Kalm Iter Amer. Sept.—En Resa till norra America af Pehr Kalm. —Stockholm, 1753—1761. — 8°.

Latr. Consid. génér.—Considérations générales sur l'ordre naturel des Animaux composant les classes des Crustacés, des Arachnides et des Insectes. Par P. A. Latreille.—Paris, 1810. — 8°.

Latr. in Dict. Class. d'hist. nat.—

Latr. Fam. du Règne Anim.—Familles naturelles du Règne Animal, par M. Latreille. Paris, 1825.—8°.

Oken, Naturg.—Okens Lehrbuch der Naturgeschichte. Dritter Theil Zoologie. Mit 40 Kupfertafeln.—Jena, 1815. — 8°.

Payk. Mon. Curc.—Monographia Curculionum Sueciæ a Gustavo de Paykull. Upsaliæ, 1792. — 8°.

Reich Mant. Ins.—Mantissæ Insectorum iconibus illustratæ species novas aut nondum depictas exhibentis Fasc. I. Auctore Godofredo Christiano Reich. Norimbergæ, 1797. — 8°.

Sahlb. Spec. Ins.—Periculum Entomographicum, Species Insectorum nondum descriptas proponens. Auct. Carolo Reginaldo Sahlberg. Cum Tabulis æneis.—Aboæ, 1823. — 8°.

Say in Journ. Acad. Nat. Sc. Philad.—Journal of the Academy of Natural Sciences of Philadelphia. Vol. III.

Schh. Curc. disp. meth.—Curculionidum dispositio methodica cum

generum characteribus, descriptionibus atque observationibus variis, seu Prodromus ad Synonymiæ Insectorum Partem IV. Auctore C. J. Schoenherr.—Lipsiæ, 1826. — 8°.

Sturm Ins. Cat.—Catalog meiner Insecten-Sammlung, von Jacob Sturm. Erster Theil. Kæfer. Mit 4 ausgemalter Kupfertafeln. — Nurenberg, 1826. — 8°.

Thon, Ent. Arch.—Entomologisches Archiv. Herausgegeben von D. Theodor Thon. Mit Kupfertafeln.—Jena, 1827.—4°.

Wetterauisch. N. Annal.—Neue Annalen der Wetterauischen Gesellschaft für die gesammte Naturkunde. Erster Band. Frankfurt am Main, 1819.—4°.

Wied. Zool. Mag.—Zoologisches Magazin. Herausgegeben von D. C. R. W. Wiedemann. Mit Kupfertafeln. Kiel, 1817—1823. — 8°.

Zetterst. Fn. Ins. Lapp.—Fauna Insectorum Lapponica. Auctore J. W. Zetterstedt. Pars prima. Hammone, 1828. — 8°.

TABULA SYNOPTICA (1)

FAMILIÆ

CURCULIONIDUM.

Tarsi quadri-articulati. — Caput plus minusve rostratum; os apicale; mandibulæ sæpissime parvæ, validæ; palpi ceteræque partes minutæ, plerumque occultatæ. — Antennæ rostro insertæ, sæpissime apice clavatæ. — Corpus in plerisque convexum, durum.

ORDO PRIMUS.

ORTHOCERI.

Antennæ non fractæ, h. e. ad articulum secundum haud geniculatæ; scapus (articulus basilaris) non valde elongatus; scrobes rostrales, proprie sic nominandi, vix ulli (2).

---

(1) In mea potestate adhuc non fuit eo pervenire, ut sufficienter examinaverim omnia vetera, et descripserim omnia nova genera ordinis secundi *Gonatocerorum*, ideoque in posterum varia quidem commutanda, corrigenda vel addenda in hac tabula fortassis erunt. Propterea quartæ seu extremæ parti hujus operis subtexenda erit nova tabula synoptica, continens omnes mutationes, quæ, dum ad finem peragitur opus, necessariæ videntur; tunc vero hæc subito confecta tabula ex hac parte tollatur, novaque illa in locum ejus inseratur.

(2) Scapi, seu articuli basilaris antennarum brevitatem, fracturam illarum geniculatam non admittentem, in *Curculionidum dispositione methodica* ut characterem essentialem ordinis *Orthocerorum* seu recti-cornium adhibui; minus tamen sufficientem hunc characterem jam judicavi, nam *Curculionidum* plures scapum brevissimum gerentes, sed in cæteris *Gonatoceris* valde affines, e. g. *Læmosaccus*, *Thamnophilus*, *Chlorophanus*, etc., hac nota sola ab illis separati fuerunt; quare illos, monentibus clarissimis Galliæ entomologis, jam ad *Gonatoceros* retuli, aliumque magis distinctivum characterem *Orthoceris* adjunxi, absentiam nempe scrobum seu canalicularum rostralium, receptioni scapi inservientium. *Anthribidum* plurimi et *Rhynchitidum* nonnulli, antennas in fovea profunda, aut oblonga, aut rotundata insertas, quidem gerunt; sed foveæ istæ aliter formatæ, nec ad scapum recipiendum idoneæ, quare ut scrobes genuinæ non considerandæ. — Scrobes istæ *Gonatoceris* communes sunt,

Species enumeranda

SECTIO I. — *Antennæ articulis* 11, 12.

DIVISIO PRIMA.

BRUCHIDES

Rostrum latum, deflexum. Antennæ sensim crassiores, serratæ aut pectinatæ, in paucis clavatæ, 11-articulatæ. Tarsi distincte 4-articulati, articulo penultimo bilobo.

Genus 1. BRUCHUS. Auctorum.	
Typus : *Bruchus Pisi.* Auct.	94
Grex A. PACHYMERUS. Latr.	
Typus : *Bruchus brasiliensis.* Thunb.	11
Grex B. CARYOBORUS. Nob.	
Typus : *Bruchus serripes.* Bohem., Sturm.	10
BRUCHUS, incertæ species.	26
Genus 2. SPERMOPHAGUS. Steven.	
Typus : *Sperm. titivilitius.* Nob.	16
Genus 3. URODON. Nob.	
Typus : *Bruchus rufipes.* Fabr. Oliv.	3

DIVISIO SECUNDA.

ANTHRIBIDES.

Rostrum plerumque latum, deflexum, in paucis elongatum, subporrectum. Antennæ sæpissime clavatæ, 11-articulatæ. Elytra anum haud occultantia. Tarsi indistincte 4-articulati, articulo secundo plerumque tertium subincludente.

160

---

non tamen semper sat regulares, nam in *Phyllobidibus*, *Otiorhynchidibus et Rhynchophoris* pluribus, aut perbreves, subrectæ, aut obsoletiores; sed in his antennæ distincte geniculatæ et scapus plerumque valde elongatus, quare ordini *Gonatocerorum* jure adnumerantur.

Genus *Anthliarhinus*, utpote scrobibus rostralibus destitutum, ad *Orthoceros* jure pertinet; antennis fere rectis quoque gaudet, etsi scapus solito longior sit. Urgentibus tamen entomologis supra memoratis, ad *Gonatoceros* referre volui, in familia *Erirhinidum*, inter genera *Erodiscus* et *Balaninus*, cum quibus tamen vix aliam similitudinem præbet, quam rostri longitudinem eximiam in uno sexu.

Utrum genus *Rhabus* illustr. Fischer de Waldheim (ab celeb. Latreille et quoque nobis antea Curcul. disp. meth. p. 30, ad hanc familiam relatum), juste huc pertineat, minus certum videtur; anne aptius in familia *Chrysomelinarum* locum obtineat, prope genus *Sagra*?

		Sp. enu.
		Tr 160
Genus 4. Mecocerus. Nob.	Typus: *Mecoc. gazella.* Nob.	1
Genus 5. Xenocerus. Germ.	Typus: *Xenocer. saperdoides.* Germ.	1
Genus 6. Phloeotragus. Nob.	Typus: *Phlœotr. heros, Anthrib. id.* Fabr.	1
Genus 7. Ptychoderes. Nob.	Typus: *Ptych. elongatus, Anthrib. id.* Germ.	4
Genus 8. Acorynus. Nob.	Typus: *Acor. sulcirostris, Anthrib. id.* Dej.	1
Genus 9. Litocerus. Nob.	Typus: *Litoc. histrio.* Nob.	3
Genus 10. Corrhecerus. Nob.	Typus: *Corrhec. flaccidus.* Nob.	2
Genus 11. Anthribus. Auct.	Typus: *Anthr. albinus.* Auct.	9
Genus 12. Euparius. Nob.	Typus: *Eupar. tigris.* Nob.	12
Genus 13. Eugonus. Nob.	Typus: *Eugon. virgatus.* Nob.	1
Genus 14. Tropideres. Nob.	Typus: *Trop. albirostris. Anthrib. id.* Auct.	16
Genus 15. Phloeophilus. Nob.	Typus: *Phlœoph. agrestis.* Nob.	1
Genus 16. Phænithon. Nob.	Typus: *Phæn. costatus. Anthrib. id.* Dej.	6
Genus 17. Gymnognathus. Nob.	Typus: *Gymnog. signatus.* Nob.	3
Genus 18. Platyrhinus. Clairv.	Typus: *Platyrh. latirostris. Anthrib. id.* Auct.	2
Genus 19. Stenocerus. Nob.	Typus: *Stenoc. fulvitarsis. Anthrib. id.* Germ.	3
Genus 20. Brachytarsus. Nob.	Typus: *Brachyt. varius. Anthrib. id.* Auct.	4
Genus 21. Aræcerus. Nob.	Typus: *Aræcer. Coffeæ. Anthrib. id.* Fabr.	4
Genus 22. Xylinades. Latr.	Typus: *Xylin. Westermanni.* Nob.	6
		240

	Sp. enu
	Tr. 240
Genus 23. Eucorynus. Nob.	
Typus : *Eucor. crassicornis, Anthrib. id.* Fabr....	1
—Anthribides, incertæ generis................	23

DIVISIO TERTIA.

CAMAROTIDES.

Rostrum breve, latiusculum, deflexum. Antennæ clavatæ, 11-articulatæ. Elytra hemisphærica, margine dilatata, abdomen tegentia. Pedes breves, basi distantes; femora antica crassissima.

Genus 24. Camarotus. Germ.	
Typus : *Camar. coccinelloides.* Germ...........	2

DIVISIO QUARTA.

ATTELABIDES.

Rostrum subcylindricum, deflexum, sæpe filiforme, vel sæpius apice dilatatum. Caput pone oculos elongatum. Antennæ clavatæ, 11, 12-articulatæ. Elytra elongato-subquadrata. Pygidium nudum.

Genus 25. Apoderus. Oliv.	
Typus : *Apod. coryli.* Auct....................	24
Genus 26. Attelabus. Auct.	
Typus : *Attel. curculionoides.* Auct.............	16
Grex Euscelus. Germ.	
Typus : *Attel. scutellatus.* Dej.................	11
Genus 27. Rhynchites. Auct.	
Typus : *Rhynchit. populi.* Auct................	45
Genus 28. Pterocolus. Nob.	
Typus : *Attelab. ovatus.* Fabr. Oliv............	1

DIVISIO QUINTA.

RHINOMACERIDES.

Rostrum elongatum, aut deflexum, aut porrectum, apice in plerisque dilatatum, in aliis vero cylindricum. Caput breve, transversum; oculi magni, rotundati, valde prominuli. Antennæ 11, 12-articulatæ, aut clavatæ, aut extrorsum sensim crassiores. Elytra oblonga, sublinearia, abdomen obtegentia.

363

	Sp. enu
	Tr. 363
Genus 29. DIODYRHYNCHUS. Germ.	
Typus : *Rhynchit. austriacus.* Oliv.............	1
Genus 30. RHINOMACER. Auct.	
Typus : *Rhinom. attelaboides.* Fabr. Oliv........	2
Genus 31. AULETES. Nob.	
Typus : *Aul. tubicen.* Nob.	
Tubicenus rhynchitoides. Dej................	1
Genus 32. RHINOTIA. Kirby.	
Typus : *Rhinotia hæmoptera.* Kirby............	2
Genus 33. BELUS. Nob.	
Typus : *Bel. semi-punctatus. Lixus id.* Fabr......	1

DIVISIO SEXTA.

ITHYCERIDES.

Rostrum breve, subdeflexum, subteres. Caput pone oculos non elongatum. Antennæ breves, clavatæ, 12-articulatæ. Elytra oblongo-ovata; humeri rectangulati. Pygidium nudum.

Genus 34. ITHYCERUS. Dalm.	
Typus : *Ithyc. curculionoides, Rhynchit. id.* Herbst.	1

DIVISIO SEPTIMA.

APIONIDES.

Rostrum subporrectum, cylindricum vel filiforme. Antennæ, 11-articulatæ, versus medium vel ad basin rostri insertæ. Caput pone oculos elongatum. Elytra oblongo-ovata, fornicata, anum tegentia.

Genus 35. EURHYNCHUS. Nob. *Eurhinus* Kirby.	
Typus : *Eurh. lævior.* Kirby..................	3
Genus 36. APION. Auct.	
Typus : *Apion angustatum.* Auct...............	144

DIVISIO OCTAVA.

RHAMPHIDES.

Rostrum elongatum, inflexum. Antennæ clavatæ, 11, 12-articulatæ. Oculi in fronte conniventes. Pedes postici saltatorii.

Genus 37. RHAMPHUS. Clairv.	
Typus : *Rhamph. flavicornis.* Auct.............	3
	521

Sp. enu
Tr. 521

Genus 38. TACHYGONUS. Nob.
Typus : *Tachyg. Lecontei*, *Orchestes id.* Dej....... 1

DIVISIO NONA.

BRENTHIDES.

Rostrum porrectum. Antennæ non clavatæ, 11-articulatæ. Collum distinctum. Scutellum non observandum. Abdomen segmento 1° et 2° longissimis, arcte junctis, ægre discernendis, 3° et 4° brevissimis, transversis instructum, ultimo breviusculo, semi-circulari. Corpus durum, subcylindricum, elongatum.

Genus 39. ARRHENODES. Stev.
Typus : *Arrhen. dispar. Brent. id.* Auct......... 31

Genus 40. BELOPHERUS. Nob.
Typus : *Beloph. militaris. Brent. id.* Auct....... 4

Genus 41. EUTRACHELUS. Nob. *Eutracheles.* Latr.
Typus : *Eutrach. Temmincki.* Latr............. 1

Genus 42. BELORHYNCHUS. Latr.
Typus : *Belorh. curvidens. Brenth. id.* Fabr....... 2

Genus 43. BRENTHUS. Nob. *Brentus.* Auct.
Typus : *Brenth. anchorago.* Auct.............. 24

Genus 44. CEOCEPHALUS. Nob.
Typus : *Ceoceph. appendiculatus.* Nob......... 5

Genus 45. CLÆODERES. Nob.
Typus : *Clæod. radulirostris.* Nob.............. 3

Genus 46. TAPHRODERES. Nob.
Typus : *Taphr. brevipes.* Nob................. 2

—BRENTHIDES, incertæ generis................ 8

§§ SECTIO 2. — *Antennæ articulis*, 9, 10.

DIVISIO DECIMA.

CYLADES.

Rostrum porrectum. Antennæ clavatæ, 10-articulatæ; clava longissima, linearis, uni-articulata. Thorax elongatus, sub-bipartitus. Elytra oblongo-ovata, fornicata.

Genus 47. CYLAS. Auct.
Typus : *Cyl. turcipennis.* Nob.......... 6

608

Sp. enu.
Tr. 608

DIVISIO UNDECIMA.

ULOCERIDES.

Rostrum porrectum. Antennæ breves, crassæ, aut squamulatæ, aut hirtæ; articuli 7 vel 8 ante clavam; clava parva, subsolida. Corpus aut alatum, subcylindricum, angustum, aut apterum, postice obtusatum, antrorsum sensim angustatum.

Genus 48. Ulocerus. Dalm.

Typus : *Uloc. laceratus.* Dalm. 3

Genus 49. Episus. Billb.

Typus : *Epis. hypocrita.* Nob. *Brachyc. rostratus.* Oliv. 1

DIVISIO DUODECIMA.

OXYRHYNCHIDES.

Rostrum elongatum, filiforme, arcuatum. Antennæ breves, porrectæ, validæ; articuli 7 ante clavam; clava subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Corpus oblongum, durum.

Genus 50. Oxyrhynchus. Nob.

Typus : *Oxyrh. discors. Calandra id.* Fabr. 3

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

Antennæ geniculatæ (in nonnullis tamen indistincte, quorum scapus etiam brevior, sed semper in scrobe rostrali insertus); scapus (articulus basilaris) plerumque elongatus, sæpissime in canalicula seu scrobe ad latera rostri insertus (1).

LEGIO 1. BRACHYRHYNCHI. (*Curculiones.* Fabr.

Rostrum plus minusve crassum et deforme, breviusculum, parum arcuatum. Antennæ prope apicem rostri sæpe juxta sinum oris insertæ, sæpissime 12-articulatæ. (*Brachycerides* tantum excepti.)

610

(1) Confer observationem ad *Orthoceros* ante dilatam.

Sp. enu.

Tr. 619

PHALANX 1. — *Canalicula antennalis (scrobs) infra-ocularis, curvata vel obliqua.*

§ SECTIO 1. — *Rostrum aut deflexum, aut subporrectum, liberum.*

DIVISIO PRIMA.

BRACHYCERIDES.

Rostrum breve, sæpius deflexum, in paucis porrectum. Antennæ breves, validæ, nonnihil fractæ; articuli 7 vel 8 ante clavam: clava parva, subsolida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Tarsi angustati, setosi, haud spongiosi. Corpus durum, apterum.

Genus 51. BRACHYCERUS. Auct.

Typus : *Brachyc. obesus.* Auct. 112

Genus 52. MICROCERUS. Gbl.

Typus : *Micr. retusus. Brachyc. id.* Fabr. 3

DIVISIO SECUNDA.

ENTIMIDES.

Rostrum breviusculum, deflexum, teretiusculum, crassissimum, extrorsum sæpissime valde incrassatum.

SUBDIVISIO 1. — Corpus brevius, alatum. Humeri angulati, prominuli. Thorax semper pone oculos lobatus.

Genus 53. RHIGUS. Dalm.

Typus : *Rhig. tribuloides. Curc. id.* Pall. 10

Genus 54. POLYTELES. Nob.

Typus : *Polyt. Steveni.* Nob. 1

Genus 55. ENTIMUS. Germ.

Typus : *Entim. Imperialis. Curc. id.* Auct. 5

Genus 56. GONIPTERUS. Nob.

Typus : *Gonipt. lepidotus.* Nob. 3

SUBDIVISIO 2. — Corpus oblongum, apterum; humeri subrotundati.

Genus 57. HIPPORHINUS. Nob. *Hipporhis.* Billb.

Typus : *Hipporh. pilularius. Curc. id.* Fabr. Oliv. .. 42

Genus 58. PRYPNUS. Nob.

Typus : *Prypn. 5-nodosus.* Dalm. 6

801

Sp. enu.
Tr. 801

Genus 59. EPIRHYNCHUS. Nob.
Typus : *Epirh. argus. Curc. id.* Sparrm......... 1

DIVISIO TERTIA.

PACHYRHYNCHIDES.

Rostrum brevissimum, crassum, deflexum, sæpius angulatum, apice vix incrassatum.

Genus 60. CHERRUS. Dalm.
Typus : *Cherr. infaustus. Curc. id.* Oliv......... 4
Genus 61. PROSTOMUS. Dalm.
Typus : *Prostom. scutellaris. Curc. id.* Fabr. Oliv.. 2
Grex CARTERUS. Nob.
Typus : *Prost. (Carterus) squalidus. Cherrus id.* Dej. 1
Genus 62. DERACANTHUS. Nob.
Typus : *Derac. spinifex. Curc. id.* Fabr......... 2
Genus 63. OPHRYASTES. Germ.
Typus : *Ophryast. sulcirostris. Lipar. id.* Say..... 2
Genus 64. GRAPHORHINUS. Nob.
Typus : *Graphorh. vadosus. Curc. id.* Say........ 2
Genus 65. PACHYRHYNCHUS. Germ.
Typus : *Pachyrh. moniliferus.* Germ............ 1
Genus 66. PSALIDIUM. Auct.
Typus : *Psalid. maxillosum.* Auct.............. 1
Genus 67. SYZYGOPS. Nob.
Typus : *Syzyg. cyclops.* Nob................... 1

DIVISIO QUARTA.

BRACHYDERIDES.

Rostrum subhorizontale, latitudine fere capitis eique contiguum, supra sæpius planiusculum, raro teretiusculum, in plerisque breve vel brevissimum, in aliis vero magis elongatum.

SUBDIVISIO I. — Corpus sæpius brevius, in paucis ovatum vel oblongo-ovatum, apterum; humeri plerumque rotundati vel obtusi, non prominuli.

Genus 68. THYLACITES. Germ.
Typus : *Thyl. cataractus.* Sahlb................ 13

831

	Sp. enum.
	Tr. 831
Genus 69. CNEORHINUS. Nob.	
Typus : *Cneorh. Barcelonicus.* Herbst........ ...	11
Grex STROPHOSOMUS. Nob.	
Typus : *Cneorh. coryli. Curc. id.* Auct..........	18
Genus 70. SCIAPHILUS. Nob.	
Typus : *Sciaph. muricatus. Curc. id.* Auct	10
Genus 71. BLOSYRUS. Nob.	
Typus : *Blosyrus oniscus. Curc. id.* Auct.........	4
Genus 72. PLATYCOPES. Dalm.	
Typus : *Plat. argyrellus. Cur. id.* Sparrm.......	[illegible]
Genus 73. HERPYSTICUS. Germ.	
Typus : *Herp. lævicollis.* Germ.................	1
Genus 74. BRACHYDERES. Nob.	
Typus : *Brachyd. incanus. Curc. id.* Auct........	9
Genus 75. EUSOMUS. Germ.	
Typus : *Eusom. ovulum.* Germ................	[illegible]

SUBDIVISIO 2. — Corpus elongatum vel oblongum, plerumque alatum, humeri plus minusve angulati vel prominuli.

Genus 76. NAUPACTUS. Meg., Dej. — *Leptocerus.* Germ., Schh., Oliv.	
Typus : *Naup. longimanus. Curc. id.* Fabr. Oliv...	63
Genus 77. PLECTROPHORUS. Nob.	
Typus : *Plectr. lutra.* Nob....................	1
Genus 78. LAGOSTOMUS. Nob.	
Typus : *Lag. paganus. Cyphus id.* Dej...........	9
Genus 79. CYPHUS. Nob.	
Typus : *Cyph. gibber. Curc. id.* Auct............	19
Genus 80. HADROPUS. Nob.	
Typus : *Hadr. albicerus. Cyph. id.* Germ........	1
Genus 81. PLATYOMUS. Nob.	
Typus : *Platyom. nodipennis.* Nob..............	13
Grex COMPSUS. Nob.	
Typus : *Plat. acrolithus. Cyphus id.* Germ.......	[illegible]
Genus 82. OXYDERCES. Nob.	
Typus : *Oxyd. cretaceus. Curc. id.* Auct.........	1
Genus 83. PHÆDROPUS. Nob.	
Typus : *Phædr. candidus. Curc. id.* Fabr.	[illegible]
	[illegible]

	Sp. enu.
	Tr. 1009
Genus 84. EUSTALES. Nob. *Eustalis*. Germ.	
Typus : *Eust. Thunbergi. Curc. id.* Dalm.	7
Genus 85. POLYCOMUS. Nob.	
Typus : *Polyc. lanuginosus. Eustales id.* Chevr.	1
Genus 86. EXOPHTHALMUS. Nob.	
Typus : *Exophth. 4-vittatus. Curc. id.* Oliv.	6
Genus 87. DIAPREPES. Nob.	
Typus : *Diap. spengleri. Curc. id.* Auct.	11
88 *Grex* PREPODES. Nob.	
Typus : *Diapr. vittatus. Curc. id.* Auct.	14
Genus 88. PTILOPUS. Nob.	
Typus : *Ptil. aurifer. Curc. id.* Fabr.	19
91 Genus 89. CRATOPUS. Nob.	
Typus : *Crat. melanocephalus. Lixus id.* Fabr.	14
Genus 90. PACHNÆUS. Nob.	
Typus : *Pachn. opalus. Curc. id.* Oliv.	4
93 Genus 91. CHLOROPHANUS. Dalm. Germ.	
Typus : *Chlor. viridis. Curc. id.* Auct.	14
Genus 92. CALLIZONUS. Nob.	
Typus : *Calliz. 19-punctatus. Curc. id.* Auct.	1
Genus 93. HYPOMECES. Nob.	
Typus : *Hypom. squamosus. Curc. id.* Auct.	2
Grex DEREODUS. Nob.	
Typus : *Hypom. denticollis.* Nob.	1
Genus 94. ANÆMERUS. Nob.	
Typus : *Anæm. tomentosus. Curc. id.* Auct.	4
Genus 95. TANYMECUS. Germ.	
Typus : *Tanym. palliatus. Curc. id.* Auct.	16
Grex ASEMUS. Nob.	
Typus : *Tanym. chloroleucus. Curc. id.* Wied.	2
Genus 96. ASTYCUS. Nob.	
Typus : *Ast. adultus. Curc. id.* Oliv.	1
Genus 97. LISSORHINUS. Nob.	
Typus : *Lissorh. eryx.* Nob.	1
Genus 98. PROTENOMUS. Nob.	
Typus : *Proten. saisanensis. Curc. id.* Gebl.	1
Genus 99. ARTIPUS. Nob.	
Typus : *Artip. corycæus.* Sahlb.	2
101 Genus 100. SITONA. Germ.	
Typus : *Sit. lineata. Curc. id.* Auct.	54
	1167

	Sp. enu.
	Fr. 1167
Genus 101. POLYDACRYS. Nob.	
Typus : *Polyd. modestus. Sitona modesta.* Dej. . . .	1
Genus 102. HADROMERUS. Nob.	
Typus : *Hadr. sagittarius. Curc. id.* Oliv.	4
Genus 103. POLYDROSUS. Germ.	
Typus : *Polydr. undatus. Curc. id.* Auct.	26
Grex SCYTHROPUS. Nob.	
Typus : *Polydr. mustela. Curc. id.* Herbst.	1
Genus 104. METALLITES. Nob. Germ.	
Typus : *Metall. mollis.* Germ.	7
Genus 105. EUGNATHUS. Nob.	
Typus : *Eugn. viridanus.* Nob. ex Java.	1
Genus 106. ENTYUS. Nob.	
Typus : *Ent. auricintus. Rembus id.* Germ.	3
Genus 107. PROMECOPS. Nob.	
Typus : *Prom. nubifer.* Nob.	7
Genus 108. LEPTOSOMUS. Nob.	
Typus : *Lept. acuminatus. Curc. id.* Fabr.	1
Genus 109. TANAOS. Nob.	
Typus : *Tan. sanguineus. Apion id.* Thunb.	1

DIVISIO QUINTA.

CLEONIDES.

Rostrum longiusculum, crassum, aut nutans, aut deflexum, plerumque teretiusculum, raro subangulatum, extrorsum sæpius subincrassatum.

SUBDIVISIO I. — Corpus sæpissime alatum.

Genus 110. CLEONUS. Nob. *Cleonis.* Dej.	
Typus : *Cleon. sulcirostris. Curc. id.* Auct.	87
Grex PACHYCERUS. Gyllenh.	
Typus : *Cleon. varius. Curc. id.* Herbst.	3
Grex MEGASPITES. Nob.—*Megaspis.* Nob. olim.	
Typus : *Cleon. palmatus. Lix. id.* Oliv.	2
Genus 111. BOTHYNODERES. Nob.	
Typus : *Bothyn. albidus. Curc. id.* Auct.	15
Genus 112. CHRYSOLOPUS. Germ.	
Typus : *Chrysol. spectabilis. Curc. id.* Auct.	2
Genus 113. PELORORHINUS. Nob.	
Typus : *Pelororh. argentosus.* Nob.	1
	[illegible]

	Sp. enu.
	Tr. 1339
Genus 114. Hypsonotus. Germ.	
Typus : *Hypson. clavulus.* Germ...............	22
Grex Eurylobus. Nob.	
Typus : *Hypson. cingulatus.* Germ..............	3
Grex Lordops. Nob.	
Typus : *Hypson. Schoenherri.* Dalm.............	8
Grex Lasiopus. Nob.	
Typus : *Lasiop. cilipes.* Sahlb...................	1
Genus 115. Lepropus. Nob.	
Typus : *Lepr. lateralis. Curc. id.* Fabr............	1
Genus 116. Aterpus. Nob.	
Typus : *Aterp. cultratus. Curc. id.* Fabr..........	3
Genus 117. Gronops. Nob.	
Typus : *Gron. lunatus. Curc. id.* Fabr...........	2
125 Genus 118. Listroderes. Nob.	
Typus : *Listr. costirostris.* Gyllenh..............	10
Subdivisio 2. — Corpus sæpissime apterum.	
Genus 119. Liophloeus. Germ.	
Typus : *Liophl. nubilus. Curc. id.* Auct..........	5
Genus 120. Epicærus. Nob. *nom. nud.*	
Typus : *Epic. mexicanus. Lordops id.* Chevr.....	2
Genus 121. Geonemus. Nob. — *Geophilus.* Nob. olim.	
Typus : *Geon. amictus. Curc. id.* Wied..........	7
Genus 122. Leptops. Nob.	
Typus : *Lept. squalidus.* Nob..................	5
Genus 123. Minyops. Nob.	
Typus : *Min. carinatus. Curc. id.* Linn..........	4
Genus 124. Barynotus. Germ.	
Typus : *Baryn. obscurus. Curc. id.* Auct.........	11
Genus 125. Stenocorynus. Nob.	
Typus : *Stenoc. crenulatus. Curc. id.* Fabr.......	2
Genus 126. Alophus. Nob.	
Typus : *Aloph. 3-guttatus. Curc. id.* Auct........	3

DIVISIO SEXTA.

MOLYTIDES.

Rostrum longius, deflexum, subcylindricum, paulo arcuatum, plerumque minus crassum.

1428

	Sp. cog.
SUBDIVISIO 1. — Tibiæ omnes apice unco valido intus armatæ.	Tr. 1428
Genus 127. LEPYRUS. Germ.	
Typus : *Lepyr. colon. Rhynchæn. id.* Fabr........	2
Genus 128. TANYSPHYRUS. Germ.	
Typus : *Tanysph. lemnæ. Rhynchæn. id.* Fabr...	1
Genus 129. HYLOBIUS. Germ.	
Typus : *Hylob. Pineti. Rhynchæn. id.* Fabr......	17
Genus 130. MOLYTES. Nob.	
Typus : *Molyt. germanus. Curc. id.* Linn........	16
Genus 131. ADEXIUS. Nob.	
Typus : *Adex. rotundipennis.* Nob.............	1
Genus 132. PLINTHUS. Germ.	
Typus: *Plinth. Megerlei. Curc. id.* Fabr.........	11
Genus 133. CEPURUS. Nob.	
Typus : *Cep. caliginosus. Hypera caliginosa.* Dej...	1
SUBDIVISIO 2. — Tibiæ omnes apice muticæ. Corpus sæpissime alatum.	
Genus 134. PHYTONOMUS. Nob.—*Hypera.* Germ.	
Typus : *Phyton. polygoni. Rhynchæn. id.* Auct...	55
Genus 135. CONIATUS. Germ.	
Typus : *Con. tamarisci. Curc. id.* Fabr..........	4
Genus 136. RHINOLACCUS. Nob.	
Typus : *Rhinol. dimidiatus. Nov. gen. id.* Dejean..	1
§§ SECTIO 2. — *Rostrum inflexum, in canalicula pectorali immersum.*	
DIVISIO SEPTIMA.	
BYRSOPSIDES.	
Rostrum breve, crassum. Antennæ breves, tenues, clavatæ, 11, 12-articulatæ. Scutellum nullum. Tarsi angustati, setosi.	
Genus 137. BYRSOPS. Nob.—*Cryptops.* Nob. olim.	
Typus: *Byrs. quadratus. Brachycerus id.* Wiedem.	11
Genus 138. RHYTIRHINUS. Nob.	
Typus : *Rhyth. inæqualis. Curc. id.* Fabr........	5
Genus 139. EUPAGES. Nob.	
Typus: *Eup. tuberculosus.* Nob.—e Cap. Bonæ Spei.	1
	1554

Sp. enu.

Ex 1554

Genus 140. LITHODUS. Germ.

Typus : *Lith. humeralis.* Germ.—ex Amer. bor... 1

PHALANX 2. — *Canalicula antennalis seu scrobs subrecta, versus medium oculi adscendens.*

DIVISIO OCTAVA.

PHYLLOBIDES.

Rostrum breve, subhorizontale, crassiusculum, sæpius teretiusculum, nonnunquam aliquantulum incrassatum, interdum quoque supra planum. Corpus elongatum, alatum; humeri obtuso angulati.

SUBDIVISIO 1. — Thorax pone oculos non lobatus.

Genus 141. MYLLOCERUS. Nob.

Typus : *Mylloc. transmarinus. Curc. id.* Herbst... 12

Genus 142. MACROCORYNUS. Nob.

Typus : *Macroc. discoideus. Curc. id.* Oliv....... 1

Genus 143. PHYLLOBIUS. Nob. Germ.

Typus : *Phyllob. pyri. Curc. id.* Auct........... 34

Genus 144. ARHINUS. Nob.

Typus : *Arhinus languidus.* Nob.— e Bengalia... 1

SUBDIVISIO 2. — Thorax pone oculos lobis productis.

Genus 145. CYPHICERUS. Nob.

Typus : *Cyphic. orbitalis. Curc. id.* Wied........ 2

Genus 146. AMBLYRHINUS. Nob.

Typus : *Amblyrh. poricollis.* Nob. 1

DIVISIO NONA.

CYCLOMIDES.

Rostrum breve, plus minusve crassum, subhorizontale vel subdeflexum, lineare, sæpius teretiusculum, nonnunquam apicem versus subangustatum. Corpus brevius, vel subovatum, plerumque apterum; humeri rotundati vel obtusi.

Genus 147. EPISOMUS. Nob.

Typus : *Episom. lacerta. Curc. id.* Fabr......... 5

Genus 148. HADRORHINUS. Nob.

Typus : *Hadrorh. lepidopterus.* Nob.—ex Afr. mer. 1

1612

	Sp. enu.
	Tr. 1612
Genus 149. Pholicodes. Nob.	
Typus : *Pholic. plebejus.* Nob.	4
Genus 150. Ptochus. Nob.	
Typus : *Ptochus porcellus.* Nob	11
Genus 151. Stomodes. Nob.	
Typus : *Stom. tolutarius.* Nob	1
Genus 152. Trachyphloeus. Germ.	
Typus : *Trachyphl. scabriculus. Curc. id.* Auct.	13
Genus 153. Brachysomus. Nob.	
Typus : *Brachys. hirsutulus. Curc. id.* Auct	3
Genus 154. Omias. Nob.	
Typus : *Om. rotundatus. Curc. id.* Fabr.	14
Genus 155. Peritelus. Germ.	
Typus : *Perit. griseus. Curc. id.* Oliv	5
Grex A. Holcorhinus. Nob.	
Typus : *Perit. hispidus.* Nob.	2
Grex B. Sphæromus. Nob.	
Typus : *Perit. australis. Pachygaster id.* Dej.	1
Grex C. Pyctoderes. Nob.	
Typus : *Perit. gallina. Curc. id.* Sparrm.	3
Grex D. Oosomus. Nob.	
Typus : *Perit. hariolus.* Nob.	2
Grex E. Phlyctinus. Nob.	
Typus : *Perit. callosus.* Nob.	2
Genus 156. Cosmorhinus. Nob.	
Typus : *Cosmorh. cristatus.* Billb.	1
Genus 157. Sciobius. Nob.	
Typus : *Sciob. tostus. Curc. id.* Sparrm.	4
Genus 158. Cyclomus. Nob.	
Typus : *Cycl. inquinatus.* Nob	4
Grex Epichthonius. Nob.	
Typus : *Cycl. coronatus.* Nob.	1
Genus 159. Eremnus. Nob.	
Typus : *Eremn. exaratus.* Nob.	7
Genus 160. Aphrastus. Nob.	
Typus : *Aphrast. teniatus. Curc. id.* Say.	1
Genus 161. Piezonotus. Nob.	
Typus : *Piezon. suturalis.* Nob	1
Genus 162. Amycterus. Nob. — *Phalidura.* Mac-Leay.	
Typus : *Amyct. mirabilis. Curc. id.* Kirby	8
	1700

Sp. enu.
Tr. 1700

DIVISIO DECIMA.

OTIORHYNCHIDES.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, subhorizontale, apice dilatatum et incrassatum, supra subplanum, pterygiis apicalibus divaricatis; scapus antennarum semper pone oculos sese extendens.

Subdivisio 1. — Thorax pone oculos non lobatus. Corpus apterum.

Genus 163. Otiorhynchus. Germ.
Typus : *Ot. tenebricosus. Curc. id.* Herbst. Ghl.... 141
Genus 164. Tyloderes. Nob.
Typus : *Tyl. chrysops. Curc. id.* Herbst.......... 1
Genus 165. Hyphantus. Germ.
Typus : *Hyph. baccifer.* Germ................. 2
Genus 166. Elytrodon. Nob.
Typus : *Elytr. bidentatus. Curc. id.* Stev......... 2
Genus 167. Agraphus. Nob.
Typus : *Agraph. leucophœus. Peritelus id.* Dej.... 1

Subdivisio 2. — Thorax pone oculos lobatus. Corpus alatum.

Genus 168. Phytoscaphus. Nob.
Typus : *Phytoscaph. lixabundus.* Nob........... 1
Grex Chloebius. Nob.
Typus : *Phyt. immeritus.* Nob................. 1

Legio 2. MECORHYNCHI. (*Rhynchænides.* Fabr.)

Rostrum cylindricum vel filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennæ ante vel prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertæ.

1849

§ Sectio I. *Antennæ articulis 11, 12; clava sæpissime 4-articulata.*

DIVISIO PRIMA.

ERIRHINIDES.

Pedes antici basi approximati.

Subdivisio I. — Scutellum plus minusve distinctum. Alati.

	Sp. enu. Tr. 1849
Genus 169. Lixus. Auct.	
Typus : *Lix. paraplecticus.* Auct.	95
Genus 170. Pacholenus. Nob.	
Typus : *Pachol. pelliceus.* Nob.	2
Genus 171. Brachypus. Nob.	
Typus : *Brachyp. lixoides.* Nob.	1
Genus 172. Larinus. Germ.	
Typus : *Larin. cynaræ. Rhynchæn. id.* Fabr.	46
Grex Ileomus. Nob.	
Typus : *Larinus roreus. Lixus id.* Fabr.	3
Genus 173. Rhinocyllus. Germ.	
Typus : *Rhinoc. latirostris. Lixus id.* Latr.	6
Genus 174. Lachnæus. Nob.	
Typus : *Lachn. crinitus.* Nob.	1
Genus 175. Nerthops. Nob.	
Typus : *Nerth. guttatus. Lixus id.* Oliv.	1
Genus 176. Heilipus. Germ.	
Typus : *Heil. lactarius.* Germ.	75
Genus 177. Aclees. Nob.	
Typus : *Acl. cribratus. Heilip. id.* Dej.	1
Genus 178. Iphipus. Nob.	
Typus : *Iphip. rudis.* Nob.—e Brasilia.	1
Genus 179. Orthorhinus. Nob.	
Typus : *Orth. cylindrirostris. Rhynchæn. id.* Fabr.	6
Genus 180. Rhinaria. Kirby.	
Typus : *Rhin. lopha.* Hope.	2
Genus 181. Paramecops. Nob.	
Typus : *Param. farinosus. Curc. id.* Wiedem.	1
Genus 182. Pissodes. Germ.	
Typus : *Pissod. pini. Rhynchæn. id.* Auct.	8
	2098

	Sp. enu.
	Tr. 2098
Genus 183. THAMNOPHILUS. Nob. — *Magdalis*. Germ.	
Typus : *Thamn. violaceus. Rhynchæn. id.* Auct...	22
Genus 184. PENESTES. Nob.	
Typus : *Pen. tigris. Rhynchæn. id.* Fabr........	1
Genus 185. PHILERNUS. Nob.	
Typus : *Phil. farinosus. Sibinia farinosa.* Gebl....	1
Genus 186. EUDERES. Nob.	
Typus : *Euder. lineicollis. Rhynchæn. id.* Wied...	1
Genus 187. AMALACTUS. Nob.	
Typus : *Amal. nigritus. Rhynchæn. id.* Dej.......	1
Genus 188. ERIRHINUS. Nob.	
Typus : *Erirh. æthiops. Rhynchæn. id.* Auct......	34
Grex GRYPIDIUS. Nob.—*Grypus*. Germ.	
Typus : *Erirh. equiseti. Rhynch. id.* Auct.........	2
Genus 189. HYDRONOMUS. Nob.	
Typus : *Hydr. alismatis. Rhynch. id.* Gyllenh.....	1
Genus 190. BRACHONYX. Nob.	
Typus : *Brachon. indigena. Rhynch. id.* Gyllenh..	1
Genus 191. BRADYBATUS. Germ.	
Typus : *Bradyb. Creutzeri.* Germ................	1
Genus 192. BRACHYBAMUS. Germ.	
Typus : *Brachyb. electus.* Germ.—ex Amer. bor..	1
Genus 193. DERELOMUS. Nob.	
Typus : *Derel. chamæropis. Rhynch. id.* Fabr.....	2
Genus 194. ANTHOBIUS. Nob.	
Typus : *Anth. testaceus. Rhynch. id.* Fabr......	1
Genus 195. ELLESCUS. Meg., Dej.	
Typus : *Ellesc. scanicus. Rhynchæn. id.* Fabr....	2
Genus 196. LIGNYODES. Nob.	
Typus : *Lign. bicolor. Ellescus id.* Dej..........	1
Genus 197. ANTHONOMUS. Germ.	
Typus : *Anthon. druparum. Rhynchæn. id.* Auct..	28
Genus 198. LEIOPTERUS. Nob.	
Typus : *Leiopt. apioniformis.* Nob.—e Mexico....	1
Genus 199. ERODISCUS. Nob.	
Typus : *Erod. attenuatus. Lixus id.* Fabr.........	7
Genus 200. ANTLIARHINUS. Billb.	
Typus : *Antliarh. zamiæ. Curc. id.* Thunb........	1
	2207

	Sp. enu
Genus 201. BALANINUS. Germ.	Tr. 2207
Typus : *Balan. nucum. Rhynchæn. id.* Fabr......	20
Genus 202. MEGARHINUS. Nob.	
Typus : *Megarh. firmus.* Nob.—ex Java........	1
Genus 203. RHACHIODES. Nob.	
Typus : *Rhach. spinicollis.* Hope.—e Nov. Holl...	1
Genus 204. BOTANEBIUS. Nob.	
Typus : *Botan. tuberculatus.* Nob.—e Cuba......	1
Genus 205. AMALUS. Nob.	
Typus : *Amal. scortillum. Rhynchæn. id.* Gyllenh.	1
Genus 206. CORYSSOMERUS. Nob.	
Typus : *Coryssom. capucinus. Rhynch. id.* Beck...	2
Genus 207. AMBATES. Nob.	
Typus : *Amb. pictus. Baris picta.* Dej...........	2
Genus 208. PHYTOBIUS. Schmidt.—*Hydaticus.* Nob. olim.	
Typus : *Phytob. velatus. Rhynch. id.* Beck.......	9
Genus 209. ANOPLUS. Schüpp.	
Typus : *Anopl. plantaris. Rhynchæn. id.* Gyllenh..	1
Genus 210. MICRONYX. Nob.	
Typus : *Micr. cyaneus. Tychius id.* Dej..........	6
Genus 211. TYCHIUS. Germ.	
Typus : *Tych. 5-punctatus. Rhynch. id.* Auct.....	19
Grex MICCOTROGUS. Nob.	
Typus : *Tych. cuprifer. Curc. id.* Panz..........	2
Genus 212. ACALYPTUS. Nob.	
Typus : *Acal. carpini. Rhynchæn. id.* Gyllenh....	2
Genus 213. SIBYNES. Nob.—*Sibinia.* Germ. Dej.	
Typus : *Sib. viscariæ. Rhynchæn. id.* Auct.......	10
Genus 214. ANCHYLORHYNCHUS. Klug.	
Typus : *Anchyl. variabilis.* Klug..............	1
Genus 215. ACALLOPISTUS. Nob.	
Typus : *Acallop. vellicosus.* Gyllenh...........	1
Genus 216. ENDÆUS. Nob.	
Typus : *Endæus castus.* Nob..................	1
Genus 217. ACAMATUS. Nob.	
Typus : *Acamat. scutellaris. Mononus id.* Say....	2
Genus 218. OXYOPS. Dalm.	
Typus : *Oxyops clathratus.* Dalm..............	4
Genus 219. STERNECHUS. Nob. *Brachysoma.* Dej.	
Typus : *Stern. trachyptomus. Orobit. id.* Germ....	4
	2297

	Sp. enu.
Genus 220. TYLOMUS. Nob.	Tr. 2297
Typus : *Tylom. gonopterus. Orobit. id.* Germ.....	2
Genus 221. ORCHESTES. Illig.	
Typus : *Orchest. viminalis.* Auct...............	26
Grex TACHYERGES. Nob.	
Typus : *Orchest. bifasciatus. Rhynchæn. id.* Fabr..	5
Genus 222. PHYTOPHILUS. Nob.	
Typus: *Phytoph. cruciferus.—Pœcilma cruciferum.* Eschsch. — e Manilla.....................	1
SUBDIVISIO 2. — Exscutellati. Apteri.	
Genus 223. ANCHONUS. Nob.	
Typus : *Anch. suillus. Rhynchæn. id.* Fabr.......	3
Genus 224. STYPHLUS. Nob.	
Typus : *Styphlus penicillus.* Nob................	1
Grex A. STRENES. Nob.	
Typus : *Styphl. setulosus. Comasinus id.* Dej......	1
Grex B. ORTHOCHÆTES. Germ.	
Typus : *Styphl. setiger. Orthochæt. id.* Germ.....	1
Genus 225. TRACHODES. Germ.	
Typus : *Trachod. hispidus. Curc. id.* Linn.......	2
Genus 226. SOLENORHINUS. Nob.	
Typus : *Solenorh. porifer. Curc. id.* Sparrm......	1
Genus 227. TANYRHYNCHUS. Nob.	
Typus : *Tanyrh. terranus.* Nob.................	3
Genus 228. MYORHINUS. Nob.—*Apsis.* Germ., Dej.	
Typus : *Myorhin. Steveni.* Nob.................	2
DIVISIO SECUNDA.	
CHOLIDES.	
Pedes antici basi distantes, inter quos pectus planum, plus minusve immittitur.	
Genus 229. RHINASTUS. Nob.	
Typus : *Rhinast. pertusus.* Dalm................	2
Genus 230. CHOLUS. Germ.	
Typus : *Chol. albicinctus.* Germ................	7
Genus 231. LITOMERUS. Nob.	
Typus : *Litom. rana. Rhynchæn. id.* Fabr.......	1
Genus 232. POLYDERCES. Nob.	
Typus : *Polyd. zonatus. Rhynchæn. id.* Oliv.....	1
	2356

	Sp. enu.
	Tr. 2356
Genus 233. Callinotus. Nob.	
Typus : *Callin. præfectus.* Nob.	2
Genus 234. Dionychus. Germ.—*Archarias.* Dej.	
Typus : *Dion. parallelogrammus.* Germ.	5
Genus 235. Homalonotus. Nob. Sahlb.	
Typus : *Homal. circumdatus. Dionych. id.* Germ. .	10
Genus 236. Petalochilus. Nob.	
Typus : *Petal. gemellus. Archarias id.* Banon. . . .	1
Genus 237. Oncorhinus. Nob.	
Typus : *Oncorh. scabricollis. Archarias id.* Dupont.	1
Genus 238. Sclerosomus. Nob.	
Typus : *Scleros. incommodus.* Nob.	1
Genus 239. Solenopus. Nob.	
Typus : *Solenop. cacicus.* Nob. — *Dionych. granicollis.* Germ.	2
Genus 240. Amerhinus. Nob.	
Typus : *Amerh. Dufresnii. Rhynchæn. id.* Kirby. .	9
Genus 241. Nettarhinus. Nob.	
Typus : *Nettarh. anthribiformis.* Nob.	1
Genus 242. Isorhynchus. Nob.	
Typus : *Isorh. pudicus. Curc. id.* Sparrm.	1
Genus 243. Celetes. Nob.	
Typus : *Celetes bi-notatus. Rhynchæn. id.* Klug. . .	1
Genus 244. Alcides. Dalm.	
Typus : *Alcid. tri-lobus. Lixus id.* Fabr.	18
Genus 245. Læmosaccus. Nob.	
Typus : *Læmos. plagiatus. Rhynchæn. id.* Fabr. . .	3
Genus 246. Haplonyx. Nob.	
Typus : *Haplonyx Spencei.* Nob.—e Nova Holl. . .	1
Genus 247. Platyonyx. Nob.	
Typus : *Plat. ornatus. Baris ornata.* Dej.	1
Genus 248. Toxeres. Nob.	
Typus : *Tox. pistor. Balan. id.* Germ.	7
Genus 249. Leptoschoinus. Klug.	
Typus : *Leptoschoin. maculatus.* Klug.	1
Genus 250. Pyropus. Nob.	
Typus : *Pyrop. sapphirinus.* Nob	1
Genus 251. Madarus. Nob.	
Typus : *Madar. corvinus. Calandra corvina.* Fabr.	4
	2426

	Sp. enu.
	Tr. 2426
Genus 252. BARIDIUS. Nob. — *Baris.* Germ., Dej.	
Typus : *Barid. nitens. Calandra id.* Fabr........	52
Genus 253. EUANTHES. Nob.	
Typus : *Euanth. nitidus. Baris nitida.* Dej.......	1
Genus 254. LOBODERES. Nob.	
Typus : *Lobod. citriventris.* Nob................	1
Genus 255. MADOPTERUS. Nob.	
Typus : *Madopt. talpa. Baris talpa.* Chevr.......	1
DIVISIO TERTIA.	
CRYPTORHYNCHIDES.	
Rostrum inflexum, in canaliculam pectoralem, plus minusve distincte profundam, applicandum. Pedes antici basi sæpissime distantes.	
Genus 256. CRATOSOMUS. Nob.	
Typus : *Cratos. roddami. Rhynchæn. id.* Kirby. — *Rhynch. herculeanus.* Dalm..................	30
Genus 257. CRYPTORHYNCHUS. Illig.	
Typus : *Cryptorh. lapathi.* Auct................	94
Grex A. MECOCORYNUS. Nob.	
Typus : *Cryptorh. varipes.* Wied...............	1
Grex B. CAMPTORHINUS. Nob.	
Typus : *Cryptorh. pilipes. Rhynchæn. id.* Fabr....	13
Grex C. COELOSTERNUS. Nob.	
Typus : *Cryptorh. cylindricornis.* Germ..........	17
Genus 258. MACROMERUS. Nob.	
Typus : *Macrom. crinitarsis. Pœcilma id.* Germ..	6
Genus 259. GASTROCERUS. Chevr.	
Typus : *Gastrocer. depressirostris. Curc. id.* Fabr..	4
Genus 260. ENTELES. Nob.	
Typus : *Entel. Vigorsi.* Hope.—e Nova Holl.....	1
Genus 261. ARTHROSTENUS. Nob.	
Typus : *Arthrost. fullo. Rhynch. id.* Bœb........	3
Genus 262. LYPRUS. Nob.	
Typus : *Lypr. cylindrus. Rhynch. id.* Gyllenh....	1
Genus 263. BAGOUS. Germ.	
Typus : *Bag. bi-nodulus. Rhynch. id.* Gyllenh....	18
Genus 264. ANALCIS. Nob.	
Typus : *Analc. æreus. Bagous id.* Dej...........	1
	2670

	Sp. enu
	Fr. 2670
Genus 265. SCLEROPTERUS. Nob.	
Typus : *Scler. serratus. Cryptorh. id.* Germ......	2
Genus 266. TAPINOTUS. Nob.	
Typus : *Tap. sellatus.—Attelab. id.* Fabr........	1
Genus 267. ULOSOMUS. Nob.	
Typus : *Ulosom. erinaceus.* Nob...............	2
Genus 268. PYCNOPUS. Germ.	
Typus : *Pycnop. albiventris.* Germ.............	2
Genus 269. TYLODES. Nob.	
Typus : *Tylod. armadillo.* Sahl................	7
Grex ACALLES. Nob.	
Typus : *Tylod. camelus. Rhynchæn. id.* Fabr.....	9
Genus 270. CEUTORHYNCHUS. Schüpp., Germ.	
Typus : *Ceutorh. quercus.* Auct................	110
Genus 271. MONONYCHUS. Schüpp., Germ.	
Typus : *Monon. pseudacori. Rhynchæn. id.* Auct..	4
Genus 272. ZYGOPS. Nob. *Eccoptus.* Dej.	
Typus : *Zygops Wiedii. Pœcilma id.* Germ......	15
Grex A. COPTORUS. Nob.	
Typus : *Zyg. papaveratus. Pœcilma id.* Germ.....	9
Grex B. PIAZORUS. Nob.	
Typus : *Zyg. pleuronectes. Rhynchæn. id.* Fabr...	13
Grex C. PINARUS. Nob.	
Typus : *Zyg. squalidus. Cryptorh. id.* Dej........	3
Grex D. CORYSSOPUS. Nob.	
Typus : *Zyg. hexasticus.* Nob.................	1
Genus 273. MECOPUS. Dalm.	
Typus : *Mecop. bi-spinosus. Rhynchæn. id.* Fabr..	1
Genus 274. LECHRIOPS. Nob.	
Typus : *Lechr. sciurus. Rhynchæn. id.* Fabr......	1
Genus 275. CYRTOMON. Nob.	
Typus : *Cyrtom. Camelus. Eccoptus id.* Klug.....	1
Genus 276. CENTRINUS. Nob.	
Typus : *Centr. bi-cuspis. Baris id.* Germ.........	57
Grex CYLINDROCERUS. Nob.	
Typus : *Centr. signum. Calandra sigma.* Fabr...	4
Genus 277. DIONYMERUS. Nob.	
Typus : *Dionym. altus. Orobit. id.* Germ.......	11
	2923

	Sp. enu.
	Tr. 2923
Genus 278. SOLENOSTERNUS. Nob. —*Baridius.* Subgen. id. Nob. olim.	
Typus : *Solenost. puncticollis.* Nob.............	2
Genus 279. EURHINUS. Nob. — *Eurhin.* Illig. — *Macrorhinus.* Latr.	
Typus : *Eurh. cupratus.* Illig.................	4
Genus 280. BARYCERUS. Nob.	
Typus : *Baryc. collaris.* Nob.—e Brasilia.......	1
Genus 281. OROBITES. Nob.—*Orobitis.* Germ.	
Typus : *Orob. globosus. Attel. id.* Fabr..........	1
Genus 282. CLEOGONUS. Nob.	
Typus : *Cleog. rubetra. Rhynchæn. id.* Fabr......	3
Genus 283. OCLADIUS. Nob.	
Typus : *Oclad. salicorniæ. Rhynchæn. id.* Oliv....	7
§§ SECTIO 2. — *Antennæ 10 vel 9 articulatæ. (Funiculus semper 5-articulatus.)*	
DIVISIO QUARTA.	
CIONIDES.	
Antennæ breviusculæ ; funiculus 5-articulatus; clava 3 vel 4-articulata.	
Genus 284. CIONUS. Clairv., Germ.	
Typus : *Cionus scrophulariæ.* Auct.............	16
Genus 285. GYMNÆTRON. Nob.	
Typus : *Gymn. beccabungæ. Rhynchæn. id.* Fabr..	32
Genus 286. MECINUS. Germ.	
Typus : *Mecin. pyrastri.* Germ................	5
Genus 287. NANODES. Nob.	
Typus : *Nanod. lythri. Rhynchæn. id.* Auct......	12
Genus 288. PRIONOPUS. Dalm.	
Typus : *Prionop. acanthomerus.* Dalm..........	1
	3007

Sp. enu.
Tr. 3007

§§§ Sectio 3. — *Antennæ* 10, 9, 8, 7-*articulatæ*. (*Funiculus variat numero articulorum* 6, 7 et 4.)

DIVISIO QUINTA.

RHYNCHOPHORIDES.

Antennæ mediocres; funiculus 6-articulatus; clava aut bi-articulata, aut indistincte articulata, subsolida. Rostrum aut deflexum, aut porrectum.

Subdivisio 1.—(Cryptopygi). Pygidium elytra tegunt.

Genus 289. Rhina. Latr., Illig., Dejean.
Typus : *Rhina barbirostris*. Latr., Oliv.......... 2
Genus 290. Sipalus. Nob.
Typus : *Sipal. granulatus. Calandra id.* Fabr..... 5

Subdivisio 2. — (Gymnopygi). Pygidium nudum, seu ab elytris non tectum.

Genus 291. Rhynchophorus. Herbst.—*Calandra*. Auct.
Typus : *Rhynchoph. palmarum*. Auct.......... 107

DIVISIO SEXTA.

CONODERIDES.

Antennæ subtenues; funiculus 7-articulatus; clava bi-aut indistincte articulata, subsolida, rigida. Rostrum inflexum.

Genus 292. Conoderes. Nob.
Typus : *Conod. albidus. Eccoptus id.* Klug....... 1

DIVISIO SEPTIMA.

COSSONIDES.

Antennæ breves; funiculus 7-articulatus; clava aut bi-articulata, aut subsolida. Rostrum subdeflexum. Pygidium ab elytris tectum.

Genus 293. Amorphocerus. Nob.
Typus : *Amorphoc. talpa*. Nob................. 1
Genus 294. Cossonus. Auct.
Typus : *Cosson. linearis*. Fabr. — *Coss. ferrugineus*. Dej.............................. 17
Genus 295. Rhyncolus. Creutz.
Typus : *Rhyncol. chloropus. Cosson. id.* Auct..... 19

3159

	Sp. enu.
	Tr. 3159
DIVISIO OCTAVA.	
DRYOPHTHORIDES.	
Antennæ breves; funiculus 4-articulatus. Rostrum subdeflexum. Pygidium ab elytris tectum.	
Genus 296. Dryŏphthorus. Schupp. Germ.	
Typus: *Dryophth. lymexylon. Lixus id.* Fabr.....	2
Curculionides ab entomologis variis descripti. Incertæ divisionis et generis; species mihi invisæ.	383
	3544

DESCRIPTIONES

GENERUM ET SPECIERUM

AD FAMILIAM

CURCULIONIDUM

PERTINENTIUM.

FAMILIA.

CURCULIONIDES (1).

Tarsi quadri-articulati.—Caput plus minusve rostratum; os apicale; mandibulæ sæpissime parvæ, validæ; palpi, ceteræque partes minutæ; plerumque occultatæ.—Antennæ rostro insertæ, sæpissime apice clavatæ.—Corpus in plerisque convexum, durum.

ORDO PRIMUS.

ORTHOCERI.

Antennæ non fractæ, h. e. ad articulum secundum haud geniculatæ; scapus (articulus basilaris) non valde elongatus; scrobes rostrales, proprie sic nominandi, vix ulli (2).

Sectio I. — *Antennæ articulis* 11, 12.

Divisio I. BRUCHIDES (3).

Rostrum latum, deflexum. Antennæ sensim crassiores, serratæ aut pectinatæ, in paucis clavatæ, 11-*articulatæ. Tarsi distincte 4-articulati, articulo penultimo bilobo.*

Genus I. BRUCHUS.

Linn., Fabr., Latr., Gyllenh., Oliv. et multi alii (4). — *Mylabris* Gronov., Geoff., Fourc. — *Laria* Scop.

---

(1) Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 241. — *Id.* Consid. Genér. p. 218. — Dejean, Catal. Col. p. 78. — Sturm. Ins. Cat. 1826. p. 29. *Curculionides.* — Latr. Fam. du Règne Anim., p. 385. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 584. *Rhynchophores.*

(2) Confer observationem ad *Orthoceros* in Tab. synopt. ante allatam, p. 1.

(3) Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 236. — *Id.* Consid. Génér. p. 218. — *Id.* Règne Anim. p. 385. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 588. *Brucheles.* — Sturm. Ins. Cat. 1826. p. 29. *Bruchini.* — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 27.

(4) Fabr. S. El. II. p. 396. 153. — Latr. Gen. Cr. et Ins. II p. 240. — *Id.* Consid. Génér. p. 218. 214. — *Id.* Règne Anim. p. 386. — *Id.* in Cuv. Règne Anim. p. 323. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 589. — Oliv. Ent. IV. 79. p. 1. — *Id.* in Enc. Meth. V. 193. — Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 11. — Illig. Mag. III. p. 100. 164.

Character generis: — Antennæ longiusculæ, validæ, extrorsum sensim crassiores, sæpius serratæ, in nonnullis pectinatæ, in sinu oculorum insertæ.

Caput exsertum, deflexum, postice collum angustatum formans.

Oculi lunati vel emarginati, prominuli.

Elytra oblongo-quadrata, abdomine breviora, supra parum convexa.

Femora postica plerumque incrassata, sæpe dentata; tibiæ postice apice spina fixa perpendiculari, plus minusve elongata armatæ.

(GENUINI: — Femora postica modice incrassata, infra dente unico minuto instructa; tibiæ rectæ, apice spina brevi, recta armatæ.)

STIRPS 1. — Torax oblongus, subconicus, antice sæpius coarctatus, capite subangustior.

Manipulus. I. — Femora dentata.

1. B. BIXÆ. *Hoffmans.*

Breviter ovatus, depressus, testaceus, pallido-pubescens, thorace brevi elytrisque brunneo-maculatis, pygidio basi fasciculis tribus pallidis, femoribus posticis crassis, ante apicem emarginatis, dente acuto armatis.

DRAPIEZ. *Annal. gén. des sciences phys.* V. p. 13. 4. T. 74. f. 5.
Habitat in Brasilia. SCHUPPEL. Mus. GHL.

Statura et fere magnitudo *Br. Scutellaris*, cui etiam in multis similis, sed magis depressus, et aliter coloratus. Caput deflexum, punctulatum, testaceum, parce pallido-pubescens, fronte inter oculos carinula parum elevata notata; oculi majusculi, lunati, nigro-brunnei, modice prominuli; os rotundatum, palpis obscuris. Antennæ vix thoracis basin attingunt, compressæ, testaceæ, apice obtusæ. Thorax transversus, antice capite vix latior, truncatus, lateribus obliquis, rectis, basi leviter bi-sinuatus, angulis

---

et VI. 322. — Duméril, Zool. Anal. p. 236. 1. — Thunb. in Nov. Acta Ups. VII. p. 111. — Walcken, Fau. Par. I. p. 228. — Sturm. Ins. Cat. 1826. p. 29. — Thon, Ent. Arch. I. III. p. 64. — Schh. Curc. Disp. Meth. 27. 1.

Observatio. — Signum *, ut ♂ (mas) et ♀ (femina) ante nomina specifica, significat has species in collectione mea adesse.

Nomina abbreviata significant: *Ghl.*, Gyllenhal. — *Bhn.*, Boheman. — *Schh.*, Schoenherr.

acutis, supra sub-depressus, punctulatus, testaceus, pube densa, depressa, pallida tectus, maculis sex brunneis ornatus, quarum quatuor dorsales, per paria dispositæ, posteriores majores, et una parva in singulo latere. Scutellum fasciculis duobus depressis, pallido-pubescentibus tectum. Elytra antice lata, thoracis basi arcte applicata, mox pone basin valde ampliata, dein posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra depressa, subtiliter punctato-striata, testacea, interstitiis lineatim et maculatim pallido-pubescentibus, interjectis maculis oblongis brunneis, antice in fasciam utrinque dentatam, ab humero ad humerum arcuatim ductam, confluentibus; posterius paucioribus, remotis. Pygidium magnum, semi-ovale, planum, testaceum, basi maculis tribus dense pallido-pubescentibus notatum, cæterum parce pubescens. Corpus subtus testaceum, obsolete punctulatum, pallido-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, pallidi, postici saturatiores, magni, femoribus crassis, compressis, subtus canaliculatis, prope apicem emarginatis, acute dentatis, tibiis sub-triangularibus, costato-angulatis. Ghl.

2. B. Scutellaris. ♂♀

Breviter ovatus, piceus, antennarum basi, pedibus elytrisque ferrugineis, thorace conico, basi callis duobus connatis scutelloque albis, elytris anterius obscuro-maculatis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 399. n° 22.—*Ent. Syst.* II. p. 372. n° 14.
Dej. *Catal. Col.* p. 78.
B. rufus. De Geer. *Ins.* V. p. 281. n° 2. Tab. 16. f. 7. ♀ forte.

Habitat in seminibus utriusque Indiæ, etiam ad Caput Bonæ Spei et in Brasilia. Mus. Schl. et Ghl.

Parvus. *B. granario* minori æqualis. Caput majusculum, deflexum, confertim granulatum, nigro-piceum, opacum, fronte inter oculos carinula satis elevata, utrinque abbreviata notata; oculi magni, lunati, convexi, nigri. Antennæ corporis dimidio longiores, maris extrorsum longius pectinatæ, feminæ obtuse serratæ, plerumque nigræ, articulis quatuor baseos angustioribus ferrugineis; interdum totæ ferrugineæ, alia vica basi apiceque ferrugineæ, medio nigræ, præsertim in feminis. Thorax subconicus, antice duplo angustior, truncatus, lateribus rectis, obliquis, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato, angulis lateralibus prominulis; supra transversim convexus, sub-pulvinatus, confertim subtiliter granulatus, piceus, opacus; in illæsis signaturæ plures albido-pubescentes observantur; in apice nempe linea media abbreviata,

interdum interrupta, sæpe ferrugineo-translucens; in medio disci utrinque punctum parvum album, et versus latera linea una alterave obliqua utrinque; in lobo medio baseos calli duo oblongi, elevati, connati, dense albido-squamosi. Scutellum rotundatum, elevatum, dense albo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi arcte applicata, callo humerali elevato, pone humeros valde ampliata, dein posterius angustata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, evidenter et sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, confertim granulatis; aut saturatius, aut dilutius ferruginea, anterius signaturis obscurioribus brunneis vel nigro-fuscis notata; in ipsa basi nempe litura inæqualis et in medio fascia, externe latior, versus suturam abbreviata, interrupta: in illæsis præterea strigæ duæ utrinque dentatæ, fasciam mediam obscuriorem cingunt, e maculis oblongis, inæqualibus, albo-pubescentibus compositæ, quarum una in medio prope suturam reliquis major, evidentior. Pygidium magnum, subconicum, fere perpendiculare, nonnihil convexum, pube densa, depressa, nivea tectum, versus apicem, utrinque macula brunnea vel fusca notatum. Corpus subtus valde convexum, confertim punctulatum, nigrum vel piceum, maculis niveo-pubescentibus versus latera ornatum. Pedes quatuor antici tenues, toti ferruginei, postici magni, femoribus crassis, elongatis, subtus versus apicem dente mediocri instructis, basi et subtus plerumque nigris, cæterum ferrugineis, tibiis tarsisque ejusdem paris jam ferrugineis, jam piceis.

VAR. β. Colore pallidiore tantum differt; thorax, interdum etiam caput ferruginei; elytra dilutius testacea, maculis obsoletis obscurioribus; abdomen lateribus ferrugineum, basi piceum uti pectus; pedes fere toti ferruginei.

VAR. γ. In cæteris aut ut α, aut ut var. β, sed pygidium vittis duabus nigris aut ferrugineis notatum.

VAR. δ. Saturatius nigra, etiam signaturæ elytrorum, quorum apex itidem anguste niger; *B. 4-maculato* simillima est hæc varietas, sed statura latior, calli in lobo postico thoracis majores, elevatiores, etc. GHL.

* 3. B. RUBENS. *Schh.*

Ovatus, glaber, rufo-testaceus, thorace subconico, convexo, crebre rugoso-punctato, lobo scutellari niveo-squamoso, elytris satis confertim et profunde punctato-striatis, femoribus posticis uni-dentatis.

Habitat in India orientali. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Parvus. *B. scutellari* duplo minor. Caput oblongum, deflexum, collo longo et crasso thoraci adnexum, rufo-piceum, creberrime subtiliter punctulatum, medio carinatum; ore testaceo; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ infra oculos insertæ, longitudine dimidii corporis, rufo-testaceæ, griseo-pubescentes, articulis quatuor baseos angustioribus, sequentibus sensim crassioribus, subperfoliatis, ultimo ovato sub-acuminato. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice multo angustior, sub-truncatus, versus basin sensim ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis prominulis, supra convexus, rufo-testaceus, undique crebre rugoso-punctatus, lobo scutellari emarginato, niveo-squamoso; intra basin utrinque impressus. Scutellum minutum, oblongum, rufo-piceum. Elytra oblongo-quadrata, antice thorace vix latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, lateribus fere recta, apice simultaneo obtuse rotundata, supra parum convexa; tota rufo-testacea, glabra, sat confertim et profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis. Corpus subtus convexum, rufo-piceum, crebre punctulatum, squamulis nonnullis niveis hinc inde adspersum. Pygidium sub-cordatum, crebre punctatum, rufo-piceum, lateribus dilutius testaceis. Pedes quatuor anteriores tenues, pallide testacei; postici longiores et crassiores, rufo-testacei, femoribus subtus dente parvo, obtuso, armatis: tibiis subrectis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.

Observ. — Statura corporis et formatio partium omnino ut in *B. scutellari*, sed duplo minor, fere glaber, totus rufo-ferrugineus, pectore tantum paulo obscuriore; calli in lobo postico thoracis breves, minus elevati. BHN.

4. B. QUADRI-MACULATUS. ♂ ♀

Oblongo-ovatus, piceus, subtus æqualiter albido-pubescens, antennarum basi pedibusque ferrugineis, thoracis lobo baseos macula parva bifida albo-pubescente, elytris angustioribus ferrugineis, macula magna laterali apiceque late nigris. GHL.

FABR. *Sys. el.* II. p. 398. n° 18.—*Ent. Sys.* I. II. p. 371. n° 13.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 19. n° 24. T. 3. f. 24. a. b.

Observ. — *B. Scutellari* valde similis et affinis, sed paulo angustior, præsertim in elytris; macula pallido-pilosa in lobo postico thoracis minor, brevior, vix in callum elevata; elytrorum apex late niger, et venter posterius ferrugineus, densius, æqualiter albido-pubescens, nec maculatim ut in *B. Scutellari*, unde specie distinctus videtur.

Patria: Insulæ Amer. meridionalis, Carolina.

5. B. VICINUS. *Dej.* ♀

Oblongo-ovatus, piceus, supra cinereo subtus albido-pubescens, antennarum basi pedibusque ferrugineis, thorace postice callo brevi, didymo, albido, elytris apice punctisque plurimis piceis.

Habitat in Senegalia. Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

B. Scutellari paulo longior, sed multo angustior. Caput nigro-piceum, confertim punctulatum, fronte inter oculos carinula brevi notata; oculi magni, profunde sed anguste incisi, convexi, nigri. Antennæ dimidio corporis longiores, medio crassiores, vix serratæ, nigræ, articulis tribus primis testaceis, ultimo angusto, acuminato. Thorax subconicus, antice duplo angustior, truncatus, lateribus obliquis, sub-rectis, basi sinuatus, lobo medio lato, emarginato; supra modice convexus, confertim granulatus, piceus, pube depressa cinerea vestitus, relictis in medio dorsi maculis quatuor sub-nudis, et in lobo baseos callis duobus brevibus, connatis, sub-elevatis, dense albido-pubescentibus notatus. Scutellum sub-ovatum, dense albido-pubescens. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali elevato, mox pone basin ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, anguste, regulariter punctato-striata, picea, pube depressa, cinereo-albida inæqualiter adspersa, relictis punctis plurimis majoribus et minoribus apiceque lato sub-nudis, piceis. Pygidium semi-ellipticum, dense albido-pubescens. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter granulatum, dense albido-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenuiores, ferruginei, postici validi, femoribus subtus basi nigris, versus apicem dente armatis. GHL.

* 6. B. SOIJÆ. *Germ.*

Ovatus, niger, supra cinereo-tomentosus, antennarum basi pedibusque testaceis, femoribus posticis basi dimidiato-nigris, muticis, elytris fusco, cinereo et albido tessellatis, pygidio linea media alba notato.

Patria : Surinam. Dom. Prof. GERMAR. Mus. SCHH.

Parvus, *B. Loti* minor. Caput deflexum, convexum, confertim punctulatum, nigro-piceum, parce pubescens; oculi sub-emarginati, nigri, modice prominuli. Antennæ thorace longiores, basi tenues, testaceæ, extrorsum latiores, compressæ, serratæ, nigræ. Thorax subconicus, antice duplo angustior, truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo medio longius producto, lato, apice obtuso; supra modice convexus,

confertim punctatus, fusco-piceus, opacus, tomento tenui, depresso, versus latera et in linea media densiore adspersus. Scutellum oblongum, apice sub-emarginatum, concolor. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, evidenter striata et in striis obsolete punctata, nigra, lineis abruptis cinereo et albido-tomentosis quasi tessellata. Pygidium magnum, semi-ovatum, fere planum, nigro-piceum, cinereo-tomentosum, linea media angusta albo-tomentosa ornatum. Corpus subtus convexum, nigrum, subnitidum, subtilissime punctulatum, lateribus maculatim albido-tomentosum. Pedes quatuor anteriores tenues, testacei; postici robustiores, femoribus latis, sub-compressis, muticis, nigro-piceis, apice cum tibiis tarsisque testaceis. GHL.

* 7. B. PHASEOLI. *Chevrol.*

Oblongo-ovatus, angustior, ferrugineus, pube longiore pallida variegatus, thorace bi-lineato, elytris lineis plurimis abbreviatis nigris, antennis longis, acute serratis.

Habitat in Brasilia, teste Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

B. Scutellari in multis similis, sed longior, densius pubescens. Caput ferrugineum, quoad formam, puncturam, carinulam interocularem, omnino ut in *B. Scutellari;* oculi etiam ut in illo. Antennæ corporis dimidio multo longiores, acute serratæ, testaceæ, medio infuscatæ, articulo ultimo elongato, angusto, pallido. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius multo angustior, subconicus, apice truncatus, lateribus obliquis, sub-rectis, basi sinuatus, lobo medio obtuse rotundato, angulis lateralibus acutis; supra in medio longitudinaliter convexus, confertim granulatus, ferrugineus, pube longiore, densa, depressa, pallida vestitus, in lobo basali callum sub-elevatum, bifidum formante; in medio dorsi vittæ duæ abbreviatæ, approximatæ, obscuriores, interdum obsoletæ. Scutellum ovatum, dense albido-pubescens. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, callo humerali elevato, pone humeros ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis subtilissime alutaceis; ferruginea, pube pallida inæqualiter adspersa, lineolisque abbreviatis nigris, interdum confluentibus notata. Pygidium magnum, semi-ellipticum, ferrugineum, dense pallido-pubescens. Corpus subtus saturatius ferrugineum, confertim punctulatum, dense, æqualiter pallido-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, toti pallidi, postici validi,

saturatius ferruginei, femoribus subtus canaliculatis, versus apicem utrinque denticulo armatis, interdum versus basin infuscatis. GHL.

* 8. B. ORNATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, supra sub-depressus, pube albida variegatus, elytris macula marginali magna denudata, nigra, antennis pedibusque rufo-testaceis.—BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 3. n° 1.

Patria: Sierra-Leona.

* 9. B. CRUCIATUS.

Breviter ovatus, ater, tenue albido-pubescens, antennis maris pectinatis, feminæ acute serratis, elytris cruce media et postice late griseo-albidis; pedibus nigris, femoribus rufis, posticis dentatis.

B. cruciatus. * HUMMEL. *Essais entom.* VI. p. 9. n° 12.

E Brasilia in seminibus Clitoriarum. Mus. MANNERH. et SCHH.

Magnitudo fere *B. granarii.* Caput deflexum, atrum, opacum, creberrime subtiliter punctulatum, inter oculos carinatum, collo crasso thoraci adfixum. Oculi lunati, prominuli, nigro-brunnei. Antennæ mox infra oculos insertæ, longitudine dimidii corporis, nigræ; maris pectinatæ, feminæ acute serratæ; articulo ultimo oblongo-ovato, sub-acuminato. Thorax apice truncatus, antice nonnihil angustatus, compressus, angulis deflexis, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, in medio lobo lato, ante-scutellari munitus, angulis acutis, supra convexus, sat profunde minus crebre punctulatus, ater, pube tenui, depressa, cinereo-albida, adspersus. Scutellum minutum, punctiforme, niveo-pubescens. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace vix latiora, sed illo plus duplo longiora, humeris elevatis, mox pone humeros perparum ampliata, dein apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra fere plana, punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis, atra, pube tenuissima cinerea adspersa; sutura tota, fascia transversa media angusta, obliqua, apiceque late dense albido-pubescentibus. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, pube tenui cinereo-argentea adspersum, immaculatum. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, tenue sericeo-pubescens. Pedes nigri; femoribus rufis, basi infuscatis, posticis clavatis, subtus ante apicem dente parvo, acuto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 10. B. Flabellicornis. *Schh.*

Ovatus, niger, opacus, thorace rude rugoso-punctato, elytris, punctato-striatis, antennis crassis, profunde serratis.—Bohem. *in Acta Mosq.* VI. p. 5. n° 3.

Patria : Sierra-Leona.

* 11. B. Humeralis. *Klug.*

Oblongo-ellipticus, niger, subtus dense cinereo-sericeus, pedibus quatuor anterioribus obscure testaceis, thorace convexo, disperse punctato, cinereo-sericeo, elytris remote punctato-striatis, plaga magna humerali ferruginea ornatis.

Patria : Mexico. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Schl. et Ghl.

E majoribus generis. *Spermophago Robiniæ* æqualis. Caput inflexum, postice valde convexum, subtilissime punctulatum, nigrum, pube cinereo-sericea vestitum; oculi mediocres, antice triangulariter profunde incisi, nigro-brunnei. Antennæ vix thoracis basin attingunt, extrorsum latiores, compressæ, sub-serratæ, totæ nigræ. Thorax subconicus, antice plus duplo angustior quam basi, apice truncatus, lateribus obliquis, rectis; basi bi-sinuatus, angulis nempe lateralibus nonnihil retrorsum productis, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra modice convexus, præsertim anterius; sat profunde, disperse punctatus, in medio baseos canalicula brevi insculptus, totus niger, pube tenui cinereo-sericea vestitus. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi arcte applicata, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra externe sub-convexa, juxta suturam impressa, evidenter sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, tenuissime pubescentia; plaga magna humerali, posterius indeterminata, saturate ferruginea ornata. Pygidium magnum, rotundatum, punctatum, nigrum, dense cinereo-sericeum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, pube cinereo-sericea dense vestitum. Pedes quatuor anteriores parvi, obscure testacei, cinereo-pubescentes; postici magni, nigri, pube cinerea vestiti, femoribus latis, compressis, subtus canaliculatis, interne versus apicem dente acuto armatis, tibiis sub-arcuatis, tarsis elongatis, cylindricis. Ghl.

* 12. B. MIMOSÆ.

Oblongo-ellipticus, parum convexus, fusco-testaceus, subtus tomento denso albo-sericeo vestitus, supra cinereo sub-variegatus, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace granulato, dorso bi-foveolato, elytris tenuiter punctato-striatis, femoribus posticis subtus dente acuto armatis.

FABR. *Sys. el.* II. p. 401. n° 36. — *Ent. Syst.* I. II. p. 374. n° 23. — *Mant.* I. p. 42. n° 20. — *Spec. ins.* p. 76. n° 16.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 13. n° 13. *Tab.* II. f. 13. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 201. n° 23.

LINN. *Sys. nat.* GMEL. I. IV. p. 1736. n° 24.

B. fuliginosus. Dom. Com. DEJEAN in Litteris, teste Dom. Com. MANNERHEIM.

Patria : America meridionalis et ejus Insulæ. Mus. SCHL. et GHL.

B. granario fere longior, sed angustior. Caput majusculum, deflexum, convexum, punctulatum, fusco-testaceum, tenuiter tomentosum, ore palpisque pallidis; oculi magni, lunati, nigri. Antennæ vix thoracis basin superant, extrorsum latiores, compressæ, subserratæ, plerumque pallide testaceæ, interdum versus apicem infuscatæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus sub-obliquis, nonnihil ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo, medio lato, producto, obtuse rotundato; supra minus convexus, alutaceus, obsolete canaliculatus, foveis duabus dorsalibus, interdum obsoletis, aliaque majore intra angulum posticum utrinque impressus; fusco-testaceus, cinereo-tomentosus. Scutellum apice sub-emarginatum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; pone basin oblique ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; fusco-testacea, tomento cinereo vestita. Pygidium magnum, semi-ellipticum, punctulatum, dense cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigro-piceum, tomento denso albido-sericeo tectum. Pedes pallide testacei, albido-tomentosi, anteriores mediocres, simplices; postici magni, femoribus latis, compressis, subtus canaliculatis, et versus apicem interne dente longiore acuto duabusque minutis armatis; tibiis vix arcuatis, tarsis elongatis cylindricis.

VAR. β. Differt tantum colore obscuriore, fusco-piceo, elytris evidentius fusco-albidoque sub-tessellatis. GHL.

13. B. CHLOROTICUS. *Schh.*

Ovatus, thorace pectoreque nigris, albo-pilosis; abdomine, elytris, antennis pedibusque pallide ferrugineis, femoribus posticis obsolete dentatis.

Habitat in Senegalia. Mus. PAYKULLIANUM.

Parvus. Magnitudo et statura *B. olivacei*, Germ. Antennæ totæ ferrugineæ. Caput nigrum, nitidum, ore rufescente. Thorax subtrapeziformis, basi ampliatus, bi-sinuatus, lobo scutellari rotundato, impresso, angulis posticis acutis, prominulis; antice angustatus, lateribus deflexus, sinuato rotundatus, totus niger, æqualis, pilis albidis, depressis vestitus. Scutellum oblongum, nigrum, albo-pubescens. Elytra latitudine manifeste longiora, singulum basi apiceque rotundatum, dorso fere plana, ferruginea, pilis depressis albidis tecta. Pectus nigrum, albo-pilosum. Abdomen pallide-ferrugineum, albo-pubescens, pygidio magno, deflexo, planiusculo, cordato, summo apice nigricante. Pedes omnes pallide ferruginei; posticorum femora crassiora, compressa, ante apicem nonnisi denticulo minutissimo, obsoleto, latere tantum interiore conspicuo, armata. DALMAN.

14. B. THEOBROMATIS (1).

Elytris griseis, nigro-maculatis, pedibus rufis, scutello albo.

FABR. *Sys. el.* II. p. 397. n° 11.

LINN. *Sys. nat.* ed. GMEL. I. IV. p. 1735. n° 2.

B. Theobromæ. LINN. *Sys. nat.* I. II. p. 605. n° 2.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 371. n° 9.—*Mant.* I. p. 41. n° 10.—*Sp. ins.* I. p. 75. n° 7.—*Syst. Ent.* p. 65. n° 5.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 199. n° 13.

Patria : India orientalis.

15. B. ANALIS (1).

Subferrugineus, elytris apice atris; ano atro; linea apicis alba.

FABR. *Sys. el.* II. p. 398. n° 14.—*Ent. Sys.* I. II. p. 371. n° 11. —*Mant.* I. p. 42. n° 12.—*Sp. ins.* I. p. 75. n° 9.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 200. n° 16.

B. analis. LINN. *Sys. nat.* GMEL. I. IV. p. 1735. n° 16.

Patria : India orientalis.

---

(1) *B. scutellari* et 4-*maculato* valde affines videntur; nobis vero ignoti.

16. B. BI-GUTTELLUS (1).

Thorace nigro, lineolis duabus baseos scutelloque albis, elytris basi rufis, antennis flabellatis.—FABR.

B. bi-guttatus. FABR. *Sys. el.* II. p. 402. n° 41.

Patria : Carolina.

17. B. BI-STRIATUS (1).

Thorace nigro, lineolis duabus baseos approximatis scutelloque albis, elytris rufis : strigis duabus albidis.

FABR. *Sys. el.* II. p. 402. n° 42.

Patria : America meridionalis.

Manipulus. II. — Femora mutica.

18. B. CORYPHÆ.

Obscure ferrugineus, pygidio corporeque subtus cinereo-tomentosis, capite antennisque nigris, thorace subconico, confertim punctulato, elytris rude, remote punctato-striatis ; antennis maris longius pectinatis, feminæ serratis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 402. n° 40.

Patria : America septentrionalis.

* 19. B. BI-GUTTATUS.

Niger, elytris striatis, postice maculis duabus rufis.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 20. n° 27. T. 3. f. 27. a. b.

* VAR. β. Macula elytrorum magna, oblongo-ovata, apicem versus paulo dilatata, rufo-testacea. *

Patria : Gallia, Tauria.

* 20. B. FULVIPENNIS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-pubescens, elytris sat profunde punctato-striatis, sanguineis, basi nigris, pedibus rufis, posterioribus basi infuscatis.—BHN.

GERM. *Ins. spec.* I. p. 180. n° 298.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 79.

Patria : Dalmatia.

---

(1) *B. scutellari* et *4-maculato* valde affines videntur ; nobis vero ignoti.

* 21. B. HALODENDRI. *Gebler.*

Thorax conicus, femoribus muticis, testaceus, albido-pubescens, oculis nigris.

HUMM. *Essais entom.* VI. p. 8.

Habitat in floribus et seminibus *Robiniæ Halodendri* ad Fl. Irtysch Sibiriæ. Mus. SCHH. et GEBLER.

Magnitudo et statura *B. bi-guttati.* Testaceus, pube brevi, subtus densiore et nitidiore tectus. Caput subfuscum, dense pallide pubescens, linea elevata fusca inter oculos; os testaceum; oculi lunati, nigri, tenue pubescentes. Antennæ extrorsum crassiores et obsolete serratæ, longitudine dimidii corporis. Collum punctulatum, minus pubescens. Thorax antice coarctatus, lateribus fere rectus, postice sinuatus, supra convexus, punctulatus, dense albido certo situ fulvo-pubescens. Scutellum parvum, rotundatum. Elytra oblonga, thorace latiora, lateribus parum dilatata, apice singulatim rotundata, punctato-striata, interstitiis subtilissime punctulatis. Pygidium dense albido-tomentosum. Corpus subtus tomento albido, denso tectum; pedes sparsius tomentosi, femoribus compressis, ungulis fuscis. GEBLER.

22. B. MIMUS. *Schh.*

Obscure ferrugineus, pygidio corporeque subtus dense albido-tomentosis, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace brunneo-variegato, elytris pallidioribus, tenuiter striatis, signaturis variis nigris notatis.

Patria: Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Magnitudo et fere statura *B. 4-maculati.* Caput triangulare, punctulatum, ferrugineum, parce albido-tomentosum, fronte impressa; oculi profunde sed anguste incisi, brunnei. Antennæ crassiusculæ, serratæ, pallide testaceæ. Thorax subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi utrinque truncatus, lobo medio magno, producto, sub-emarginato; supra in medio longitudinaliter convexus, punctulatus, ferrugineus, tomento albido adspersus, maculisque numerosis brunneis variegatus. Scutellum oblongum, angustum, apice emarginatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim

obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, tenuiter striata, pallidius testacea, tomento albido parce adspersa, in disco maculis parvis, obsoletis, brunneis variegata, ad margines et suturæ apicem signaturis variis nigris notata, quarum una suturalis pone medium reliquis major et nonnullæ apicis sub-ocellatæ. Pygidium magnum, orbiculatum, dense albido-tomentosum. Caput subtus fuscum, tomento denso albido vestitum. Pedes breviusculi, validi, pallide testacei, albido tomentosi. GHL.

23. B. LUDICRUS. *Schh.*

Supra fusco-ferrugineus, subtus nigricans, parcius cinereo-tomentosus, antennis pedibusque testaceis, thorace convexo, brunneo maculato, elytris inæqualiter striatis, maculis oblongis brunneis et cinereis alternantibus tessellatis.

Patria: Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo fere *B. 4-maculati.* Caput depressum, punctulatum, dilate ferrugineum, parce cinereo-tomentosum, vertice convexo, fronte impressa; oculi anguste incisi, brunnei. Antennæ extrorsum crassiores, sub-serratæ, dilutius ferrugineæ. Thorax subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi utrinque truncatus, angulis acuminatis, lobo medio lato, producto, sub-emarginato; supra convexus, confertim punctatus, ferrugineus, tomento cinereo vestitus, maculisque numerosis brunneis notatus, quarum duæ ad marginem anticum majores, oblongæ. Scutellum breve, apice emarginatum, dense cinereo-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, minus regulariter striata, ferruginea, tomento cinereo adspersa, maculisque oblongis brunneis in interstitiis notata, unde quasi tessellata; sutura tota latius brunnea. Pygidium magnum, semi-ellipticum, punctulatum, ferrugineum, parce cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, opacum, minus dense cinereo-tomentosum. Pedes breviusculi, validi, testacei, parce cinereo-tomentosi. GHL.

24. B. BI-MACULATUS.

Niger, griseo-varius, elytris striatis, griseis, punctis, maculis duabus apiceque nigris.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 18. n° 22. T. 3. f. 22. a. b.

Patria : Gallia.

25. B. DISPAR. *Chevrol.*

Ovatus, niger, tomento depresso cinereo-albido, subtus dense, supra plagiatim vestitus, femorum apice tibiisque testaceis, thoracis disco, elytrorum plaga laterali apiceque denudatis nigris.

Mas. *Antennis longis, sub-serratis, articulis tribus ultimis testaceis.*

Femina. *Antennis brevioribus, articulo tantum ultimo obscure testaceo.*

Patria: Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT hoc nomine designatus, et ex ejus Musæo ad describendum communicatus.

B. bi-maculato. Oliv. et *B. variegato*, Germ. quoad signaturas simillimus, sed plus duplo minor et color pedum posticorum alius. Caput triangulare, convexum, confertim punctulatum, nigrum, opacum; fronte carinata; oculi lunati, nigri. Antennæ maris dimidio corpore longiores, latæ, compressæ, interne serratæ, basi obscure testaceæ, medio nigræ, articulis tribus ultimis totis dilute testaceis. Antennæ feminæ breviores, angustiores, parum serratæ, nigræ, articulis quatuor primis baseos et ultimo apicis obscure testaceis. Thorax breviter subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, rectis, basi utrinque truncatus, angulis acutis, lobo medio producto, sub-emarginato; supra convexus, confertim punctatus, niger, lateribus et postice tomento denso, depresso, albido vestitus, disco reliquo nudo, nigro. Scutellum parvum, dense albido-tomentosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; tomento albido, ad suturam, late, in basi et fascia pone medium inæqualiter vestita, relicta plaga magna laterali et apice nudis, nigris. Pygidium sub-triangulare, nigrum, cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento depresso, cinereo, nitido vestitum. Pedes tenues, femoribus nigris, nitidis, apice testaceis, tibiis omnibus testaceis, tarsis elongatis fuscis. GHL.

* 26. B. VARIEGATUS. *Dejean.*

Niger, thorace fusco-tomentoso, antennarum basi pedibusque anterioribus rufis, elytrorum sutura fasciisque undulatis griseis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 181. n° 300.

Patria: Dalmatia, Tauria, Gallia meridionalis.

* 27. B. DISPERGATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinereo-albida variegatus, thorace antice subito coarctato, antennis latis, compressis, basi ferrugineis, pedibus anterioribus testaceis, femoribus basi dimidiato-nigris.

Habitat Parisiis. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

B. variegato, Germ. simillimus, sed dimidio minor, thorace aliter formato præcipue distinctus. Caput deflexum, confertim granulatum, nigrum, parce pubescens, fronte inter oculos carinula brevi notata; oculi profunde incisi, modice prominuli, nigri. Antennæ corporis dimidio parum longiores, articulo primo subcylindrico, supra nigro, subtus ferrugineo, 2, brevi, 3, 4, longioribus, sub-obconicis, testaceis, sequentibus gradatim multo latioribus, compressis, nigris, subtus acute serratis. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice subito valde coarctatus, truncatus, lateribus ante medium ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio obtuse rotundato, depresso; supra transversim convexus, confertim alutaceus, niger, pube cinereo-albida, versus latera et in lobo baseos magis condensata, adspersus. Scutellum breve, sub-rotundatum, dense albido-pubescens. Elytra antice sinuata, callo humerali elevato, pone humeros ampliata, dein nonnihil angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, evidenter striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis subtilissime rugulosis: nigra, pube cinereo-albida, ad basin, suturam et in strigis duabus macularibus densiore, adspersa. Pygidium cordatum vel sub-triangulare, nigrum, pube densa albida tectum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, albido-pubescens. Pedes quatuor anteriores testacei, femoribus a basi ultra medium nigris; postici validiores, toti nigri. GHL.

* 28. B. DECORUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube longiore grisea alboque variegatus, elytris macula magna sub-quadrata marginali nigra; antennis crassis pedibusque rufo-testaceis.—BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 6. nº 4.

B. variegatus. Dom. STEV. in Litt.

Patria : Tauria.

* 29. B. MARGINELLUS.

Niger, elytris cinereis, maculis tribus nigris, margine connexis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 397. nº 10. — *Ent. Sys.* I. II. p. 371. nº 10.

Dict. des sciences nat. V. p. 374. n° 2.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 290. n° 2.

B. marginalis. FABR. *Mant.* I. p. 42. n° 11. — *Sp. ins.* I. p. 75. n° 8. — *Gen. ins. Mant.* p. 212. n° 5-6.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 17. n° 21. T. 3. f. 21. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 199. n° 15.

VILL. *Ent.* I. p. 122. n° 5. et IV. p. 265. n° 5.

LINN. *Syst. nat.* ed. GMEL. I. IV. p. 1735. n° 15.

B. Persicæ. WALCKEN. *Faune Paris.* I. p. 230. n° 7. forte.

Patria: Germania, Gallia, Tauria.

* 30. B. ASTRAGALI. *Stev.*

Oblongo-ovatus, niger, pube grisea alboque variegatus, elytris albo-fasciatis, tibiis rufo-testaceis, tarsis genibus femorumque basi piceis. — BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 7. n° 5.

Patria: Tauria.

* 31. B. FISCHERI.

Niger, dense olivaceo-tomentosus, elytris striatis, maculis denudatis nigris; antennis basi pedibusque anterioribus rufis.

HUMMEL. *Essais ent.* VI. p. 9. n° 4.

Patria: ——— (Petropoli?)

* 32. B. LUCIFUGUS. *Schh.*

Ovatus, niger, supra dense griseo subtus argenteo-pubescens, antennarum basi pedibusque anterioribus rufo-testaceis.

Habitat in Tauria. A Dom. STEVEN nomine *B. Lentis* benevole communicatus. Mus. SCHH.

B. olivaceo, Germ. proximus sed latior, fere statura *B. granarii.* Caput oblongum, deflexum, nigrum, creberrime rugoso-punctatum, pube densa depressa, fulvescenti-grisea obductum; collo sublineari, crasso, thoraci adfixum; fronte carinata; ore ferrugineo; oculis lunatis, prominulis, obscure brunneis. Antennæ longitudine dimidii corporis, articulis tribus baseos angustioribus, rufo-testaceis, sequentibus multo crassioribus, perfoliatis, atris, pube grisea tectis, ultimo ovato, acuminato. Thorax brevis, transversus, antice multo angustior, sub-emarginatus, angulis rotundatis, ante medium nonnihil ampliatus, angulis baseos sub-prominulis, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, subtiliter rugoso-punctatus, pube fulvescenti-grisea undique dense tectus. Scutellum

parvum, oblongo-quadratum, griseo-pubescens. Elytra thorace multo latiora et pone basin adhuc magis dilatata, humeris rotundatis, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra; regulariter, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime rugulosis; tota pube depressa fulvescenti-cinereo undique dense obtecta. Pygidium nigrum, sericeo-pubescens, immaculatum. Corpus subtus valde convexum, nigrum, argenteo-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, rufo-testacei; femoribus anticis basi intermediis ultra medium, nigris; postici multo longiores et crassiores, totis nigris, cinereo-pubescentes, femoribus muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

33. B. PICIPES. *Ziegl.* (1).

Niger, fusco-tomentosus, antennis pedibusque rufis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 182. n° 302.

Patria: Dalmatia.

* 34. B. INSPERGATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea variegatus, antennis angustioribus, medio nigris, basi apiceque testaceis, pedibus testaceis, femorum basi tarsisque posticis nigris.

Habitat Parisiis. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Magnitudo fere et statura *B. marginelli.* Fabr. — *B. braccato.* Steven et *B. femorali.* Nob. simillimus et nimis affinis, distingui tamen potest, præcipue antennarum structura. Caput majusculum, deflexum, convexum, confertim granulatum, nigrum, cinereo-pubescens, fronte inter oculos carinula brevi notata; oculi late et profunde incisi, parum prominuli, nigri. Antennæ corporis dimidio paulo longiores, sub-tenues, articulo primo majore, supra nigro, subtus testaceo, 2, 3, parvis, nodosis, testaceis, supra puncto nigro notatis, quarto paulo majore, obconico, testaceo, 5-10, paulo crassioribus, sub-serratis, nigris, ultimo oblongo-ovato, acuminato, testaceo. Thorax latitudine baseos parum brevior, subconicus, apice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, rotundato, depresso; supra in medio valde convexus, pulvinatus, confertim granulatus, niger, pube cinerea, versus latera plagiatim condensata, adspersus. Scutellum ovatum, cinereo-pubescens. Elytra

(1) Mihi invisus.

ampla, breviter ovata, antice singulatim rotundata, callo humerali elevato; pone humeros nonnihil ampliata, posterius parum angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, anguste punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, sutura maculisque plurimis inæqualibus cinereo-pubescentibus adspersa. Pygidium sub-triangulare, nigrum, cinereo-pubescens, basi maculis tribus albido-pilosis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-pubescens, pectoris ventrisque lateribus albido-maculatis. Pedes quatuor anteriores tenuiores, pallide testaceæ, femoribus basi dimidiato-nigris; postici validiores, femoribus a basi ultra medium nigris, dein testaceis, genibus infuscatis, tibiis testaceis, apice tarsisque totis nigris. GHL.

35. B. TARSALIS. *Schh.*

Niger, tomento albido plagiatim variegatus, antennis extrorsum latis, compressis, nigris, basi pallide testaceis, pedibus testaceis, femorum basi tarsisque omnibus nigris.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Museo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

B. inspergato simillimus, a quo unice differt antennis extrorsum crassioribus nigris, tarsisque omnibus ejusdem coloris, forte alter sexus vel varietas ejusdem speciei. Caput et oculi omnino ut ad *B. inspergatum* descripta. Antennæ longitudine dimidii corporis, articulis quatuor baseos angustioribus testaceis, primo supra nigro; sequentibus dilatatis, compressis, utrinque sub-serratis, ultimo ovato; totis nigris. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, in medio nonnihil ampliatis, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, producto, rotundato; supra in medio valde convexus, confertim ganulatus, niger, tomento denso, depresso, albido versus latera vestitus, disco fere nudo. Scutellum oblongum, apice emarginatum, dense albido-tomentosum. Elytra antice sinuata, callo humerali elevato, lateribus ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, tomento depresso albido vestita, maculis nonnullis fuscis adspersa. Pygidium subtriangulare, dense albido-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, maculatim albido-tomentosum. Pedes longiusculi, subtenues, pallide testacei, femoribus a basi ultra medium nigris, tarsisque omnibus fusco-nigris. GHL.

36. B. GALEGÆ. *Ziegler.*

Oblongo-ovatus, niger, supra tomento obscure cinereo vestitus, antennis crassioribus medio nigris, basi apiceque testaceis, pedibus testaceis, femorum basi tarsisque posticis nigris, elytris albido fuscoque tessellatis.

B. imbricornis. var.? DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Museo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

B. inspergato iterum simillimus et valde affinis; differre tamen videtur antennis crassioribus et elytris distincte tessellatis. Caput et oculi omnino ut ad *B. inspergatum* descripta. Antennæ vix thoracis basin superant, extrorsum latæ, compressæ, utrinque sub-serratæ, articulis quatuor baseos et ultimo testaceis, reliquis nigris. Thoracis structura ut in jam nominato, supra tomento cinereo et albido sub-lineatim adspersus. Scutellum breve, apice emarginatum, dense albido-tomentosum, elytrorum forma etiam ut in *B. inspergato*, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, nigra, tomento denso, depresso, obscure cinereo vestita, in interstitiis alternis maculis oblongis albido-tomentosis aliisque interjectis fuscis tessellata. Pygidium semi-orbiculatum, dense cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento denso albido sub-argenteo vestitum. Pedes quatuor anteriores tenues, pallide testacei, femoribus basi dimidiato-nigris; postici validiores, femoribus nigris, apice testaceis; tibiis testaceis, basi infuscatis; tarsis elongatis, totis nigris. GHL.

* 37. B. BRACCATUS. *Steven.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinereo-albida variegatus, antennis latioribus compressis, medio nigris, basi apiceque testaceis, pedibus testaceis, femorum basi tarsisque posticis nigris.

B. imbricornis, var. Dom. Com. DEJEAN. in Litt.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. In Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH. et GHL.

Præcedenti, ut dictum, simillimus et valde affinis, antennis latioribus, aliter coloratis, præcipue distinctus. Caput et oculi ut in præcedente. Antennæ dimidio corporis vix longiores, articulis quatuor baseos ut in priori constructis, plerumque totis testaceis, sequentibus gradatim latioribus, compressis, utrinque leviter ser-

ratis, 5-9 nigris, ultimis duobus, rarius tribus, iterum testaceis, apicali ovato. Thorax quoad structuram, puncturam et colorem ut in priori, sed pubescentia cinereo-albida magis uniformis, versus latera densior, non vero plagiatim inæqualiter condensata. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma et color etiam ut in illo, sed striæ punctatæ adhuc subtiliores apparent et pubescentia cinereo-albida densior, superficiem fere totam plagiatim, non maculatim occupans. Pygidium quoad formam ut in priori, nigrum, pube albida, basi densiore tectum. Corpus subtus ut in priori. Pedes quatuor anteriores tenuiores, pallide testacei, basi plus minusve nigri; postici validi, femoribus a basi ultra medium nigris, dein testaceis, genibus fuscis, tibiis testaceis, apice tarsisque totis nigris. Ghl.

* 38. B. Femoralis.

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea variegatus, antennis tenuioribus testaceis, extrorsum infuscatis, pedibus testaceis, femoribus basi nigris.

B. imbricornis, var. (*Galegæ?* Ziegl.) Dejean. *Catal. Col.* p. 79.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh. et Ghl.

B. inspergato et *braccato*, ut dictum, simillimus et valde affinis, antennarum structura et colore tarsorum posticorum tamen distinctus videtur. Caput et oculi ut in jam nominatis. Antennæ vix dimidiam corporis longitudinem attingunt, articulo primo longiore, sæpe supra infuscato; 2, 3, 4 sub-obconicis, fere æqualibus, 5-10 latioribus, utrinque sub-serratis, ultimo ovato, testaceæ, extrorsum ab articulo quinto vel sexto supra plus minusve infuscatæ. Thorax quoad structuram, colorem et puncturam ut in nominatis, sed pubescentia fusco-cinerea magis inæqualis, plagiatim variegata. Elytrorum forma, color, striæ tenues ut in *B. braccato*, et pubescentia fusco-cinerea, satis densa, plagiatim variegata. Pygidium et corpus subtus ut in prioribus. Pedes etiam ut in *B. braccato*, sed tibiæ et tarsi postici toti testacei. An modo sexu a *B. braccato* distinctus? Ghl.

* 39. B. Imbricornis.

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea sub-variegatus, antennis longioribus totis testaceis, ab articulo quarto latis, compressis, pedibus testaceis, femoribus quatuor posterioribus basi breviter nigris. — Ghl.

Panz. *Faun. Germ.* XXV. 24. — *Ent. Germ.* p. 292. n° 11.

B. nebulosus. Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 20. n° 26. T. 3. f. 26. a. b.

B. Galegæ. Rossi. *Faun. Etr. Mant.* II. App. p. 82. n° 10.
Patria : Germania, Gallia, Italia.

Observ. — Antennæ dimidiam corporis longitudinem superant, totæ rufo-testaceæ, valde latæ, compressæ, utrinque subserratæ, articulis tantum tribus baseos angustioribus. Pedes rufo-testacei, femoribus mediis basi parum, posticis vix ad medium nigris.

* 40. B. BASALIS.

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea æqualiter vestitus, antennis brevioribus, totis rufo-testaceis, sub articulo quinto paulo crassioribus, pedibus rufo-testaceis, femoribus omnibus basi nigris.

Habitat in Lusitania. Mus. SCHH. et GHL.

B. imbricorni magnitudine et statura simillimus; distinctus tamen videtur, antennis brevioribus, aliter constructis, femoribus basi latius nigris, pubescentia non variegata, etc. Caput majusculum, inflexum, subtiliter alutaceum, nigrum, vertice valde convexo, fronte inter oculos carinula brevi notata: oculi profunde incisi, modice prominuli, nigri. Antennæ corporis dimidio breviores, totæ rufo-testaceæ, articulis quatuor baseos angustis, subæqualibus, sequentibus gradatim latioribus, compressis, sub-serratis, transversis, ultimo ovato. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio depresso, obtuse rotundato, supra convexus, pulvinatus, confertim alutaceus, niger, pube depressa cinerea æqualiter adspersus. Scutellum ovatum, nigrum. Elytra antice sinuata, callo humerali elevato, pone basin subito ampliata, dein nonnihil angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis: nigra, pube depressa, cinerea æqualiter adspersa. Pygidium semi-ellipticum, nigrum, cinereo-pubescens. Corpus subtus nigrum, subtilissime alutaceum, cinereo-pubescens. Pedes rufo-testacei, femoribus omnibus basi nigris, anterioribus brevius, posticis ultra medium. GHL.

* 41. B. PUSILLUS. *Megerle.*

Niger, fusco-tomentosus, antennis basi pedibusque anterioribus rufis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 181. n° 301.
DEJ. *Catal. Col.* p. 79.

Patria : Dalmatia.

42. B. HOLOSERICEUS. *Schh.*

Ovatus, niger, unicolor, pube tenui cinerea adspersus, thorace subtriangulari, punctatissimo, obsolete canaliculato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis rugulosis.

Patria : Persia. Mus. Dom. FALDERMANN.

B. Pisi paulo minor, angustior. Caput elongatum, angustum, deflexum, confertissime punctulatum, nigrum; oculi mediocres, emarginati, nigri. Antennæ longitudine dimidii corporis, extrorsum crassiores, compressæ, totæ nigræ. Thorax brevis, triangularis, antice triplo angustior quam basi, apice truncatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi utrinque truncatus, angulis acutis, lobo medio lato, modice producto, rotundato; supra sub-convexus, in medio obsolete canaliculatus, undique confertissime punctatus, niger, tenuiter cinereo-tomentosus. Scutellum breve, apice emarginatum, concolor. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi ibi non latiora, humeris alte elevatis; pone humeros lobo deflexo valde ampliata, dein angustiora, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, ad suturam depressa, obsoletius punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertim rugulosis; nigra, pube tenui cinerea adspersa. Pygidium semi-ellipticum, punctulatum, nigrum, pubescens. Corpus subtus convexum, confertissime punctulatum, nigrum, densius cinereo-pubescens. Pedes longiusculi, punctulati, pubescentes, toti nigri, postici longiores et validiores, femoribus subtus obsoletissime densatis, tibiis sub-rectis, versus apicem latioribus, tarsis elongatis, cylindricis. GHL.

* 43. B. CANUS.

Oblongo-ovatus, niger, pube tenui cinereo-albida æqualiter adspersus, thorace exacte conico, confertim subtiliter granulato, elytris evidentius punctato-striatis, antennis ab articulo quarto latioribus serratis.—GHL.

GERM. *Ins. spec.* I. p. 183. n° 304.
B. unicolor. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 17. n° 20. T. 2. f. 20. a. b.
DEJ. *Catal. Col.* p. 79.

Patria : Germania, Gallia, Lusitania.

44. B. DEBILIS. *Schh.*

Niger, unicolor, subtilissime cinereo-tomentosus, thorace longiore, subconico, elytris convexioribus punctato-striatis, antennis tenuibus.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

B. cano Germ. simillimus et valde affinis, sed dimidio minor, antennæ angustiores, thorax paulo longior et indumentum magis subtile. Caput oblongum, convexum, confertim punctulatum, nigrum, opacum, fronte breviter carinata; oculi lunati, brunnei. Antennæ dimidio corporis paulo longiores, totæ nigræ, multum angustiores quam in *B. cano*. Thorax latitudine baseos vix brevior, subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, sub-rectis, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, rotundato; supra convexus, confertim subtiliter punctulatus, niger, tomento tenuissimo parce adspersus, ante medium baseos canalicula brevi, angusta insculptus. Scutellum breve, apice emarginatum, densius albido-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, callo humerali elevato; lateribus ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra sub-convexa, distincte striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, punctulatis; nigra, tomento subtilissimo parce adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctulatum, densius cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, magis nitidum, subtilissime tomentosum. Pedes longiusculi, sub-tenues, toti nigri. GHL.

* 45. B. OLIVACEUS.

Oblongo-ovatus, niger, dense olivaceo-tomentosus, thorace exacte conico, remotius granulato, elytris tenuiter punctato-striatis, antennis ab articulo quarto latioribus serratis.—GHL.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 183. n° 305.

Patria : Germania.

46. B. TIBIELLUS. *Schh.*

Niger, undique tomento tenui cinereo æqualiter adspersus, tibiis anterioribus obscure testaceis, thorace oblongo, subconico, angusto. Elytrorum striis vix punctatis, antennis latis, compressis, utrinque sub-serratis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Minutus, *B. pusillo* minor. Caput triangulare, confertissime punctulatum, nigrum, opacum, fronte leviter carinata; oculi lunati, brunnei. Antennæ dimidio corporis longiores, totæ nigræ, articulis tribus baseos angustis, sequentibus latis, compressis, cya-

thiformibus, ultimo ovato. Thorax angustus, subconicus, latitudine baseos fere longior, apice truncatus, lateribus obliquis, rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio lato, rotundato; supra convexus, confertissime punctulatus, niger, opacus, tomento subtili cinereo adspersus. Scutellum oblongum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, sed in striis vix punctata, interstitiis planis, subtiliter punctulatis; nigra, subnitida, tomento subtili cinereo adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctulatum, nigrum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, sub-nitidum, tenuiter cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, tenues, nigri, tibiis anterioribus obscure testaceis. Ghl.

* 47. B. Nanus. *Ziegl.*

Thorace oblongo, antice coarctato, niger, griseo-tomentosus, coleoptris oblongo-quadratis, punctato-striatis, vertice carinato.

Germ. *Ins. sp.* I. p. 182. nº 303.

Patria: Dalmatia, Tauria.

48. B. Cinerascens. *Chevrol.*

Niger, undique dense griseo-tomentosus, antennis basi obscure testaceis, elytris punctis denudatis nigris irroratis.

Patria: Sicilia. A Dom. Chevrolat hoc nomine designatus, et ex ejus Musæo ad describendum communicatus.

B. cano. Germ. propinquus, sed dimidio minor, angustior, longius et densius tomentosus, etc. Caput triangulare, convexum, confertim punctulatum, nigrum, opacum, fronte tuberculo elevato, nitido notata; oculi lunati, nigro-brunnei. Antennæ longiusculæ, compressæ, sub-serratæ, nigræ, articulis quatuor baseos angustioribus, obscure ferrugineis. Thorax longiusculus, subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi sub-bisinuatus, angulis lateralibus acuminatis, lobo medio rotundato, supra convexus, punctulatus, niger, tomento denso griseo vestitus. Scutellum mediocre, dense griseo-tomentosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, subtiliter striata, nigra, tomento denso griseo vestita, relictis punctis sparsis, irregularibus, nudis, nigris. Pygidium magnum, semi-ellipticum, nigrum, tomentosum.

Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento griseo tectum. Pedes tenues, toti nigri. GHL.

* 49. B. PILOSUS. *Schh.*

Ovatus, niger, pube fulvescenti tectus, elytris punctato-striatis, maculæ duæ denudatæ nigræ, antennis brevioribus.—BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 8. n° 6.

Patria : Sierra-Leona.

* 50. B. MISELLUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, tenue griseo-pubescens, thorace angustiore, conico, subtilissime punctulato, antennis longioribus, profunde serratis.

B. unicolor, var. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *B. pusilli*, sed thorace longiore, angustiore, colore antennarum et pedum facile distinctus. Caput oblongum, deflexum, nigrum, creberrime subtiliter punctulatum, tenuissime griseo-pubescens; oculi lunati, nigri. Antennæ dimidio corpore nonnihil longiores, nigræ, articulis baseos angustioribus, sequentibus multo crassioribus, profunde serratis, ultimo ovato, acuminato. Thorax latitudine baseos multo longior, subconicus, anterius valde angustatus, basi bi-sinuatus, niger, subtiliter creberrime rugoso-punctatus, tenuissime griseo-pubescens. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, nigrum, griseo-pubescens. Elytra oblongo-quadrata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, confertim subtiliter punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis, pube tenui grisea, undique adspersa. Pygidium nigrum, creberrime punctulatum, tenue pubescens, immaculatum. Corpus subtus convexum, nigrum, subtilissime punctulatum, pube tenuissima, sericea, vestitum. Pedes graciles, omnes toti nigri; postici multo longiores et crassiores, femoribus muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 51. B. MINUTUS.

Ovatus, rufo-piceus, tenue cinereo-pubescens, antennis inferne pedibusque pallidioribus, thorace subconico, elytris testaceis, maculis quinque nigris.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 401. n° 37.

Habitat in America meridionali. Mus. Schh.

Observ. E minimis generis. Color variat, aut piceus, elytris pedibusque pallidioribus, aut fere totus pallide testaceus, pectore tantum piceo. Thorax subconicus, lateribus tamen nonnihil rotundatis, latitudine parum brevior. In callo humerali elytrorum linea fusca, et alia ei opposita juxta suturam; in medio laterali macula transversa et alia longior juxta suturam; ultima in disco, intra apicem; sed signaturæ istæ sæpe obsoletæ. Ghl.

Stirps 2. — Thorax transversus, subtrapeziformis, angulis anticis rotundatis.

Manipulus I. — Femora dentata.

†. — *Thorax lateribus dentatus.*

* 52. B. Pisi.

Oblongo-ovatus, niger, pube densiore cinereo-albida variegatus, antennarum basi, tibiis tarsisque anticis rufo-testaceis, pygidio albido-sericeo, maculis duabus ovatis nigris.—Ghl.

Linn. *Syst. nat.* I. II. p. 604. n° 1. — Gmel. I. IV. p. 1734. n° 1.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 396. n° 5.—*Ent. Syst.* I. II. p. 370. n° 5.—*Mant.* I. p. 41. n° 4.—*Sp. ins.* I. p. 72. n° 2.—*Syst. ent.* p. 64. n° 2.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 8. n° 6. T. I. f. 6. a-d.—*Enc. méth.* V. p. 197. n° 4.

De Geer. *Ins.* V. p. 278. n° 1. T. 16. f. 3. 4.

Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 240. n° 1.—*Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 43. T. 91. f. 4.

Latr. Cuvier. *Règne anim.* III. p. 324.

Cuvier. *Dict. Hist.* II. p. 177. n° 1.

Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 44. n° 108.—. Ed. *Natt.* I. p. 47. n° 108.

Panz. *Faun. Germ.* LXVI. 14? — *Ent. Germ.* p. 290. n° 1.

Illig. *Mag.* IV. p. 131. n° 5.

Schrank. *En. Ins.* p. 100. n° 190.—*Faun. Boica.* I. p. 538. n° 646.

Preysl. *Bohem. Ins.* p. 56. n° 58.

Dict. des sciences nat. V. p. 373. n° 1.

Oken. *Naturg.* III. p. 773. n° 1.

Villers. *Ent.* I. p. 170. n° 1.

Walckenaer. *Faun. Par.* I. p. 229. n° 1.

Borowsky. *Naturg.* VI. p. 101. n° 1. T. 13. f. 1. a. b.

Barb. *Gen. ins.* p. 44. T. 4. f. 17.

Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 427. n° 1.

BRAHM. *Ins. Nat.* I. p. 240. n° 822.

BLUMENB. *Handb.* ed. 7ª. p. 326. n° 1.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 206. n° 1. T. 3. f. 6.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 847. n° 1.

Dermestes Pisorum. LINN. *Mus. Lud.* ULR. p. 35. n° 1.

Curc. Pisorum. LINN. *Amoen. Acad.* III. p. 347.

Mylabris crucigera. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 112. n° 1.

Laria Salicis. SCOP. *Ent. Carn.* p. 22. n° 63.

GRONOV. *Zooph.* p. 166. n° 569. *Mylabris.*

GEOFFR. *Ins.* I. p. 267. I. 5. T. 4. f. 9. *Mylabris.*

SCHOEFF. *Icon.* FABR. 213. f. 4. a. b.

KALM. *Iter Amer. sept.* II. p. 294.

HARRER. *Beschr.* I. p. 64. n° 59.

LEDERMULLER. *Observ. Microscop.* p. 195. Tab. 100.

Patria : America borealis, Europa australis.

Observ. — Descriptio apud *B. rufimanum* data huic quoad maximam partem convenit modo statura paulo major, præsertim longior; thorax paulo brevior videtur, evidentius, subremote punctatus et femora antica tota nigra.

* 53. B. RUFIMANUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, thorace macula ante scutellari nivea, elytris albo-punctatis, antennarum basi pedibusque anticis rufo-testaceis, femoribus posticis obsolete, obtuse, dentatis.

B. Pisi, (Europæus), PANZ. *Faun. Germ.* LXVI. 14. et forte plurium Auctorum.

B. bi-punctatus. ZIEGL. in Litt.

B. granarius, var. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Habitat in Tauria, Dalmatia, Ægyptia et in Gallia meridionali.

B. Pisi simillimus et valde affinis; colore pedum anticorum ut et dente femorum posticorum obsoleto, obtuso, unice distinctus. Caput oblongum, deflexum, collo longo et crasso thoraci adnexum; totum nigrum opacum, subtiliter rugoso-punctatum, dense fulvescenti-pubescens; ore rufo-testaceo: oculi lunati, nigri. Antennæ capite cum thorace nonnihil longiores, articulis quatuor baseos angustioribus, rufo-testaceis, sequentibus multo crassioribus, atris, ultimo ovato, acuminato. Thorax brevis, transversus, antice angustior, rotundatus, lateribus in medio nonnihil ampliatus, fasciculo parvo pilorum dentem mentientem notatus, dein sinuatus, postice bi-sinuatus, angulis sub-prominulis, acumina-

tis, supra modice convexus, niger opacus, minus confertim rugoso-punctatus, pube fulvescenti adspersus; in medio baseos macula major, triangularis, e pilis depressis albidis. Scutellum oblongo-quadratum, albido-pubescens. Elytra oblongo-quadrata, antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, supra subplana, subtiliter punctato-striata, interstitiis transversim rugulosis; atra, pube grisea parce adspersa, punctis pluribus parvis albis pilosis sparsis, præsertim posterius, notata. Pygidium subtriangulare, sericeo-pubescens; in nonnullis immaculatum, in aliis maculis duabus oblongis, atris, obsoletis, notatum. Corpus subtus valde convexum, totum nigrum, punctulatum, tenue sericeo-pubescens; abdomine utrinque serie e maculis niveis, decorato. Pedes primi paris rufo-testacei, femorum basi interdum nigro-fusco; reliqui nigri, postici longiores, femoribus clavatis, confertim punctulatis, subtus ante apicem dente brevi, obtuso, armatis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.

Var. β. Densius fulvescenti-pubescens, femoribus anticis basi infuscatis.

Observ. — *B. flavimano* Megerlei præsertim ejus var. majori, simillimus et nimis affinis, dente laterali thoracis plerumque minore, semper in medio, non ante medium locato et emarginatura pone dentem breviore, minus profunda, fere unice distinctus. Bhn.

* 54. B. Flavimanus. *Megerle.*

Ovatus, niger, thorace utrinque acute dentato, basi albo-maculato, elytrorum sutura baseos fasciisque duabus macularibus, approximatis, albido-pilosis, antennarum basi pedibusque anticis rufo-testaceis.

Habitat in Austria. Dom. Megerle. Mus. Ghl. et Schh.

B. granario statura et magnitudine simillimus, sed differt lateribus thoracis valide, acute dentatis, pone medium profunde sinuatis, ut et signaturis elytrorum aliis. Caput angustum, deflexum, nigrum opacum, creberrime subtiliter punctulatum, sericeo-pubescens, collo longiori, thoraci adfixum; ore rufo-testaceo; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ ut in *B. granario* constructæ et coloratæ. Thorax latitudine media brevior, antice nonnihil angustior, rotundatus, lateribus immarginatis, ante medium dente valido, acuto armatis, pone medium profundo sinuatis; postice bi-sinuatus, angulis baseos acuminatis; supra modice convexus, niger opacus, subtiliter rugoso-punctatus, pilis cinereo-

albidis, præsertim versus margines, adspersus; in medio baseos, macula cuneiformis e pilis depressis albidis. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, niveo-pubescens. Elytrorum forma ut in *B. granario*, supra parum convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis rugulosis; in ipsa sutura pone scutellum, macula communis, oblongo-quadrata, niveo-squamosa; versus medium fascia macularis nonnihil arcuata, et paulo pone medium altera etiam e pilis depressis albidis; elytra ceterum punctis pluribus, albis, adspersa. Pygidium sub-triangulare, sericeo-pubescens, maculis duabus oblongis, fuscis, notatum. Corpus subtus valde convexum, totum nigrum, sericeo-pubescens. Pedes primi paris tenues, rufo-testacei; reliqui nigri; postici longiores, femoribus clavatis, subtus ante apicem, dente parvo, acuto, armatis; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 55. B. NUBILUS.

Ovatus, niger, thorace elytrisque albo-punctatis, antennarum articulis quinque basalibus; genibus tibiisque anterioribus rufo-testaceis, thorace latiore.

DEJ. *Catal. Col.* p. 79.
B. rufipes. HERBST. *Arch.* p. 29. n° 4.
SCRIBA. *Journ.* p. 162. n° 99.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1736. n° 20.
B. granarius, var. PANZ. *Faun. Germ.* LXI. 8. figura saltem.
B. ervi. Dom. ZIEGL. in Litt.
FABR. *Syst. el.* II. p. 399. n° 25. forte.
B. signatus. Dom. MEGERLE in Litt.

Habitat in Austria, Gallia, Tauria. Mus. SCHH.

B. granario statura et magnitudine simillimus, nimisque affinis, sed differt thorace paulo latiore, antennarum articulis quinque basalibus, pedibusque anterioribus rufo-testaceis. Caput angustum, deflexum, nigrum opacum, crebre subtiliter punctulatum, collo crasso thoraci adnexum, ore piceo. Antennæ capite cum thorace parum longiores, articulis quinque baseos rufo-testaceis, angustioribus, sequentibus atris, multo crassioribus, perfoliatis, ultimo ovato, subacuminato. Thorax latitudine media multo brevior, antice angustior, rotundatus, lateribus ampliatus, immarginatus, in medio nonnihil sinuatus, et ante sinum fasciculo parvo pilorum, dentem mentientem, notatus; basi bi-sinuatus, angulis acuminatis, lobo ante scutellari munitus, supra modice convexus, niger opacus, subtiliter rugoso-punctatus, pube cinerea adspersus;

in medio dorsi puncta duo parva, paria, albida et in lobo ante scutellari, macula major, triangularis e pilis depressis albidis. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, apice emarginatum, albido-pubescens. Elytra oblongo-quadrata, antice thoracis basi vix angustiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, lateribus fere recta, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa, nigra, subnitida, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; in ipsa sutura pone scutellum, lineola griseo-albida, et præterea puncta plura parva albido-pilosa sparsa, præsertim posterius. Pygidium rotundatum, pube tenui, cinerea tectum, maculis duabus oblongis, obsoletis, fuscis, notatum. Corpus subtus valde convexum, nigrum, subtilissime punctulatum, griseo-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, rufo-testacei, femoribus anticis a basi versus medium, intermediis fere ad apicem nigris; postici nigri, multo longiores; femoribus clavatis, subtus ante apicem dente acuminato, armatis; tarsis fusco-ferrugineis. Bhn.

* 56. B. Sertatus.

Oblongo-ovatus, depressus, niger, antennarum articulis quinque basalibus pedibusque quatuor anterioribus rufo-testaceis, lobo ante scutellari, sutura fasciaque postica transversa elytrorum albido-pilosis.

Illig. *Mag.* IV, p. 131. n° 25. not.
B. ervi. Froel. in *Natur.* XXVIII. p. 56. n° 3.

Habitat in Germania? Mus. Schh. in Sicilia Dom. Lefebvre. Mus. Dom. Chevrolat.

B. signato vix brevior sed angustior. Caput oblongum, deflexum, collo longo et crasso thoraci adfixum; totum nigrum, obscurum, creberrime subtiliter punctulatum; ore testaceo; oculi lunati, prominuli, nigro-brunnei. Antennæ thoracis basin vix attingentes, ut in *B. signato* constructæ articulis quinque baseos rufo-testaceis, sequentibus nigris. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior rotundatus, lateribus rotundato-ampliatus, immarginatus, in medio sinuatus et ante sinum fasciculo parvo pilorum, dentem mentientem, notatus, basi bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra modice convexus, niger opacus, subtiliter rugoso punctatus, pube cinerea adspersus, in medio baseos macula triangularis e pilis depressis albidis. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, albido-pilosum. Elytra elongato-ovata, antice thoracis basi parum latiora; humeris obtuse rotundatis, lateribus fere recta, apice singulatim

rotundata, supra parum convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, obsolete coriaceis, sutura et fascia postica transversa undulata maculari, e pilis niveis, ornata. Pygidium rotundatum, nigrum, tenue griseo-pubescens, immaculatum. Corpus subtus convexum, nigrum, crebre subtilissime punctulatum, tenue sericeo-pubescens. Pedes quatuor anteriores toti rufo-testacei; postici longiores et crassiores, nigri, femoribus clavatis, subtus ante apicem dente acuto, armatis. BHN.

* 57. B. GRANARIUS.

Ovatus, niger, thorace elytrisque albo-punctatis, antennarum articulis quatuor basalibus pedibusque anticis rufo-testaceis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III, p. 11. n° 1.
LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 605. n° 5.— Ed. GMEL. I. IV. p. 1736. n° 5.
FABR. *Syst. el.* II. p. 399. n° 24.—*Ent. S.* I. II. p. 372. n° 15.—*Mant.* I. p. 42. n° 15.—*Sp. ins.* I. p. 76. n° 11.—*Syst. ent.* p. 65. n° 6.
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 11. n° 10. T. I. f. 10. a. b.—*Enc. méth.* V. p. 200. n° 18.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 157. n° 1.
STURM. *Verz.* 1796. p. 52. n° 22. T. 2. f. 10.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 45. n° 109.—Ed. HELLER. p. 47. n° 109.
PANZ. *Ent. Germ.* I. p. 291. n° 4.
MARSH. *Ent. Br.* I. p. 235. n° 2.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 229. n° 2.
VILLERS. *Ent.* I. p. 171. n° 2.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 432. n° 2.
SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 101. n° 191.
BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 241. n° 823.
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. p. 209. n° 5.
BECHST. *Naturg.* I. II. p. 847. n° 2.
BOCKS. *Naturg.* V. p. 33. n° 20.
DEJ. *Catal. Col.* p. 79.
Curc. atomarius. LINN. *Faun. Suec.* n. 628.
Mylabr. sericea. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 112. n° 3.
VAR. β. Duplo minor, parum albo punctatus, an mas? — GYL. L. c. var. b.

Patria: Europa, Sibiria.

* 58. B. SIBIRICUS, *Gebler.*

Niger, antennis totis pedibusque anterioribus rufis, thorace lateribus dentato, elytris griseo-subfasciatis, sutura fusco-tomentosa.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 179. n° 297.

* VAR. β. Antennis extrorsum basique femorum anteriorum nigro-fuscis. Antennæ ab articulo septimo, saltem supra infuscatæ; femora antica basi parum, secundi paris fere ad medium nigra: ceterum ut in α omnino. GHL.

Patria: Sibiria. Dom. GEBLER.

* 59. B. TRISTIS.

Ovatus, niger, pube grisea adspersus, antennarum basi, pedibus anticis, genibus tibiisque mediis rufo-testaceis, thorace remote punctato, scutello niveo-piloso, elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis.

B. tristis. DEJ. *Catal. Col.* p. 79.

Habitat in Gallia meridionali. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

B. granario dimidio major et magis depressus. Caput oblongum, deflexum, nigrum opacum, creberrime sat profunde rugoso-punctatum, pube densa, depressa, grisea, tectum; collo sub-lineari, crasso, denudato, thoraci adfixum; ore testaceo; oculi lunati vel emarginati, prominuli, nigri. Antennæ in sinu oculorum insertæ, capite cum thorace nonnihil longiores, griseo-pubescentes, articulis quinque baseos, rufo-testaceis, sequentibus nigris, ultimo ovato, sub-acuminato. Thorax brevis, transversus, antice sub-emarginatus, angulis rotundatis, ante medium nonnihil ampliatus, dentatus, versus basin perparum angustatus, angulis baseos sub-prominulis, postice bi-sinuatus, supra modice convexus; totus niger, sat profunde, sed remote punctatus, pube depressa helvolo-grisea, præsertim antice et ad latera adspersus. Scutellum sub-quadratum, dense niveo-pubescens. Elytra antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, pone humeros ultra medium nonnihil ampliata, apicem versus parum angustata, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, regulariter subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, confertim et ad basin profundius punctulatis; tota nigra, pube depressa helvolo-grisea adspersa. Corpus subtus modice convexum, nigrum, punctulatum, griseo-pubescens. Pygidium nigrum, punctulatum, tenue griseo-pubescens, ad basin macula densius albido-pilosa, decoratum. Pedes griseo-pubescentes; anteriores tenues; primi paris toti rufo-testacei; intermedii, femoribus nigris, genibus tibiisque rufo-testaceis; postici longiores et crassiores, toti nigri, punctati; femoribus subtus ad apicem dente valido, acuto, armatis; tibiis rectis. BHN.

* 60. B. SIGNATICORNIS.

Ovatus, niger, pube cinereo-albida maculatim variegatus, antennarum articulis quinque baseos, ultimis duobus, pedibus anticis tarsisque mediis rufo-testaceis, thorace brevi, transverso, pygidio maculis duabus ovatis nigris.

B. Signaticornis. DEJ. *Catal. Col.* p. 79.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. Parisiis Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH. et GHL.

B. granario majori similis, sed antennarum color alius et thorax paulo brevior; *B. sertato* valde propinquus, apice antennarum testaceo, femoribus intermediis totis eorumque tibiis maxima parte nigris, fere unice distinctus. Caput et oculi ut in *B. granario* omnino. Antennæ vix dimidiam corporis longitudinem attingunt, articulo primo clavato, supra piceo, subtus testaceo, 2 brevi testaceo, supra infuscato; 3—5 gradatim majoribus, totis testaceis; 6—9 gradatim latioribus, compressis, nigris, ultimis duobus iterum testaceis. Thorax brevis, transversus, antice vix angustior, truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, paulo pone medium dense obsoleto armatus, basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, sub-pulvinatus, confertim granulatus, niger, pube depressa cinerea, ad latera densiore adspersus et in lobo medio baseos macula triangulari albidius pubescente notatus. Scutellum sub-quadratum, albido-pubescens. Elytrorum forma ut in *B. granario*, supra parum convexa, punctato-striata, nigra, sutura maculisque pluribus sub-fasciatim digestis, cinereo et albido-pubescentibus variegata. Pygidium pube albido-sericea vestitum, maculis duabus ovatis fusco-brunneis, interdum obsoletis, notatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, tenuiter cinereo-pubescens. Pedes antici rufo-testacei, femoribus basi nigro-fuscis; intermedii nigri, tibiarum apice tarsisque testaceis; postici crassi, toti nigri, femoribus elongatis, subtus ante apicem dente acuminato armatis. GHL.

* VAR. β. Articulo antennarum decimo etiam nigro, ultimo tantum testaceo.

* 61. B. PALLIDICORNIS.

Oblongo-ovatus, niger, tenue griseo-pubescens, thorace breviori, latiori, elytris albo-punctatis, antennis, pedibus anticis tarsisque mediis testaceis, femoribus posticis acute unidentatis.

B. Pallidicornis. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. In Gallia mer. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *B. signaticornis*, sed colore antennarum ab illo mox distinctus. Caput oblongum, deflexum, collo crasso, thoraci adnexum, totum nigrum, creberrime subtiliter punctulatum, tenue griseo-pubescens; ore ferrugineo; oculi lunati, nigri. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, testaceæ, articulis quatuor baseos angustioribus, sequentibus multo crassioribus, perfoliatis, ultimo ovato, sub-acuminato. Thorax brevis, transversus, antice angustior, rotundatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatis, paulo pone medium obsolete unidentatis, basi bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra modice convexus, niger opacus, subtiliter sed minus crebre rugoso-punctatus, pube depressa fusco-grisea, adspersus. Scutellum parvum, sub-quadratum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi thorace parum latiora, mox pone humeros nonnihil ampliata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, sub-nitida, regulariter subtiliterque punctato-striata, interstitiis rugulosis, pube depressa, tenui, grisea, adspersa, punctis pluribus, obsoletis albis ornata. Pygidium sub-triangulare, nigrum, pube tenui, cinereo-albida, tectum, maculis duabus oblongis, obsoletis, fuscis, notatum. Corpus subtus convexum, nigrum, subtilissime punctulatum, tenue sericeo-pubescens. Pedes antici late rufo-testacei; intermedii nigri, tibiarum apice tarsisque rufo-testaceis; postici multo longiores, nigri, femoribus clavatis, subtus ante apicem dente acuto, armatis; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 62. B. LUTEICORNIS.

Ovatus, depressus, niger, pube cinereo-albida maculatim variegatus, antennis pedibusque quatuor anterioribus rufo-testaceis, thorace basi albo-maculato, elytrorum sutura baseos albido-pilosa.

ILLIG. *in* SCHNEID. *Mag.* V. p. 619. n° 22.

PANZ. *Faun. Germ.* XXV. 23.—*Ent. Germ.* p. 291. n° 10.—*Krit. Rev. d. Ins. Fr.* I. p. 122.

B. granarius, VAR. β. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 158. n° 1.

Patria : Germania, Gallia, Tauria.

* 63. B. GRISEOMACULATUS. *Chevrol.*

Brevissime ovatus, niger, pube cinerea maculatim variegatus, antennarum articulis quinque baseos pedibusque quatuor anterioribus pallide testaceis, femoribus basi nigris.

Habitat in foliis ulmi, Parisiis. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Facies *B. luteicornis*, Illig. sed plus duplo minor et aliter coloratus. Caput parvum, deflexum, punctulatum, nigrum, opacum, cinereo-pubescens; oculi lunati, nigri, parum prominuli. Antennæ vix dimidiam corporis longitudinem attingunt, articulis quinque baseos testaceis, primo crassiore, obconico, secundo paulo minore, 3-4, adhuc minoribus, brevibus, 5 etiam brevi, sed crassiore, sequentibus gradatim latioribus, compressis, nigris. Thorax brevissimus, transversus, antice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, in medio dente obsoleto armatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, subtiliter alutaceus, niger, opacus, pube cinerea, versus latera et in lobo basali densiore vestitus. Scutellum quadratum, dense cinereo-pubescens. Elytra lata, antice sinuata, callo humerali elevato, pone humeros ampliata, posterius vix angustiora, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, subtiliter punctato-striata, nigra, obscura, pube cinerea, in sutura maculisque numerosis oblongis, sparsis, magis condensata, adspersa. Pygidium breve, apice rotundatum, cinereo-pubescens. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube cinerea, versus latera densiore, adspersum. Pedes quatuor anteriores pallide testacei, femoribus anticis basi breviter, mediis dimidiato-nigris; postici validi, toti nigri, femoribus crassis, subtus versus apicem dente acuto armatis. GHL.

64. B. NIGRIPES. *Dahl.*

Ovatus, niger, thorace elytrisque pube albida maculatim variegatis, antennarum articulis quatuor baseos ferrugineis, secundo brevi, pedibus totis nigris.

B. punctellus. BOHEM. *Act. Mosq.* VI. p. 9. n° 7.
Dom. DAHL in Litt. teste Dom. MEGERLE.

Habitat in Austria. Dom. MEGERLE. Mus. GHL. — VAR. β, in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Minimis *B. granarii* individuis æqualis et simillimus; pedibus

anticis etiam totis nigris et antennarum articulo secundo sequentibus minore præcipue distinctus. Caput et oculi ut in *B. granario.* Antennæ vix dimidiam corporis longitudinem attingunt, articulis quatuor baseos ferrugineis, primo longiore, clavato, secundo brevi, 3-4, longioribus, obconicis, sequentibus gradatim latioribus, nigris, compressis. Thorax transversus, antice parum angustior, truncatus, lateribus ante medium dente armatus et pone dentem emarginatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, confertim granulatus, niger, angulis posticis, emarginatura laterali, plaga trigona lobi basalis punctisque duobus parvis disci albo-pubescentibus. Scutellum sub-quadratum, albido-pubescens. Elytrorum forma ut in *B. granario*, supra perparum convexa, punctato-striata, interstitiis alutaceis, nigra, maculis oblongo-quadratis, albido-pubescentibus, præsertim anterius adspersa. Pygidium semi-ovatum, basi albido-pubescens, posterius nigrum. Corpus subtus subtilissime punctulatum, nigrum, cinereo-pubescens. Pedes toti nigri, structura ut in *B. granario.* GHL.

* VAR. β. Antennarum articulo quarto infuscato.

††. *Thorax lateribus muticus.*

* 65. B. LOTI.

Ovatus, niger, griseo-pubescens, antennarum basi pedibusque anticis rufo-testaceis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 13. n° 2.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 158. n° 2.

Patria : Suecia, Borussia.

* 66. B. OXYTROPIS.

Thorace transverso, femoribus posticis dentatis, niger, griseo-pubescens, capite thoraceque subtiliter punctulatis, antennarum basi pedibusque anticis rufis.

Habitat in floribus et seminibus Oxytropis Uralensis montium Altaicorum. Mus. SCHH. et GEBLER.

Affinis *B. loti*, at minus nitidus, densius pubescens; capite thoraceque late subtilius punctulatis et lineola elytrorum scutellari nulla diversus. Niger, subopacus, tomento griseo, subtus densiore et nitidiore æqualiter tectus. Caput crebre et subtiliter punctulatum, oculis lunatis. Antennæ extrorsum crassiores et perfoliatæ, vix longitudine dimidii corporis; articulis 4 baseos angustis, rufo-

testaceis, ultimo oblique acuminato. Collum longitudine capitis. Thorax transversus, antice rotundatus, lateribus dilatatus, postice bi-sinuatus, angulis acutis, supra ad apicem convexus, subtiliter ruguloso-punctulatus. Scutellum minutum, densius pubescens. Elytra basi vix thorace latiora, medio dilatata, oblongo-quadrata, supra planiuscula, punctato-striata, interstitiis subtiliter alutaceis. Pygidium densius pubescens. Corpus subtus punctulatum. Pedes antici rufo-testacei, femoribus basi ungulisque nigris; femora postica dente valido armata. GEBLER.

67. B. LIVIDIMANUS. *Schh.*

Ovatus, niger, tomento cinereo-albido subtus tectus, supra maculatim variegatus, antennarum basi pedumque anteriorum femoribus tibiisque apice testaceis, thorace lateribus mutico.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Minoribus *B. granarii* individuis æqualis et facie simillimus, thorace paulo longiore, denticulis lateralibus destituto pedibusque anterioribus aliter coloratis, præcipue distinctus. Caput oblongum, confertim punctulatum, nigrum, opacum, fronte convexa, carinula brevi notata; oculi lunati, nigri. Antennæ longitudine dimidii corporis, extrorsum crassiores, nigræ, basi piceæ vel obscure testaceæ. Thorax latitudine brevior, antice multo angustior, truncatus, lateribus modice ampliatus, integer; basi sinuatus, angulis lateralibus acutis, lobo medio lato, rotundato; supra convexus, confertim granulatus seu alutaceus, niger, tomento cinereo-albido, præsertim ad latera et postice variegatus. Scutellum parvum, albido-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, callo humerali elevato; lateribus ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, tomento depresso fusco vestita, maculisque oblongis, sparsis, albido-tomentosis notata. Pygidium semi-ellipticum, nigrum, tomento denso fusco-cinereo vestitum. Corpus subtus subtilissime alutaceum, nigrum, tomento denso, depresso, cinereo-albido tectum. Pedes quatuor anteriores tenues, femoribus nigris, apice testaceis, tibiis testaceis, basi nigris, tarsis fuscis. Pedes postici multo longiores et crassiores, toti nigri, cinereo-tomentosi, femoribus subtus versus apicem dente minuto armatis. GHL.

* 68. B. Varicolor. *Schh.*

Ovatus, niger, thorace rugoso-punctato, albo-maculato, elytris punctato-striatis, lineis punctisque niveis et dilute cinnabarinis variegatis, antennis nigris, tibiis anterioribus rufo-testaceis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *B. loti.* Caput angustum, deflexum, nigrum, opacum, creberrime subtiliter punctulatum, collo longiori thoraci adnexum; fronte medio obsolete carinata; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, nigræ, griseo-pubescentes, articulis quatuor baseos angustioribus, sequentibus sensim crassioribus, perfoliatis, ultimo ovato, obtuse acuminato. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, sub-truncatus, lateribus immarginatus, in medio nonnihil sinuatus, versus basin sensim ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis acuminatis; supra modice convexus, niger opacus, crebre subtiliter rugoso-punctatus, maculis parvis e pilis depressis albidis, præsertim in dorso adspersus. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, nigrum, griseo-pubescens. Elytra antice thoracis basi parum latiora, illo duplo longiora, humeris rotundatis, sub-prominulis, pone humeros ultra medium ampliata, dein angustata, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, sub-nitida, regulariter punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis, lineis punctisque irregularibus albidis et dilute cinnabarinis variegata. Corpus subtus convexum, nigrum, punctulatum. Pygidium crebre punctulatum, niveo-squamosum, apice maculisque nigris, denudatis, ornatum. Pedes quatuor anteriores tenues, nigri, tibiis tarsisque rufo-testaceis; postici multo longiores et crassiores, toti nigri, femoribus incrassatis, subtus dente acuto, armatis, tibiis rectis. Bhn.

69. B. Leguminarius. *Chevrol.*

Ovatus, fusco-piceus, subtus dense albido-tomentosus, supra ochraceo et albido variegatus, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-depresso, confertim granulato, elytris sub-remote punctato-striatis.

Patria : Chili. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum communicatus.

Magnitudo et fere statura *B. rufimani.* Caput sub-triangulare, confertim punctulatum, nigro-piceum, albido-tomentosum; oculi magni, lunati, brunnei. Antennæ longitudine dimidii corporis,

articulis quatuor baseos oblongis, angustis, quinto obconico, apice latiore, 6-10, paulo crassioribus, cyathiformibus, ultimo ovato; obscure testaceæ, articulis primis et ultimis supra, infuscatis. Thorax transversus, antice dimidio angustior, truncatus, margine elevato, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra sub-depressus, confertim punctatus et alutaceus, fusco-piceus, tomento albido et ochraceo maculatim variegatus. Scutellum mediocre, ochraceo-tomentosum. Elytra antice vix thoracis basi latiora, callo humerali oblongo, elevato; pone basin ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra fere plana, obsoletius punctato-striata, interstitiis subtilissime alutaceis; fusco-picea, tomento cinereo maculatim variegata, et in medio baseos singuli elytri plaga ochraceo-tomentosa notata. Pygidium semi-ellipticum, punctulatum, fusco-piceum, tomento ochraceo et cinereo variegatum. Corpus subtus disperse punctatum, fusco-piceum, tomento cinereo adspersum. Pedes testacei, femoribus subtus linea nigra notatis, posticis crassis, subtus versus apicem dente acuto armatis. GHL.

* 70. B. LENTIS. *Koyi.*

Ovatus, sub-depressus, niger, dense fusco-tomentosus, parce albo-maculatus, antennis brevibus, articulis quatuor vel quinque baseos ferrugineis, pedibus anticis totis, tibiis tarsisque mediis testaceis.

BOHEM. *Act. Mosq.* VI. p. 10. n° 8.
B. variegatus. Dom. MEGERLE in Litt.

Habitat in Austria, Germania, Italia. Mus. GHL. et SCHH.

B. sertato α. Illig. magnitudine et statura simillimus; distinctus tamen, thoracis lateribus minus ampliatis, femoribus intermediis totis nigris, et quod paucis tantum albis maculis notatus. Caput subtilissime alutaceum, nigrum, dense fusco-cinereo-pubescens; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ vix thoracis basin attingunt, articulis quatuor primis testaceis, basali majore, sub-clavato, secundo paulo minore, obconico, 3-4, brevioribus, transversis, sequentibus gradatim latioribus, compressis, nigris, dense cinereo-pubescentibus. Thorax brevis, latus, transversus, antice truncatus, angulis rotundatis, lateribus modice ampliatus, basi sinuatus, lobo medio lato, sub-truncato, angulis lateralibus prominulis, acutis; supra parum convexus, obsoletius punctatus, niger, pube densa fusca vestitus, immixta pube cinereo-albida, præsertim versus latera et in lobo basali; in medio dorsi maculæ

duæ, pares, magis nudæ, nigræ. Scutellum sub-quadratum, dense albido-pubescens. Elytra antice sinuata, callo humerali elevato; pone humeros ampliata, posterius parum angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso plana, subtiliter punctato-striata, nigra, pube densa, depressa, fusca vestita, immixtis maculis paucis, sparsis, albidis; pone scutellum, juxta suturam, utrinque macula indeterminata nigrior, sub-nuda. Pygidium breve, semi-orbiculatum, dense albido-pubescens, maculis duabus ovatis obscurioribus. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes primi paris tenues, testacei, femoribus basi parum nigris; femora secundi paris tota nigra, tibiis tarsisque testaceis; postici longiores et validiores, toti nigri, omnes dense cinereo-pubescentes, subtus ante apicem, dente acuminato, armatis. Ghl.

* 71. B. Laticollis. *Schh.*

Ovatus, niger, antennis brevioribus, basi rufo-testaceis, thorace brevissimo, lato, evidenter rugoso-punctato, elytris albo-punctatis, pedibus anticis rufo-testaceis, femoribus posticis uni-dentatis.

Habitat in Tauria; teste Dom. Steven. Mus. Schh.

Habitus et magnitudo *B. granarii;* differt tamen antennis brevioribus, thorace lato, brevissimo, evidenter rugoso-punctato, etc. Caput angustum, deflexum, nigrum opacum, creberrime subtiliter punctulatum, collo longiori thoraci adfixum, ore ferrugineo; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ dimidii corpore breviores, articulis quatuor baseos angustioribus, rufo-testaceis, sequentibus valde incrassatis, perfoliatis, atris, ultimo ovato. Thorax longitudine plus duplo latior, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus modice rotundatus, postice bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra parum convexus, niger opacus, quam in *B. granario* evidenter crebre rugoso-punctatus. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, nigrum, opacum. Elytra thorace parum latiora et illo triplo longiora, humeris rotundatis, pone humeros ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa, nigra, sub-nitida, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime rugulosis, punctis parvis albo-pilosis sparsis, undique adspersa. Pygidium nigrum, pube tenui, cinerea, tectum, immaculatum. Corpus subtus valde convexum, totum nigrum, subtilissime punctulatum, tenue sericeo-pubescens. Pedes antici tenues, rufo-testacei, femorum basi nigro-fuscis, reliquis nigris;

postici multo longiores, femoribus clavatis, subtus ante apicem, dente parvo, acuminato, armatis. BHN.

* 72. B. INCARNATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, griseo-pubescens, antennarum basi pedibusque ferrugineis, femoribus posticis basi piceis, elytris subtiliter punctato-striatis, rufo ferrugineis, basi infuscatis.

Habitat in Ægypto. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Habitu et magnitudine *B. granario* similis. Caput deflexum, thorace angustius, nigrum, opacum, creberrime subtiliter rugoso-punctatum, collo longiore thoraci adnexum, ore rufo-piceo; oculi lunati, modice prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore nonnihil longiores, articulis tribus baseos angustioribus, ferrugineis, sequentibus multo crassioribus, sub-serratis, atris, ultimo elongato-ovato, acuminato. Thorax transversus, sub-trapeziformis, antice angustior, rotundatus, lateribus immarginatus, postice bisinuatus, angulis acuminatis, supra convexus, niger, opacus, subtiliter rugoso-punctatus, pilis depressis cinereo-fulvescentibus undique parce adspersus. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, rufo-piceum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, illoque triplo longiora, humeris elevatis, mox pone humeros parum ampliata, ad apicem usque vix angustata, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, rufo-ferruginea, basi indeterminate nigra-fusca, regulariter ac subtiliter punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, pube grisea undique adspersa. Pygidium magnum, rotundatum, pube tenui cinereo tectum, maculis duabus oblongis, fuscis, notatum. Corpus subtus valde convexum, nigrum, subtilissime punctulatum, tenue griseo-pubescens. Pedes saturate rufi; postici multo longiores, femoribus clavatis, basi piceis, subtus ante apicem, dente acuminato, armatis. BHN.

* 73. B. LONGICORNIS. *Illig.*

Piceus, subtus griseo-tomentosus, antennis sub-serratis pedibusque rufis, elytris griseo-subfasciatis femoribus posticis subtus obsolete dentatis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 178. n° 296.

Patria : Lusitania.

* 74. B. HISTRIO. *Schh.*

Ovatus, niger, elytris castaneis, cinereo-subfasciatis, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, pygidium macula magna alba valde bis excisa ad basin notatum, femoribus posticis subtus obsolete dentatis.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 12. n° 10.

Patria : Lusitania.

Observ.—B. longicorni simillimus et valde affinis, sed antennæ nigræ, articulis 2° et 3° tantum rufo-testaceis, thorax postice paulo angustior et elytrorum fasciæ maculares albido-pilosæ magis determinatæ. GHL.

75. B. JOCOSUS.

Ovatus, niger, subtus sericeo-pubescens, tibiis anterioribus testaceis, antennis longitudine corporis, acute serratis, nigris, dense cinereo-pubescentibus, elytris maculatim albido-fasciatis, pygidio obsolete fusco-bi-maculato.

Habitat in Lusitania. Dom. SILFWERSWARD. Mus. GHL.

Magnitudo, statura et affinitas *B. longicornis,*' Illig. Germ. et *B. histrionici.* Bhn. sed structura antennarum, colore pedum et pygidii distinctus. Caput deflexum, subtiliter alutaceum, nigrum, opacum, fusco-pubescens; oculi valde lunati, nigri. Antennæ longitudine fere corporis, totæ nigræ, dense fusco-pubescentes, articulo primo sub-clavato, fere nudo, secundo brevissimo, transverso, tertio longiore, cyathiformi, sequentibus gradatim majoribus, interne acuminatim productis, ultimo elongato, angusto, sub-cylindrico. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior, truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra parum convexus, confertim rude alutaceus, niger, opacus, lateribus pube fusco-ferruginea vestitus, in lobo medio baseos linea brevi albida notatus. Scutellum rotundatum, dense albido-pubescens. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; mox pone basin valde ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, evidenter striata et in striis confertim subtiliter punctata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, opaca, pube fusca et albida sub-variegata; in basi suturæ nempe linea communis albida; fascia macularis in medio et altera

paulo posterius, ejusdem coloris. Pygidium magnum, cordatum, dense cinereo-pubescens, in medio maculis duabus obscurioribus obsoletis notatum. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pube densa cinereo-albida, nitida vestitum. Pedes cinereo-pubescentes, anteriores quatuor tenuiores, nigri, tibiis solis testaceis; postici multo longiores et validiores, toti nigri, femoribus posticis obsolete dentatis. GHL.

* 76. B. QUADRIGUTTATUS. *Schh.*

Ovatus, niger opacus, pube tenui depressa nigro-fusca tectus, elytris maculis quatuor, scutello, macula ante-scutellari niveis, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis femoribus posticis subtus obsolete dentatis.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 11. n° 9.

Patria : Nova Hollandia.

Manipulus II. — Femora mutica.

77. B. PETECHIALIS. *Schh.*

Ovatus, rufo-brunneus, paleaceo-tomentosus, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris brunneo-variegatis, pygidio rotundato, annulo brunneo notato.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A. Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. GHL.

B. cisti duplo major, præsertim longior. Caput inflexum, paleaceo-tomentosum, posterius tumidum, testaceum, anterius nigrum, punctatum, in fronte carinula brevi notatum; labrum testaceum; mandibulæ et palpi nigri; oculi nigri, sub-depressi. Antennæ thorace non longiores, extrorsum crassiores, simplices, totæ pallide testaceæ. Thorax transversus, antice parum angustior, truncatus, angulis compressis, lateribus fere rectis, basi utrinque truncatus, angulis sub-acuminatis, lobo medio magno, rotundato, sub-emarginato; supra modice convexus, æqualis, brunneus, indumento depresso paleaceo tomentoso omnino tectus. Scutellum subcordatum, fuscum, elevatum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, subtiliter striata, brunneo-testacea, tomento paleaceo tecta; paulo pone medium cujusvis elytri, striga arcuata e punctis quatuor brunneis, et in apice lituræ duæ oblongæ ejusdem coloris. Pygidium magnum,

rotundatum, paleaceo-tomentosum, versus apicem annulo magno brunneo notatum. Corpus subtus fuscum, pube tenui, depressa, cinerea tectum. Pedes breviusculi, pallide testacei, femoribus posticis parum incrassatis, subtus canaliculatis, muticis. Ghl.

* 78. B. Subarmatus. *Schh.*

Ovatus, fusco-ferrugineus, supra obsolete cinereo-variegatus, subtus dense sericeo-pubescens, antennarum basi pedibusque testaceis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Dom. von Wintheim. Mus. Schh.

Parvus, brevis, *B. loti* sub-æqualis. Caput majusculum, oblongum, deflexum, convexum, punctatum, fusco-piceum, parce cinereo-pubescens; oculi majusculi, convexi, nigro-brunnei, antice triangulariter emarginati. Antennæ thoracis basin attingunt, inferne tenues, dilutius testaceæ, extrorsum multo crassiores, obscurius fusco-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice multo angustior, truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo medio lato, longius producto, apice obtuso; supra modice convexus, confertim punctulatus, fusco-ferrugineus, pube depressa, cinerea æqualiter vestitus, intra medium baseos foveola oblonga, angusta impressus. Scutellum parvum, angustum, apice emarginatum, concolor. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, subtilius punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; fusco-ferruginea, pube tenui, depressa, cinerea, tessellatim obsolete variegata. Pygidium magnum, semi-orbiculatum, parum convexum, punctulatum, fusco-ferrugineum, pube densa, depressa, cinerea vestitum. Corpus subtus convexum, subtilissime punctulatum, obscurius piceum, pube densa cinereo-sericea vestitum. Pedes quatuor anteriores mediocres, testacei; postici multo longiores et validiores, etiam testacei, femoribus basi nigris, apice ipso dente parvo, in margine canaliculæ pro tibiarum receptione, armatis. Ghl.

* 79. B. Versicolor. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, olivaceo-pubescens, thorace transverso, antice subito angustato, elytris maculis oblongis sericeis et fuscis tessellatis, antennis pedibusque rufo-testaceis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei; teste Dom. Schuppel et Westerm. Mus. Ghl. et Schh.

Magnitudo et fere statura *B. pubescentis,* Germ. Caput oblongum, deflexum, nigrum, creberrime rugoso-punctatum, dense griseo-pubescens; fronte carinata; ore ferrugineo; palpi nigri; oculi lunati, obscure brunnei. Antennæ thoracis basin vix attingunt, rufo-testaceæ, articulo 1° clavato, 2° brevi, transverso, 3° obconico, 4° transverso, 5° paulo latiore, reliquis compressis, dilatatis, sub-serratis. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius subito angustatus, sub-triangularis, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, rugoso-punctatus, dense olivaceo-pubescens. Scutellum oblongo-quadratum, apice emarginatum, cinereo-pubescens. Elytra sub-quadrata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis, mox pone humeros paulo ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, supra fere plana, subtiliter punctato-striata, olivaceo-tomentosa, maculis numerosis, oblongis, cæsis et fuscis tessellata. Pygidium sub-cordatum, dense sericeo-pubescens, immaculatum. Corpus subtus convexum, nigrum, pube densa sericea vestitum. Pedes rufo-testaceis; femoribus basi nigro-fuscis; postici longiores, femoribus clavatis, muticis; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.

* VAR. β. Castaneus, pube cinerea undique tectus, elytris immaculatis; forte nuper exclusus?

* VAR. γ. Rufo-castaneus, pube cinerea parce adspersus, elytris maculis oblongis cervinis variegatis. BHN.

* 80. B. SUBSIGNATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, olivaceo-pubescens, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, thorace longiori, subconico, elytris subtiliter punctato-striatis, obsolete cinereo-maculatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A Dom. VON WINTHEIM communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et magnitudo omnino *B. loti.* Caput oblongum, deflexum, nigrum, crebre rugoso-punctulatum, griseo-pubescens; oculi lunati, prominuli, brunnei. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, articulis quatuor baseos angustioribus, 1° piceo, 2, 3, 4 rufo-testaceis, sequentibus multo crassioribus, perfoliatis, atris, ultimo ovato. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, truncatus, lateribus immarginatus, postice bi-sinuatus, angulis baseos acuminatis, supra modice convexus, niger opacus, evidenter sed minus profunde rugoso-punctulatus, pube olivacea undique dense obsitus. Scutellum parvum, oblongo-quadratum, ci-

nereo pubescens. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, mox pone basin ampliata, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime rugulosis, pube olivacea dense tecta, maculis nonnullis obsoletis, e pube cinerea, variegata. Pygidium nigrum, dense cinereo-pubescens, immaculatum. Corpus subtus valde convexum, nigrum, sericeo-pubescens. Pedes rufo-testacei; femoribus basi infuscatis; postici multo longiores, femoribus clavatis, muticis. BHN.

* 81. B. SUTURALIS.

Ovatus, rufo-ferrugineus, fulvescenti-pubescens, thorace profunde rugoso-punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, singulo pone medium prope suturam macula elongata, obscure ferruginea, notato.

B. suturalis. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 4.

Habitat in Brasilia; teste Dom. STURM. Mus. SCHH.

B. loti statura non dissimilis, sed dimidio minor. Caput oblongum deflexum, collo longo et crasso thoraci adfixum; rufo-ferrugineum, creberrime subtiliter punctulatum; oculi lunati, prominuli, brunnei. Antennæ infra oculos insertæ, longitudine fere dimidii corporis, rufo-testaceæ, articulis baseos angustioribus, sequentibus sensim crassioribus, sub-perfoliatis, ultimo ovato, sub-acuminato. Thorax latitudine baseos vix longior, antice angustior, sub-truncatus, versus basin sensim ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis prominulis, supra modice convexus, rufo-ferrugineus, undique sat profunde et confertim rugoso-punctatus, lobo scutellari sub-emarginato, pilis fulvescentibus, præsertim versus margines adspersus. Scutellum minutum, oblongo-quadratum, rufo-ferrugineum. Elytra oblongo-quadrata, antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, lateribus fere rectis, apice simultaneæ obtuse rotundata, supra sub-plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis; tota rufo-ferruginea, pube depressa fulvescenti, adspersa, longe pone medium prope suturam, macula angusta, elongato-quadrata, rufo-picea, denudata, notata. Pygidium sub-cordatum, rufo-piceum, pube densa cinereo-albida tectum. Corpus subtus convexum, rufo-ferrugineum, tenue sericeo-pubescens. Pedes pallide testacei, anteriores tenues; postici longiores et crassiores, femoribus clavatis, subtus muticis. BHN.

* 82. B. CONVOLVULI. *Schh.*

Breviter ovatus, supra sub-depressus, niger, nitidus, parcius cinereo-pubescens, antennarum basi, ventre pedumque maxima parte pallide testaceis, elytris concinne punctato-striatis, plaga magna pallide testacea ornatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei, ubi in seminibus *Convolvuli capensis* degit. Dom VON WINTHEIM. Mus. SCHH.

Parvus, brevis, *B. loti* fere dimidio minor. Caput rotundatum, parum convexum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens; oculi majusculi, lunati, nigro-brunnei. Antennæ longitudine fere dimidii corporis, sub-filiformes, basi pallide testaceæ, extrorsum nigro-fuscæ. Thorax transversus, antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi bi-sinuatus, supra perparum convexus, subtilissime, disperse punctulatus, niger, nitidus, pube tenui, depressa, cinerea vestitus. Scutellum minutum, triangulare, concolor. Elytra antice thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, anguste striata, striis confertim concinne punctulatis; plerumque maxima parte disci pallide testacea, nitida, sutura, margine, plaga communi triangulari baseos, et vitta obliqua e callo humerali exeunte, apicem non attingente, nigris; in aliis vitta jam memorata deest, et discus totus testaceus; alia vice elytra maxima parte nigra, tantum litura una alterave testacea notata; cæterum pube depressa cinerea, plus minusve vestita. Pygidium magnum, semi-orbiculatum, parum convexum, punctulatum, fusco-ferrugineum, dense sericeo-tomentosum. Corpus subtus convexum, subtilissime punctulatum, anterius nigrum, ventre pallide testaceo. Pedes breviusculi, pallide testacei, femoribus basi nigris, muticis; postici paulo longiores et obscuriores. GHL.

* 83. B. LUTEOLUS. *Schh.*

Ovatus, niger, pube fulvescenti tectus, helvolo-fuscoque variegatus, antennis pedibusque testaceis.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 12. nº 11.

Patria : Sierra Leona.

* 84. B. PUBESCENS. *Ziegl.*

Oblongo-ovatus, niger, dense olivaceo-tomentosus, thorace breviter conico, confertim subtiliter granulato, elytris evidentius punctato-striatis, antennis brevioribus, ab articulo sexto dilatatis. GHL.

GERM. *Ins. spec.* I. p. 184, n° 307.
B. villosus. FABR. *Sys. el.* II. p, 400. n° 30. — *Ent. Sys.* I. II. p. 373. n° 20. forte.
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 16. n° 19. T. 2. f. 19. a. b.
Diction. des Sciences nat. V. p. 374. n° 6.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 291. n° 8.
B. tomentosus (Meg.) DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Patria : Dalmatia, Volhynia, Austria.

* 85. B. CISTI.

Ovatus, niger, tenue griseo-pubescens; antennis longioribus, basi obscure ferrugineis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 13. n° 3.
FABR. *Sys. el.* II. p. 400. n° 26. — *Ent. Sys.* I. II. p. 322. n° 16. — *Mant.* I. p. 42. n° 16. — *Sp. ins.* I. p. 76. n° 12. — *Sys. ent.* p. 65. n° 7.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 159. n° 3.
PANZ. *Faun. Germ.* LXVI. n° 12. — *Ent. Germ.* p. 291. n° 5.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 45. III.—Ed. HELLER. I. p. 47. n° III.
Dict. des Sciences nat. V. p. 374. n° 5.
VILLERS. *Ent.* I. p. 171. n° 4.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 229. n° 3.
LINN. *Sys. nat.* GMEL. I. IV. p. 1736. n° 21.
B. villosus. STURM. *Verz.* 1796. p. 53. n° 23. T. 2. f. 11.
B. ater. MARSH. *Ent. Brit.* p. 236. n° 4.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 268, n° 3.
Patria : Europa borealis et temperata.

86. B. MURINUS. *Stev.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea tectus, thorace elytrisque albo-punctatis, antennis longiusculis, basi tibiisque anterioribus rufo-testaceis, tarsis anterioribus jam nigris, jam ferrugineis vel testaceis. — BHN.

B. murinus. BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 13. n° 12.

B. murinus et *rufiulnis*. Dom. STEVEN. *in Litt.*

Patria : Tauria, Lusitania.

* 87. B. SEMINARIUS.

Oblongo-ovatus, niger, pube grisea subvariegatus, antennarum basi, genibus tibiisque anterioribus rufo-testaceis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 14. n° 4.

LINN. *Sys. nat.* I. II. p. 605. n° 6. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1737. n° 6.

FABR. *Sys. el.* II. p. 400. n° 29. — *Ent. Sys.* I. II. p. 373. n° 19. — *Mant.* I. p. 42. n° 18. — *Sp. ins.* I. p. 76. n° 14. — *Sys. ent.* p. 65. n° 8.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 10. 12. T. 2. f. 12. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 200. n° 21.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 44. n° 110.—*Mant.* II. p. 129.—Ed. HELL. p. 47. n° 110.

MARSH. *Ent. Br.* p. 236. n° 3.

PANZ. *Ent. Germ.* I. p. 291. n° 7.

Dict. des Sciences nat. V. p. 374. n° 4.

VILLERS. *Ent.* I. p. 171. n° 3. T. 1. f. 19.

WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 229. n° 4.

Patria : Europa.

* 88. B. TIBIALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube tenui cinereo-albida tectus; antennis pedibusque anterioribus testaceis.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 14. n° 13.

B. flavicornis. Dom STEVEN *in Litt.*

Patria : Tauria.

* 89. B. PAUPER. *Schh.*

Obongo-ovatus, pube densa, depressa, cinerea-fulvescenti undique tectus, antennis tenuibus pedibusque nigris.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 15. n° 14.

Patria: Khersoma Thraciæ.

* 90. B. PYGMÆUS.

Ovatus, niger, dense griseo-pubescens, antennis brevioribus, perfoliatis, thorace transverso, antice coarctato, pedibus nigris.

B. pygmæus. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Inter minimos hujus generis. Habitus et summa similitudo *B. sericati* Germ. sed pedibus omnino nigris, antennis perfoliatis, non serratis distinctus. Caput oblongum, deflexum, nigrum, subtilissime confertim punctulatum, griseo-pubescens; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, nigræ, articulis baseos angustioribus, sequentibus crassioribus, perfoliatis, ultimo ovato, oblique sub-acuminato. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice multo angustior, rotundatus, lateribus obliquis, integris, postice bi-sinuatus, angulis prominulis, supra modice convexus; totus niger, crebre rugoso-punctatus, pube densa, depressa, grisea undique tectus. Scutellum minutum, nigrum, griseo-pubescens. Elytra oblongo-quadrata, supra parum convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis rugulosis, pube grisea, dense abducta. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, pube sericea vestitum. Corpus subtus nigrum, creberrime punctulatum, pube sericea obtectum. Pedes omnes toti nigri, postici multo longiores et crassiores, femoribus muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

91. B. Foveolatus.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, tenuiter cinereo-pubescens, unicolor, antennis latis, compressis, basi piceis, thorace subconico, basi tri-foveolato, elytris punctato-striatis.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

E minimis hujus generis. *B. sericato* Germ. tamen paulo major, convexus, niger, unicolor, pube tenui cinereo-sericea, nitida undique adspersus. Caput majusculum, convexum, subtilissime alutaceum, nigrum; oculi majusculi, lunati, nigri. Antennæ dimidiam corporis longitudinem superant, valde latæ, compressæ, nigræ, pubescentes, articulis tantum tribus baseos angustioribus, supra piceis, subtus ferrugineis. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius angustatus, subconicus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis, basi sinuatus, lobo medio sub-emarginato et foveola majori impresso; supra convexus, sub-pulvinatus, confertim alutaceus, intra angulos baseos utrinque fovea impressus, niger, tenuiter sericeo-pubescens. Scutellum oblongum, nigrum, pubescens. Elytra antice singulatim rotundata, callo humerali elevato, pone humerum ampliata, posterius angustiora, apice etiam

singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, evidenter punctato-striata, nigra, subtiliter pubescentia. Pygidium magnum, cordatum, convexum, dense sericeo-pubescens. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, tenuiter pubescens. Pedes toti nigri, tenue pubescentes, femoribus posticis longioribus et crassioribus muticis.

Observ. — *B. pygmæo* valde similis, sed paulo longior et angustior, antennæ longiores, multo latiores, compressæ, aliter constructæ, thorax longior, subconicus, basi evidenter tri-foveolatus, unde forte specie distinctus, etsi a Dom. Comite Dejean sub eodem nomine missus. GHL.

* 92. B. SERICATUS. *Steven.*

Thorace transverso, antice coarctato, niger, fusco-tomentosus, antennarum basi tibiisque anticis rufis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 184. 306.
B. parvulus. Dom. STEVEN *in Litt.*

Patria : Tauria.

Observ. Præter *B. sericatum* Germ., in *Trifolio Pannonico* Tauriæ habitantem, specimina communicavit celeb. Dom. Steven, in *Trifolio expanso et bracteato* lecta, sed hos a *B. sericato*, specie distinguere non valuimus.

* 93. B. ANTENNALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, niger, subtiliter cinereo-tomentosus, antennarum basi, genibus tibiisque anticis rufescentibus, antennis longis, crassis, thorace subconico, elytrorum striis vix punctatis.

Patria : Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

B. sericato Germ. simillimus, sed paulo major, antennæ crassiores, thorax longior, magis conicus, et striæ elytrorum vix punctatæ. *B. pusillo* Germ. etiam affinis, sed ille fere duplo major, genibus tibiisque secundi paris etiam rufescentibus distinctus. Caput majusculum, oblongum, punctulatum, nigrum; oculi magni, lunati, nigri, prominuli. Antennæ corporis medium superant, articulo primo clavato, piceo, 2-4 parvis, rufis, sequentibus magnis, latis, compressis, nigris, ultimo reliquis longiore, ovato. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius duplo angustior, subconicus, apice truncatus, lateribus obliquis, non-

nihil ampliatis; basi utrinque truncatus, lobo medio lato, longius producto, apice obtuso; supra convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, niger, opacus, tomento tenui cinereo æqualiter vestitus. Scutellum angustum, apice emarginatum, concolor. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, argute striata, striis vix visibiliter punctatis; nigra, tomento tenui cinereo adspersa. Pygidium oblongum, fere conicum, parum convexum, punctulatum, marginatum, nigrum. Corpus subtus convexum, subtilissime punctulatum, nigrum, tenuiter pubescens. Pedes mediocres, nigri, genibus, tibiis tarsisque primi paris rufo-testaceis. Ghl.

* 94. B. Carinatus.

Ovatus, niger, pube tenui sericea nitida adspersus, fronte carinata, antennis totis nigris, thorace convexiore, subconico, tibiis quatuor anterioribus tenuibus ferrugineis.

Habitat.... Dom. Faldermann. Mus. Schh.

B. sericato magnitudine et facie simillimus, distinctus tamen videtur, notis in diagnosi allatis. Caput deflexum, nigrum, subtilissime alutaceum, fronte inter oculos carinula brevi notata; oculi lunati, nigri. Antennæ longitudine dimidii corporis, totæ nigræ. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice dimidio angustior, compressus, subconicus, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi bi-sinuatus, supra in medio longitudinaliter convexus, subtilissime alutaceus, niger, lateribus et in linea media angusta densius cinereo-pubescens. Scutellum quadrangulum, apice emarginatum, dense pubescens. Elytra quoad formam ut in *B. sericato*, supra fere plana, subtiliter punctato-striata, nigra, pube tenui sericea æqualiter adspersa. Pygidium sub-cordatum, nigrum, parce pubescens. Corpus subtus nigrum, tenuiter pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, nigri, tibiis pallide ferrugineis; postici validiores, toti nigri. Ghl.

GREX A. PACHYMERUS. *Latreille.* (1)

Bruchus. Auctorum variorum.

Adumbratio. — Antennæ aut thorace haud longiores, extrorsum gradatim latiores, compressæ, articulis subperfoliatis, aut longitudine dimidio corporis, articulis 6 vel 8 ultimis acute serratis. — *Caput* carinatum. — *Oculi* sublaterales, profunde emarginati, prominuli. — *Thorax* antice valde coarctatus, capite sub-angustior, postice profunde bi-sinuatus, in medio lobatus, angulis acutis. — *Elytra* subquadrata, apice singulatim rotundata, supra subplana. — *Pygidium* magnum, apice rotundatum, descendens. — *Femora* postica valde incrassata, subtus versus apicem serrata et dentata; tibiæ teretes, posticæ arcuatæ. — *Corpus* breviter ovatum, parum vel vix convexum. — Ceterum ut in *Bruchis* genuinis.

TYPUS. — *Bruchus brasiliensis.* THUNB.

A παχὺς crassus, μηρὸς femur.

Observ. — Genus *Pachymerus*, a celeb. Dom. Latreille propositum, ut a *Bruchis* genuinis distinctum, adoptare quidem studui, at frustra; characteres enim ejus, a structura pedum præcipue desumti, minus stabiles mihi videntur, nam formatio harum partium immense variabilis est, et ab una forma in alteram successive transit; quare, me judice, in construendis Gregibus melius adhiberi possint.

STIRPS 1. — Antennæ breviusculæ, extrorsum crassitudine crescentes; articulis sub-perfoliatis.

95. B. DIFFORMIS.

Fusco cinereoque varius, femoribus posticis incrassatis, spina erecta basi dentata.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 6. n° 3. T. I. f. 3. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 198. n° 5.

Patria : Senegalia.

---

(1) Latr. Règne anim. p. 386. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 189. — Thunb. in Goetting. Geli. Anz. 1805. XXIX. p. 281, — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 28. *Bruchus*, Stirps 1.

* 96. B. Brasiliensis.

Piceus, helvo-pubescens, fusco-varius, thorace subconico, obsolete carinato, elytris quadratis, nigro alboque tessellatis, antennis pedibusque anterioribus rufo-testaceis, femoribus posticis crassis, subtus dente acuto, basi crenato, armatis. Ghl.

Thunb. in *Acta Holm.* 1816. I. p. 45. n° 1. T. 2. f. 1.
B. Faldermanni. Mannerh. in Humm. *Essais ent.* VI. p. 10. Tab. fig.
B. Cayennensis. Dej. *Cat. Col.* p. 78.

Patria : Brasilia, Cayenna, Nova Hispania.

97. B. Grammicus. *Schneider.*

Rufo-piceus, ochraceo-pubescens, thorace subconico, canaliculato elytrisque fusco albidoque variegatis, antennis pedibusque testaceis, femoribus posticis crassis, piceis, subtus versus apicem spina acuta, basi crenata, armatis.

Habitat in Brasilia, teste Dom. Schneider. Mus. Ghl.

B. Brasiliensi Thunb. proximus, sed dimidio minor, anterius angustior, thorax canaliculatus, tibiæ posticæ testaceæ. Caput cum rostro longitudine fere thoracis, porrectum, valde angustum, medio carinatum, piceum, pube densa ochracea vestitum; oculi profunde incisi, brunnei, minus prominuli. Antennæ vix thoracis basin attingunt, extrorsum gradatim latiores, compressæ, testaceæ, versus apicem parum infuscatæ. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius plus duplo angustior, apice truncatus, lateribus valde obliquis, emarginatis, basi quadrifariam sinuatus, angulis lateralibus acutis, lobo medio longius producto, lato, obtuse rotundato; supra inæqualis, in medio canalicula angusta exaratus, cui utrinque adjacet vitta valde elevata, nigra, denudata; versus latera depressus, piceus, pube densa ochracea et albida vestitus, et versus posteriora utrinque puncto brunneo notatus. Scutellum triangulare, depressum, piceum, ochraceo-pubescens. Elytra ampla, antice multi-sinuata, callo humerali elongato, alte elevato; pone basin fere ad medium ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra in dorso impressa, callo postico elevato, elongato, cum callo humerali fere confluente, partem impressam elytrorum includente; obsoletius sub-remote punctato-striata, piceo-ferru-

ginea, pube depressa ochracea, albida et fusca variegata. Pygidium magnum, perpendiculare, semi-ovatum, pube densa albida et fusco-brunnea plagiatim vestitum. Corpus subtus valde convexum, piceum, pube densa albida et ochracea vestitum, pectoris lateribus plagis obliquis, ventre maculis seriatis fuscis notatis. Pedes quatuor anteriores tenues, testacei, femoribus fasciatim albido-pubescentibus; femora postica magna, crassa, picea, pube albida plagiatim variegata, subtus versus apicem spina recta, acuta, basi denticulo uno alterove munita, armata; tibiæ ejusdem paris elongatæ, arcuatæ, cum tarsis ferrugineæ. GHL.

* 98. B. SCURRA. *Schh.*

Breviter ovatus, supra umbrino subtus niveo-squamosus, thorace subconico, dorso elevato, canaliculato, quadri-tuberculato, macula ante scutellari magna nivea, elytris quadratis, punctato-striatis, nigro alboque tessellatis, femoribus posticis incrassatis, apice extus crenulatis, intus quadri-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Statura fere et affinitas *B. Brasiliensis* Thunb. sed dimidio minor et facile distinctus. Caput angustum, deflexum, ante oculos sub-lineare, nigrum, creberrime subtiliter punctulatum, squamulis umbrinis obductum; fronte medio carinata; ore testaceo; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ vix thorace longiores, mox in emarginatura oculorum insertæ, crassiusculæ, sub-perfoliatæ, rufo-testaceæ, fasciatim griseo-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, apice capite non nihil latior, subconicus, dorso valde elevatus, longitudinaliter sat profunde canaliculatus, medio transversim impressus, ut quasi quadri-tuberculatus videtur, postice supra scutellum productus, posterius utrinque intra latera depressus, uni-tuberculatus, angulis baseos sub-rectis; niger, umbrino-squamosus, macula magna in lobo scutellari, basi latiore et punctis aliquot niveis, ornatus. Scutellum oblongo-quadratum, medio canaliculatum, sordide niveo-squamosum. Elytra sub-quadrata, antice thoracis basi parum angustiora, humeris rotundatis, pone humeros ampliata, lateribus sub-recta, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, supra plana, nigra, regulariter punctato-striata, umbrino-squamosa, maculis majoribus et minoribus oblongo-ovatis albis et nigris tessellata, et præterea in singulo ante medium prope suturam, macula major, sub-rotundata, atro-holosericea, decorata. Corpus subtus valde convexum, nigrum, dense niveo-squamosum. Pygidium triangulare, niveo-squamosum.

Pedes quatuor anteriores breves, rufo-testacei, basi infuscati, albido-squamosi; postici multo longiores, nigro-picei, femoribus robustis, valde incrassatis, maculisque obscurioribus notatis, subtus extus crenulatis, intus distincte acute quadri-dentatis, dente primo longiore, validiore; tibiis valde arcuatis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, testaceis, albido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

99. B. Speculifer. *Dejean.*

Saturate ferrugineus, tomento pallescente variegatus, capite, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace supra gibbo, inæquali, femoribus posticis subtus spina longiore denticulisque plurimis armatis, pygidio plaga disci polita nitidissima ornato.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum communicatus.

B. Grammico statura similis, sed plus duplo minor. Caput oblongum, deflexum, subtiliter alutaceum, pallide testaceum, parce tomentosum, fronte carinula brevi notata; oculi magni, lunati, nigri. Antennæ vix thoracis basin superant, extrorsum gradatim latiores, compressæ, serratæ, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos non longior, antice fere triplo angustior, apice truncatus, lateribus valde obliquis, anterius leviter emarginatis; basi quadri-sinuatus, angulis lateralibus acutis, lobo medio longius producto, lato, obtuse rotundato; supra valde inæqualis, in disco et medio apicis gibbosus, obsolete canaliculatus, lateribus et postice depressus, saturate ferrugineus, tomento pallescente inæqualiter vestitus. Scutellum apice emarginatum, dense pallido-tomentosum. Elytra ampla, antice multi-sinuata, callo humerali oblongo, alte elevato; pone basin oblique ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; saturate ferruginea, tomento pallescente inæqualiter vestita. Pygidium magnum, semi-ellipticum, limbo antice late, angulatim, posterius anguste albo-sericeo tomentoso; disco lævissimo, nitido, glabro, saturate brunneo. Corpus subtus punctulatum, ferrugineum, pectore densius pallido-tomentoso, ventre maculis albido-tomentosis notato. Pedes anteriores mediocres, pallide testacei, brunneo sub-fasciati; postici magni, femoribus valde crassis, testaceis, subtus denticulis numerosis minoribus spinaque unica longiore recta armatis; tibiis arcuatis, saturatius brunneis. Ghl.

100. B. INCRUSTATUS. *Hoffmansegg.*

Niger, tomento depresso albido-sericeo undique vestitus, tibiis anterioribus tarsisque omnibus testaceis, thorace inæquali, canaliculato, nigro-maculato, femoribus posticis subtus quadri-dentatis, primo majore.

Patria : India occidentalis. Ex Musæo OLIVERIANO a Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Statura præcedentium, sed *B. Speculifero* adhuc dimidio minor. Caput oblongum, deflexum, subtilissime punctulatum, nigrum, postice albido-tomentosum, fronte carinata; oculi magni, lunati, nigri. Antennæ in specimine viso desunt, modo basis testacea adest. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice plus quam duplo angustior, truncatus, latèribus valde obliquis, basi subquadri-sinuatus, angulis lateralibus acuminatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra valde inæqualis, in medio longitudinaliter convexus, cum canalicula obsoletiore, lateribus et postice depressus; niger, tomento denso, depresso albo-sericeo vestitus, maculis nonnullis minoribus fuscis sparsis et una magna atra in medio antico notatus. Scutellum breve, apice emarginatum, dense albo-tomentosum. Elytra ampla, antice multi-sinuata, callo humerali elevato, pone basin oblique ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace modo sesqui-longiora, supra inæqualia, in medio dorsi impressa, subtiliter sub-remote punctato-striata, nigra, tomento denso albo-sericeo tecta, callo humerali, litura irregulari, pone medium disci, maculaque oblonga marginali posterius atris, notata. Pygidium magnum, semi-orbiculatum, tomento denso albo-sericeo tectum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-tomentosum, ventre utrinque fascia abbreviata nigra notato. Pedes quatuor anteriores mediocres, albido-tomentosi, femoribus obscuris, nigro-fasciatis, tibiis tarsisque testaceis; postici magni, femoribus crassis, clavatis, nigris, externe dense albo-tomentosis, subtus versus apicem spina longa, recta, acuta denticulisque tribus parvis armatis, tibiis arcuatis, nudis, nigris, tarsis crassiusculis testaceis. GHL.

* 101. B. INÆQUALIS. *Schh.*

Ovatus, niger, supra sub-depressus, thoracis dorso lineis duabus longitudinalibus elevatis interruptis, elytris nigro alboque variegatis, antennis pedibusque anterioribus rufo-testaceis, femoribus posticis incrassatis.

Bohem. *in Acta Mosq.* VI. p. 4. n° 2.

Patria:

Observ. — *B. scurræ* proximus, sed duplo minor, obsoletius variegatus, macula albida baseos thoracis angusta, non basi dilatata, anchoriformis, ut in illo; tuberculum elevatum in medio baseos singuli elytri et femora postica obsoletius denticulata. Ghl.

* 102. B. Melancholicus. *Schh.*

Breviter ovatus, ater, griseo-pubescens, antennis pedibusque anterioribus rufo-testaceis, thorace subconico, basi canaliculato, utrinque uni-tuberculato, elytris subtilissime punctato-striatis, plaga media densius albido-squamosa, femoribus posticis acute dentatis.

Habitat in seminibus Clitoriarum. Mus. Com. de Mannerheim et Schh.

Magnitudo *B. scurræ*, paulo tamen angustior, sed variat etiam duplo minor. Caput oblongum, deflexum, collo longo et crasso, thoraci adnexum; totum nigrum, opacum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, medio distincte carinatum; ore piceo; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ capite cum thorace nonnihil breviores, crassiusculæ; præsertim extrorsum rufo-testaceæ, cinereo pubescentes, in mare sub-pectinatæ, in femina acute serratæ. Thorax sub-obconicus, antice coarctatus, capite vix latior, versus basin sensim ampliatus, lateribus nonnihil sinuatus, basi bi-sinuatus, lobo magno ante scutellari munitus, angulis baseos prominulis, acutis, supra modice convexus, postice utrinque uni-tuberculatus; niger, crebre subtiliter rugoso-punctatus, pube tenui helvola adspersus, supra posterius canaliculatus, apice foveola parva impressus. Scutellum oblongo-quadratum, apice emarginatum, nigrum, griseo-pubescens. Elytra oblongo-quadrata, antice thoracis basi fere angustiora, humeris rotundatis, mox pone humeros nonnihil ampliata, lateribus fere recta, apice singulatim obtuse rotundato, supra sub-plana, subtilissime punctato-striata, interstitiis rugulosis; tota atra, pube grisea adspersa, in mare pone scutellum ultra medium, plaga communi sat magna, niveo-squamosa, in femina obsoleta. Corpus subtus valde convexum, nigrum, griseo-squamosum. Pygidium pone elytra triangulare, cæsio vel niveo-squamosum. Pedes quatuor anteriores breves, tenues, rufo-testacei, griseo-pubescentes, femoribus a basi ultra medium nigris; postici multo longiores et crassiores, toti nigri, densius cinereo-pu-

bescentes, femoribus punctatis, valde incrassatis, maculis obscurioribus decoratis, intus dentatis; tibiis arcuatis, apice spina acuta, armatis. Tarsi elongati, picei, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 103. B. PODAGRICUS.

Ovatus, fusco-piceus, opacus, dense griseo-tomentosus, antennis pedibusque testaceis, elytris profunde, remote punctato-striatis, albido-guttatis, femoribus posticis magnis, subtus versus apicem serratis, et in medio dente valido, acuto armatis. GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 399. n° 21. forte.

Patria: America meridionalis, insula S. Barthelemy.

Observ. — Forte *B. podagricus* Fabr. etsi serraturam femorum posticorum non memorat. Statura et facies *B. Scutellaris* Fabr. illoque parum major. Femora postica magna, externe convexa, interne plana, subtus in medio dente valido armata et pone dentem serrata.

STIRPS 2. — Antennæ longiusculæ; articulis serratis.

104. B. BOOPS. *Schh.*

Ovatus, niger, opacus, tomento tenui fusco-cinereo vestitus, antennis longis, acute serratis, elytrorum striis angustis, obsolete punctatis, pedibus piceo-testaceis, femorum posticorum dente primo longo, valido, acuto.

Patria: Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Magnitudo fere *B. Pisi.* Caput punctulatum, fusco-piceum, cinereo-tomentosum; oculi maximi, nigro-brunnei, antice anguste incisi. Antennæ dimidio corpore longiores, nigræ, articulis tribus primis parvis, sequentibus intus longe productis, triangularibus, acutis, ultimo oblongo, angusto, acuminato. Thorax antice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, modice ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo medio nonnihil producto, rotundato; supra modice convexus, confertim punctatus, niger, opacus, fusco-tomentosus. Scutellum quadrangulum, apice emarginatum, concolor. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis; pone basin ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra fere plana, anguste striata et in striis obsoletius punctata, interstitiis planis, disperse granulatis; nigra, opaca, tomento tenui fus-

co et cinereo obsolete variegata. Pygidium magnum, semi-ovatum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum, nigro-maculatum, basi macula triangulari niveo-tomentosa notatum. Corpus subtus convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, piceo testacei, pubescentes; postici magni, femoribus valde crassis, subtus versus apicem dente elongato, recto, valido et posterius quatuor minoribus armatis; tibiis arcuatis, tarsis elongatis, angustis. GHL.

105. B. STULTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra sub-depressus, tomento tenui cinereo variegatus, antennis serratis pedibusque piceo-testaceis, elytris concinne punctato-striatis, maculis oblongis nigris, nonnullis albo-pupillatis notatis.

Patria: Gambia. Mus. Dom. FALDERMANN.

B. inæquali similis, sed paulo longior et angustior, antennæ acute serratæ, elytra subtilius punctato-striata, aliter colorata. Caput oblongum, punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi magni, nigro-brunnei, antice profunde sed anguste incisi. Antennæ longiusculæ, fusco-piceæ, articulis sex ultimis flagelli intus productis, acute serratis, ultimo angustiore, ovato, acuminato. Thorax subconicus, antice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi utrinque truncatus, lobo medio lato, producto, rotundato; supra parum convexus, confertim punctatus, niger, pube tenui, depressa, cinereo-albida variegatus, in medio anguste canaliculatus. Scutellum quadratum, apice emarginatum, nigrum, dense albo-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone basin nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra fere plana, anguste striata et in striis confertim punctata, interstitiis latis, planis; nigra, pube tenui, depressa, cinerea inæqualiter vestita, maculis numerosis, oblongis nigris notata, quarum duæ in medio anteriori singuli elytri pupilla albida instructi. Pygidium magnum, semi-ellipticum, punctulatum, cinereo-tomentosum et nigro-maculatum. Corpus subtus valde convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi piceo-testacei, cinereo-tomentosi, anteriores quatuor tenuiores, postici magni, femoribus crassis, subtus versus apicem serratis, tibiis arcuatis, tarsis elongatis, angustis. GHL.

GREX B. CARYOBORUS. *Nob.*

Caryedon. STEVEN. — *Pachymerus.* LATR. THUNB. (1).

Adumbratio. — *Antennæ* longæ, plus minusve serratæ, articulis sub-æqualibus.—*Caput* sæpius carinatum.—*Oculi* magni, emarginati, oblique positi, apice subcontigui, paulo prominuli.—*Thorax* antice angustior, angulis rotundatis, postice bi-sinuatus, angulis acutis.—*Elytra* latitudine duplo longiora, oblongo-ovalia, modice convexa, pygidii basin obtegentia.—*Femora* postica valde incrassata, subtus in margine posteriore pectinato-denticulata; tibiæ teretes, posticæ arcuatæ.—*Corpus* elongato-ovatum, modice convexum.

TYPUS.—*Bruchus serripes.* BOHEM. et STURM.

A καρύα nux, βορὸς vorax.

106. B. CURVIPES (2).

Niger, tomento brevissimo, rufescenti-cinereo, elytris abdomen penitus supertegentibus, striis profundis e punctis subcontiguis.—LATR.

HUMB. et BONPL. Voy. II. IV. p. 234. n° 16. T. 16. f. 5-6.
GERM. *Magaz.* I. II. p. 111. n° 16.
B. ruficornis. GERM. *Mag.* III. p. 1. Tab. 1. f. 4. et p. 463.
HUMMEL. *Essais entom.* VI. p. 10. n° 13.

Patria : Nova Hispania, Americæ meridionalis insulæ.

* 107. B. NUCLEORUM.

Oblongus, nigro-fuscus, tomento tenuissimo cinereo vestitus, thorace semi-circulari, postice leviter bi-sinuato, femoribus posticis maximis, inflatis, subtus acute serratis, denteque antico majori armatis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 396. n° 2.—*Ent. Syst.* I. II. p. 369. n° 2.
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 5. n° 1. T. 1. f. 1.
B. Bactris. HERBST. *Arch.* p. 28. n° 3. T. 20. f. 16.
HERBST (Borowsky). *Naturg.* VI. p. 102. n° 3. T. 13. f. 3.

Patria : America meridionalis, Brasilia.

---

(1) Latr. Regne Anim. p. 381. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 589. — Thunb. in Goetting. Gel. Anz. 1805. XXIX. p. 281. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 29. *Bruchus*, Stirps 4.

(2) Mihi invisus

* 108. B. BACTRIS.

Brevior, niger, tomento tenui cinereo vestitus, thorace semi-circulari, postice evidentius bi-sinuato, femoribus posticis maximis, subtus obsoletius serratis, denteque antico majori armatis.—GHL.

LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 605. n° 4.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1736. n° 4.
FABR. *Syst. el.* II. p. 396. n° 3. — *Ent. Syst.* I. II. p. 369. n° 3.— *Mant.* I. p. 81. n° 2.
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 5. n° 2. T. I. f. 2.— *Enc. méth.* V. p. 197. n° I.
Dermestes. Bactris. LINN. *Amœn. Acad.* VI. p. 392. n° 6. — *Cent. Ins.* p. 9. n° 6.
Pachymerus id. THUNB. *in Gœtting. Gel. Anz.* 1805. XXIX. p. 281.
JACQUIN. *Hist.* Tab. 170.

Patria : America meridionalis, Cayenna.

Observ.—*B. nucleorum* valde affinis, sed dimidio minor, præsertim brevior, color magis niger; thorax postice evidentius sinuatus et serratura femorum posticorum obsoletior, magis obtusa, unde species distinctus videtur.

* 109. B. SERRIPES. *Hoffmansegg.*

Fusco-brunneus, sericeo-pubescens, thorace marginato, parce et sat profunde punctato, antennis profunde serratis, longitudine fere corporis, femoribus posticis magnis, crassis, subtus dentatis crenulatisque.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 17. n° 17.
STURM. *Ins. Catal.* 1826. I. p. 74. T. 3. f. 28.

Patria : Brasilia.

* 110. B. ARTHRITICUS.

Ellipticus, nigro-piceus, pube cinerea sub-variegatus, thorace transverso, lateribus rotundato, supra fere plano, remote punctato, elytris remote striato-punctatis, femoribus posticis crassissimis, subtus versus apicem pectinato-dentatis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 398. n° 19.
B. Gleditsiæ. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 605. n° 3.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1736. n° 3. ?
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 9. n° 7. T. I. f. 7. a, b.— *Enc. méthod.* V. p. 198. n° 5.

Dermestes. id. LINN. *Cent. Ins.* p. 9. n° 5.—*Amœn. Acad.* VI. p. 392. n° 5. ?

Habitat in America Boreali. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Spermophagi robiniæ.* Caput rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-pubescens, collo angusto thoraci adnexum, fronte obsoletius carinata; oculi maximi, latera tota capitis occupantes, nigri, convexi; os et palpi picei. Antennæ corporis dimidium vix superant, fusco-piceæ, extrorsum acute serratæ. Thorax brevissimus, transversus, antice paulo angustior, truncatus, lateribus marginatus, ante medium rotundato-ampliatus, basi leviter sinuatus, angulis lateralibus sub-rectis, lobo medio parum producto, emarginato; supra in dorso fere planus, evidenter, sub-remote, inæqualiter punctatus, rufo-piceus, pube satis densa, depressa, cinerea vestitus. Scutellum semi-ovale, depressum, pubescens. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, callo humerali magno, elevato, pone humerum fere ad medium ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, evidenter, sub-remote striatim punctata, interstitiis planis, sublævibus; piceo-ferruginea, pube depressa cinerea sub-variegata. Pygidium semi-orbiculatum, planum, punctatum, piceum, maxima parte ab elytris tectum. Corpus subtus nigro-piceum, vix punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes nigro-picei, cinereo-pubescentes, anteriores mediocres, simplices; femora postica maxima, inflata, subtus versus apicem pectinatim serrata, dentibus sex, primo majore, acuto; tibiæ ejusdem paris valde arcuatæ, apice spina valida armatæ. GHL.

111. B. SERRATUS.

Ellipticus, sub-depressus, fusco-piceus, tomento denso griseo vestitus, thorace antice angustiore, sub-remote punctato, elytris obsolete punctato-striatis, femoribus posticis maximis, subtus versus apicem denticulis parvis numerosis serratis.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 10. n° 8. Tab. 1. f. 8. a, b.—*Enc. méth.* V. p. 199. n° 11.

Patria: Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad definiendum communicatus.

Magnitudo et facies *B. arthritici*, sed thorax antice angustior, elytra obsolete tantum punctato-striata; *B. cassiæ* etiam affinis, sed plus duplo major, obscurior, densius pubescens, etc. Caput

triangulare, collo angusto, inflato thoraci adnexum, punctatum, fusco-piceum, vertice breviter carinato; oculi maximi, brunnei, in fronte fere convexi, antice leviter emarginati. Antennæ thorace paulo longiores, interne serratæ, fusco-testaceæ. Thorax latitudine brevior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, fere planus, sat profunde, disperse punctatus, fusco-piceus, tomento denso griseo vestitus. Scutellum triangulare, dense griseo-squamosum. Elytra magna, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus ante medium ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace quintuplo longiora, supra fere plana, obsolete punctato-striata, interstitiis sub-rugosis; fusco-picea, opaca, tomento denso griseo vestita. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, obscure testaceum, parcius tomentosum. Corpus subtus punctatum, fusco-piceum, densius griseo-tomentosum. Pedes piceo-testacei, tomentosi, anteriores mediocres, simplices; postici magni, femoribus valde crassis, inflatis, subtus versus apicem pectinato-serratis, denticulis 10 aut 12, parvis, æqualibus; tibiæ ejusdem paris valde arcuatæ, apice spina recta, valida armatæ. Ghl.

* 112. B. Cassiæ. *Afzelius.*

Ellipticus, obscure testaceus, tenuiter cinereo-pubescens, antennis sub-serratis, extrorsum nigris, thorace brevi antice angustiori, elytris punctato-striatis, femoribus posticis maximis, subtus versus apicem pectinatim multi-dentatis.

B. serratus. Dej. *Cat. Col.* p. 78.
B. cinnamomeus. Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 103.

Habitat in *cassiis* ad Sierra Leona Africæ. Dom. Prof. Afzelius. Mus. Schh. et Ghl.

Statura *B. arthritici*, sed duplo, imo triplo minor, totus obscure testaceus, pube tenui, unicolori adspersus. Caput rotundatum, punctulatum, obscure testaceum, collo angusto thoraci adnexum, carina frontis satis elevata, ad verticem usque continuata; oculi maximi, convexi, nigri, latera tota capitis occupant. Antennæ vix corporis dimidium superant, articulis quatuor baseos angustioribus, testaceis, reliquis latioribus, sub-serratis, nigro-piceis. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, lateribus parum ampliatus, marginatus, basi leviter sinuatus, lobo medio parum producto, rotundato; supra parum convexus, evidenter et minus confertim punctatus, obscure testaceus, tenuiter cinereo-pubescens.

Scutellum rotundatum, sub-elevatum, dense pubescens. Elytra obovata, antice singulatim obtuse rotundata, callo humerali elevato, oblongo; pone humeros ampliata, posterius angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, evidenter striata et in striis obsolete punctata, interstitiis subtilissime alutaceis; obscure testacea, tenuiter pubescentia. Pygidium semi-ellipticum, testaceum, maxima parte ab elytris tectum. Corpus subtus testaceum, subtilissime punctulatum, tenuiter pubescens. Pedes quatuor anteriores minores, pallidius testacei; postici magni, saturatiores, femoribus valde crassis, inflatis, subtus versus apicem pectinato-serratis, denticulis 10 aut 12, primo majori, acuto; tibiæ ejusdem paris valde arcuatæ, apice spina valida armatæ. GHL.

* 113. B. GONAGRA.

Ellipticus, fusco-piceus, pube densa, depressa, cinerea vestitus, antennis pedibusque anterioribus obscure testaceis, thorace brevi, antice angustiore, elytris subtiliter punctato-striatis, femoribus posticis crassissimis, subtus versus apicem pectinato-multidentatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 399. n° 20.—*Ent. Syst.* Suppl. p. 159. 11—12.

Habitat in India orientali. Mus. GHL. et SCHH.

Br. cassiæ similis, sed paulo longior et angustior, densius pubescens, aliter coloratus. Caput et oculi omnino ut in *B. cassiæ*, modo color obscurior, fusco-piceus. Antennæ longitudinem dimidii corporis attingunt, articulo primo longo, crassiore, sub-clavato, supra fusco, secundo brevi, 2, 3, paulo longioribus obconicis, dilutius testaceis, 5—10, crassioribus, sub-æqualibus, fusco-testaceis, interne acuminatis, ultimo ovato, concolore. Thorax latitudine brevior, anterius subito angustior, truncatus, lateribus ante medium ampliatus, basi leviter sinuatus, angulis sub-rectis, supra parum convexus, evidenter punctatus, fusco-brunneus, pube longiore, densa, depressa, cinerea vestitus. Scutellum breve, rotundatum, concolor, pubescens. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, callo humerali longo, elevato; pone humeros ampliata, posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace fere quintuplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, brunnea vel fusco-picea, pube simili uti thorax vestita et obsolete variegata. Pygidium valde angustum, semi-ellipticum, brunneum, pubescens. Corpus subtus saturatius nigro-piceum, subtilissime punctulatum, tenuiter cinereo-pubescens. Pedes quatuor anteriores mediocres, testacei, externe infuscati; postici magni,

fusco-picei, femoribus crassissimis, inflatis, dense cinereo-pubescentibus, subtus versus apicem pectinato-serratis, denticulis 14—16, primo majori, acuto; tibiæ ejusdem paris valde arcuatæ, sulcatæ, fere nigræ, tarsis tenuibus pallidioribus. GHL.

* 114. B. ACACIÆ. *Klug.*

Oblongo-ovatus, obscure ferrugineus, cinereo-tomentosus, antennis pedibusque dilutius testaceis, fronte carinata, thorace granulato, elytris obsolete punctato-striatis, femoribus posticis maximis, subtus concinne serratis.

Patria : Dongola Arabiæ. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH. et GHL.

Statura et facies *B. gonagræ.* Fabr. sed dimidio minor, colore antennarum et armatura femorum distinctus. Caput sub-triangulare, punctulatum, ferrugineum, fronte evidenter carinata; oculi maximi, granulati, nigri, antice parum emarginati. Antennæ longitudine dimidii corporis, arcuatæ, extrorsum paulo crassiores, sub-serratæ, dilute testaceæ. Thorax transversus, antice truncatus, angulis compressis, lateribus dein fere rectis; basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis, lobo medio lato, rotundato; supra modice convexus, granulatus et punctatus, obscure ferrugineus, tomento depresso cinereo vestitus. Scutellum oblongum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, humeris elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, tenuiter striata et in striis obsolete, sub-remote punctata, obscure ferruginea, fusco irrorata, tomento cinereo vestita. Corpus subtus punctulatum, ferrugineum, tenuiter cinereo-sericeum. Pedes quatuor anteriores tenues, pallide testacei; postici maximi, obscurius ferruginei, femoribus crassis, inflatis, subtus versus apicem concinne serratis, dentibus circiter novem acutis, posterioribus successive minoribus; tibiæ ejusdem paris valde arcuatæ. GHL.

115. B. PALLIDUS (1).

Pallide testaceus, elytris striatis longitudine abdominis, femoribus posticis serratis.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 10. n° 9. T. 1. f. 9. a, b.—*Enc. méth.* V. p. 199. n° 14.

Patria : Senegalia.

---

(1) Mihi invisus.

Ad genus BRUCHUS *referendæ sunt species mihi invisæ :*

116. B. SPINOSUS.

Griseus, antennis filiformibus, thorace elytrisque spinosis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 396. n° 1.—*Ent. Syst.* I. II. p. 369. n° 1.—*Mant.* I. p. 41. n° 1.—*Sp. ins.* I. p. 74. n° 1.—*Syst. ent.* I. p. 64. n° 1.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 197. n° 2.
Dict. des Sciences nat. V. p. 374.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1736. n° 19.
ILLIG. *Mag.* V. p. 241. n° 1.

Patria : Jamaica.

117. B. FEMORATUS.

Obscure ferrugineus, elytris fusco-maculatis, femoribus posticis elongatis, clavatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 397. n° 9.—*Ent. Syst.* suppl. p. 158. n° 7, 8.

Patria : India orientalis.

118. B. TRIMACULATUS.

Niger, elytris striatis, ferrugineis, maculis tribus nigris margine convexis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 397. n° 13.—*Ent. Syst.* suppl. p. 159. n° 10. 11.

Patria : India orientalis.

119. B. SPARSUS.

Cinereus, elytris albo-punctatis, femoribus posticis dentatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 398. n° 15.

Patria : Tanger.

120. B. BIPUSTULATUS.

Niger, elytris striatis, puncto rufo.

FABR. *Syst. el.* II. p. 398. n° 16.

Patria : America meridionalis.

121. B. BIPUNCTATUS.

Cinereus, elytris fuscis, puncto baseos ocellari atro.

FABR. *Syst. el.* II. p. 398. n° 17.—*Ent. Syst.* I. II. p. 371. n° 12.—*Mant.* I. p. 42. n° 13.—*Sp. ins.* I. p. 75. n° 10.

Sulz. *Gesch. d. Ins.* p. 36. T. 4. f. 2.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 200. n° 17.
Dict. des sciences nat. V. p. 374. n° 3.
Panz. *Ent. Germ.* p. 290. n° 3.
Villers. *Ent.* I. p. 172. n° 7. et IV. p. 265. n° 7.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1735. n° 17.
Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 46. n° 112. ?—*Ed.* Heller. p. 48. n° 112. ?

Patria : Helvetia.

122. B. Abdominalis.

Niger, abdomine cinereo-maculato, pedibus anticis testaceis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 400. n° 28.—*Ent. Syst.* I. II. p. 378. n° 18.—*Mant.* I. p. 42. n° 17.—*Sp. ins.* I. p. 76. n° 13.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 200. n° 20.
Linn. *Syst. nat.* — *Ed.* Gmel. I. IV. p. 1736. n° 22.

Patria : India orientalis.

123. B. Nigricornis.

Villosus, cinereus, antennis pedibusque nigris.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 400. n° 31.

Patria : Ile-de-France.

124. B. Vittatus.

Obscurus, elytris striatis, vitta media ferruginea.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 401. n° 33.

Patria : America meridionalis.

125. B. Maculatus.

Elytris punctatis, testaceis, nigro-maculatis, podice griseo, punctis binis nigris.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 401. n° 34.—*Ent. Syst.* I. II. p. 373. n° 22.—*Mant.* I. p. 42. n° 19.—*Sp. ins.* I. p. 76. n° 15.—*Syst. ent.* p. 65. n° 9.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 201. n° 22.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1737. n° 23.

Patria : America.

126. B. Capsincola.

Testaceus, cinereo-villosus, pedibus simplicibus.

Fabr. *Syst. el.* II. 401. n° 35.—*Ent. Syst.* suppl. p. 159. n° 22, 23.

Patria : Cayenna.

127. B. SERRATICORNIS.

Antennis pectinatis corpore longioribus, corpore grisco fusco maculato.

FABR. *Syst. el.* II. p. 401. n° 39.—*Ent. Syst.* I. II. p. 374. n° 25. — *Mant.* I. p. 42. n° 21.—*Sp. ins.* I. p. 77. n° 17. — *Syst. ent.* p. 65. n° 10.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 201. n° 25.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1737. n° 25.

Patria : Oriente.

128. B. PECTINICORNIS.

Antennis pectinatis corpore longioribus.

LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 605. n° 7.—*Ed.* GMEL. I. IV. p. 1737. n° 7.

FABR. *Syst. el.* II. p. 402. n° 43.—*Ent. Syst.* I. II. p. 374. n° 26.— *Mant.* I. p. 42. n° 22.—*Sp. ins.* I. p. 77. n° 18.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 14. 15. T. 2. f. 15. a. b.—*Enc. méth.* V. p. 201. n° 26.

Dict. des sciences nat. V. p. 374.

Curc. chinensis. LINN. *Syst. nat. ed.* 10. p. 386. n° 79.

SCHÆFF. *Elem.* Tab. 86. f. 1.

Patria : China.

129. B. BARBICORNIS.

Antennis pectinatis, niger, elytris striatis, ferrugineis, femoribus posticis unidentatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 403. n° 44.

Patria :

130. B. FLAVIPES.

Nigricans, antennis pectinatis pedibusque ferrugineis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 403. n° 45.

Patria :

131. B. VICIÆ.

Fusco-cinereus, elytris striatis, nigris, cinereo-nebulosis.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 12. n° 11. T. 2. f. 11. a. b.

Patria : Gallia meridionalis.

132. B. Testaceus.

Testaceus, capite nigro, femoribus posticis muticis.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 13. 14. T. 2. f. 14. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 201. n° 24.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

133. B. Quinqueguttatus.

Niger, elytrorum sutura punctisque quatuor albis.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 15. 16. T. 2. f. 16. a. b.

Patria : Barbaria.

134. B. Varius.

Niger, griseo-varius, antennarum apice tibiisque rufis.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 18. n° 23. T. 3. f. 23. a. b.

Patria : Europa.

135. B. Fasciatus.

Niger, thorace, ano fasciaque elytrorum cinereis.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 20. n° 25. T. 3. f. 25. a. b.

Patria : Gallia.

136. B. Hibisci.

Niger, antennis tibiisque rufis, elytris striatis abdomine brevioribus.

Oliv. *Ent.* IV. 79. p. 21. n° 28. T. 3. f. 28. a. b.

Patria : America borealis.

137. B. Poecilus.

Thorace fusco-tomentoso, niger, antennis totis serratis pedibusque rufis, elytris griseo-subfasciatis.

Germ. *Ins. sp.* I. p. 180. n° 299.

Patria : Tauria.

138. B. Chinensis.

Rufus, elytrorum margine suturaque atris, pedibus simplicibus.

Thunb. *in Acta Holm.* 1816. I. p. 46. n° 3.

Patria : China.

139. B. LITTERATUS. *Schh.*

Supra niger, elytris rufis, margine antico, postico punctoque atris; subtus albidus, ano atro, fascia alba.— THUNB.

B. longicornis. THUNB. *in Acta Holm.* 1816. I. 47. n° 4.

Patria : China.

140. B. PUNCTATUS (1).

Fuscus, thorace elytrisque cinereo-punctatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 397. n° 4.—*Ent. Syst.* suppl. p. 158. 6. 7.

Patria :

141. B. DISCOIDUS.

SAY. *Journ. Acad. Philad.* III. p. 307.

Patria : America borealis.

—B. FLAVICORNIS. FABR. *Syst. el.* II. p. 401. n° 38.—Vide *Dorcatoma Dresdensis*, hujus operis. II. p. 114. n° 1. ILLIG. *Mag.* IV. p. 131. n° 38.

–B. FULVULUS. WIEDEM. *Zool. Mag.* I. III. p. 173. n° 23.—Genus *Petalon.* Nob. prope genus *Atopa.*

GENUS 2. SPERMOPHAGUS. *Steven.*

BRUCHUS auctorum variorum (2).

Character generis : — Antennæ longiusculæ, subtenues, basi apiceque attenuatæ, subserratæ.

Caput deflexum, subinflexum, absque collo distincto.

Oculi emarginati, sub-depressi.

Elytra oblongo-subquadrata, abdomine breviora, supra modice convexa.

Femora postica paulo incrassata, compressa, infra canaliculata, mutica; tibiæ postice apice spinis duabus mobilibus armatæ.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovale, parum convexum, antice posticeque declive, alatum. — *Antennæ* arcuatæ, longitudine fere dimidii corporis, subtenues, in medio paulo incrassatæ, subser-

---

(1) Vix hujus generis; forte potius *Brachycerus.* FABR. — An *Nerthops guttatulus.* Nob.?

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 29. *Bruchus*, stirps 3.

ratæ, 11-articulatæ, in sinu oculorum insertæ. — *Caput* deflexum, sub-inflexum, vix vero rostratum, thorace angustius, sub-trigonum, absque collo distincto. — *Oculi* magni, emarginati, sub-depressi.— *Thorax* transversus, antice angustior, angulis anticis deflexis, postice bi-sinuatus, lobo scutellari lato, rotundato, angulis acutis, supra modice convexus. — *Scutellum* triangulatum. — *Elytra* oblongo-subquadrata, apice singulatim rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa. — *Pygidium* rotundatum, sub-convexum, minus descendens. — *Lamina pectoralis* lata, rotundata.— *Pedes* quatuor antici subtenues, postici validiusculi; femora postica in medio paulo incrassata, compressa, infra canaliculata, mutica; tibiæ sæpius angulatæ, in paucis teretes, posticæ spinis duabus apicalibus longis, mobilibus instructæ; tarsi angustati, postici articulis 1, 2 cylindricis, illo longissimo, subarcuato, penultimo brevissimo, latiore, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus : *Spermophagus titivilitius*. Nob.

A σπέρμα semen, φαγεῖν comedere.

Observ. — Caput inflexum, absque collo distincto, laminæ pectorales evidentiores, spinæ mobiles in apice tibiarum posticarum, aliorumque membrorum constructio, a genere *Bruchi* distinguere posse videntur.

* 1. S. Cistelinus.

Ovatus, ferrugineo-piceus, pube cinereo-ochracea variegatus, thoracis disco subtilissime alutaceo, elytris evidentius punctato-striatis, scutello oblongo, apice tricuspidato, pygidio macula magna, ovata, brunnea notato.

Bruchus Cistelinus. Dom. Com. Hoffmansegg, *in Litt.*

Patria: Brasilia, Cuba. Mus. Schh. et Ghl.

Statura et summa similitudo *S. Robiniæ* et *Hoffmanseggi*, utrisque tamen major, scutello apice tricuspido, pygidio macula brunnea notato, et distinctus. Caput triangulare, inter oculos convexum, punctulatum, rufo-piceum, tenuiter pubescens; oculi magni, brunnei, antice triangulariter emarginati. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, extrorsum compressæ, serratæ, ferrugineæ, basi plerumque saturatius piceæ. Thorax transversus, antice angustior, truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis, lobo medio obtuse rotundato; supra parum convexus, in disco subtilissime alutaceus, versus latera disperse punctatus, ferrugineus, tomento depresso sub-ochraceo vestitus. Scutellum oblongum, apice tri-cuspidatum,

concolor. Elytra oblonga, antice sinuata, thoracis basi non latiora et illi arcte applicata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace quintuplo longiora; supra perparum convexa, tenuiter striata et in striis evidenter sub-remote punctata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; fusco-ferruginea, opaca, tenuiter ochraceo-tomentosa, punctisque albo-tomentosis ad suturam et marginem adspersa. Pygidium semi-ellipticum, dense cinereo-albido tomentosum, macula magna, ovata, saturate brunnea notatum. Corpus subtus disperse punctatum, saturatius piceum, tomento cinereo sub-variegatum. Pedes mediocres, tomento tenui cinereo sub-variegati, femoribus nigro-piceis, tibiis apice tarsisque dilutioribus. GHL.

* 2. S. ROBINIÆ.

Ovatus, ferrugineo-piceus, pube cinereo-ochracea variegatus, antennis pedibusque dilutioribus, thorace remote punctato, elytris evidenter punctato-striatis, scutello elongato, acuminato, pygidio concolore.

Bruchus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 397. n° 8. — *Ent. Syst.* I. II. p. 370. n° 7. — *Mant.* I. p. 41. n° 5. — *Sp. ins.* I. p. 75. n° 3.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1734. n° 9.
DEJ. *Cat. Col.* p. 78.

Habitat in America boreali. Mus. SCHH. et GHL.

Facies omnino *Generis Cistela*, et *C. Murina* paulo major, præsertim latior. Caput sub-triangulare, inter oculos convexum, punctulatum, nigrum, pubescens, ore rufo-piceo; oculi magni, nigri, lateraliter valde convexi, subtus et in antico frontis acuminati, antice mediocriter emarginati. Antennæ vix dimidiam corporis longitudinem attingunt, articulo primo longo, clavato, secundo brevi, cyathiformi, tertio longiore, obconico, angusto, sequentibus gradatim paulo latioribus, apice introrsum acuminato-productis, unde antennæ serratæ evadunt, aut totæ testaceæ, aut extrorsum infuscatæ. Thorax latitudine multo brevior, antice truncatus, angulis deflexis compressis, unde ibi, supra inspectus, angustior apparet, sed revera latior est; lateribus sub-rectis, retrorsum nonnihil obliquis, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra parum convexus, punctis majusculis, remotis, inæqualiter adspersus, ferrugineo-piceus, pube longiore, densa, depressa, cinerea vel ochracea vestitus. Scutellum valde elongatum, acuminatum, angustum, dense pubescens. Elytra oblonga, antice sinuata, latitudine baseos thoracis, et illi arcte applicata, callo humerali parum elevato;

pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim sub-rotundata, thorace quintuplo longiora, supra parum convexa, evidenter punctato-striata, punctis sub-remotis; fusco-ferruginea, pube cinerea, interdum ochraceo-tincta, vestita, maculisque plurimis sub-nudis, nigricantibus adspersa. Pygidium maxima parte ab elytris tectum, piceo-ferrugineum, obtusum, pubescens. Corpus subtus piceum, punctatum, dense cinereo-pubescens. Pedes mediocres, pubescentes, aut dilutius testacei, aut fusco-ferruginei, femoribus posticis parum crassis, muticis. GHL.

* 3. S. HOFFMANSEGGI.

Ovatus, nigro-piceus, pube cinereo-ochracea variegatus, thoracis disco subtilissime alutaceo, elytrorum striis tenuibus, obsolete punctatis, scutello breviore, sub-acuminato, pygidio concolore.

Bruchus Robiniæ. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 7. n° 4. T. 1. f. 4. a. b.— *Enc. méth.* I. p. 198. n° 6. secundum Mus. OLIVIERI, teste Dom. CHEVROLAT.

Bruchus adspersus. Dom. HOFFMANSEGG, *in Litt.*

Habitat in Brasilia, teste Dom. von WINTHEIM; in Carolina, teste Dom. DUPONT. Mus. SCH. et GHL.

S. Robiniæ simillimus et valde affinis, sed paulo brevior, obscurior, thoracis discus non punctatus, elytrorum striæ tenuiores, obsoletius punctatæ, scutellum brevius, unde forte specie distinctus. Caput et oculi ut in præcedente. Antennarum structura eadem, sed nigræ, basi tantum piceo-ferrugineæ. Thorax paulo brevior, alias similiter formatus, supra in disco subtilissime, confertim alutaceus, versus latera obsoletius punctatus, ferrugineo-piceus, pube cinerea vel ochracea, sæpe striatim magis condensata vestitus. Scutellum ovatum, dense pubescens. Elytra breviora quam in priori, cæterum ejusdem formæ, sed striæ tenuiores, obsoletius punctatæ; picea, pube cinerea vel ochracea vestita, punctisque plurimis obscurius fuscis, vix denudatis, adspersa. Pygidium nigro-piceum, pubescens, apice rotundatum. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, cinereo-pubescens. Pedes nigro-picei, genibus tarsisque, interdum etiam femoribus anticis testaceis.

Observ. — Utrum hic vel præcedens genuinus *Bruchus Robiniæ* auctorum fit, ægre dijudicandum. GHL.

* 4. S. Canescens. *Schh.*

Ovatus, niger, undique pube atra et cæsia variegatus, antennis basi nigro-piceis, thorace sub-triangulari, basi leviter impresso, elytris subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Brasilia, teste Dom. de Wintheim. Mus. Schh.

S. Robiniæ magnitudine æqualis, attamen nonnihil latior. Caput oblongum, deflexum, collo crasso thoraci adfixum; totum nigrum, vix punctulatum, pube atra et cæsia variegatum; oculi lunati, prominuli, brunnei. Antennæ longitudine capitis cum thorace, articulis baseos nigro-piceis, reliquis atris. Thorax latitudine baseos multo brevior, a basi apicem versus angustatus, antice rotundatus, lateribus vix ampliatus, tenue marginatus, basi bi-sinuatus, angulis prominulis, lobo ante scutellari lato, parum producto, munitus; supra parum convexus, basi obsolete impressus; totus niger, remote subtiliter rugoso-punctatus, pube atra tectus, punctis numerosis cæsiis variegatus. Scutellum sub-quadratum, atrum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, a basi versus medium nonnihil ampliata, tum apicem versus iterum sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa dorso, longitudinaliter sub-impressa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; tota nigra, pube depressa, atra et cæsia, maculatim variegata. Pygidium apice rotundatum, atrum, cæsio-maculatum. Corpus subtus valde convexum, atrum, subtiliter punctulatum, pube atra et cinerea dense adspersum. Pedes atri, quatuor anteriores tenues, tarsis nigro-piceis; postici longiores et crassiores; femoribus muticis. Bhn.

5. S. Titivilitius. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, umbrino-squamosus, thorace sub-triangulari, subtiliter ruguloso et valde remote punctato, elytris subtilissime punctato-striatis, atomis nonnullis albidis adspersis, femoribus anterioribus rufo-testaceis.

Habitat in Mexico. Dom. Faldermann. Mus. Schh.

Statura fere et affinitas *Bruchi Cardui* Stev. et Nob. sed duplo vel triplo major. Caput oblongum, deflexum, nigrum opacum, crebre rugoso-punctatum, pube squamulisque umbrinis tectum, collo breviori, crasso, thoraci adnexum; fronte distincte carinata; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ longitudine dimidii corporis, sub-tenues, nigræ, griseo-pubescentes, versus basin et apicem attenuatæ; articulo primo longo, obconico, secundo breviore, an-

gustiore, reliquis sub-æqualibus, perfoliatis, ultimo elongato, acuminato. Thorax brevis; transversus, antice sub-emarginatus, angulis deflexis, versus basin sensim ampliatus, angulis baseos sub-prominulis, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, subtiliter rugulosus et valde remote punctulatus, pube squamulisque umbrinis tectus, dorso denudato, forte detrito. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi fere angustiora, illique arcte applicata, humeris rotundatis, sub-elevatis, pone humeros nonnihil ampliata, dein iterum angustata, apice singulatim obtuse rotundata; supra sub-plana, nigra, subtilissime punctato-striata, interstitiis obsolete rugulosis; squamulis umbrinis tecta, pone scutellum plaga magna, communi, sub-rotunda, denudata, in singulo elytro pone medium maculæ quinque parvæ, niveæ, observantur. Corpus subtus modice convexum, punctulatum, nigrum, pube tenui, grisea adspersum, abdomine rufo-testaceum. Pygidium rotundatum, squamulis umbrinis dilutioribus et obscurioribus variegatum. Pedes griseo-pubescentes, quatuor anteriores tenues, femoribus rufo-testaceis, tibiis nigro-piceis, postici multo longiores et crassiores, toti nigri, femoribus omnino muticis; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. Bhn.

* 6. S. Rufiventris. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, tenue fusco-pubescens, thorace sub-triangulari, alutaceo, remote punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, antennarum basi, abdomine pedibusque anterioribus rufo-testaceis.

Habitat in Brasilia. Dom. Faldermann. In Tauria Dom. Steven. Mus. Schh.

Statura et affinitas *S. titivilitii* sed triplo fere minor. Caput oblongum, deflexum, nigrum nitidum, creberrime subtiliter punctatum, pube fusca adspersum, collo breviori, crasso, thoraci adfixum; fronte vix carinata; oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ vix longitudine dimidii corporis, sub-tenues, articulo 1° longo, obconico; 2° breviori, angustiori, rufo-testaceis, reliquis sub-æqualibus, perfoliatis, nigris, ultimo acuminato. Thorax brevis, transversus, antice sub-truncatus, angulis deflexis, versus basin sensim ampliatus, angulis baseos acuminatis, postice profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, remote sat profunde punctatus, et subtilissime confertim rugulosus, pube fusca versus margines adspersus, dorso denudato. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi fere angustiora, humeris rotundatis, sub-elevatis, pone humeros ultra me-

dium nonnihil ampliata, dein iterum angustata, apice simultaneææ obtuse rotundata, supra fere plana, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis confertim rugulosis, pube depressa, fusca, adspersa. Pygidium rotundatum, rufo-testaceum, profunde rugoso-punctatum, fulvescenti-pubescens. Corpus subtus modice convexum, thorace et pectore nigris, minus profunde remote punctatis; abdomen rufo-testaceum, fulvescenti-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, rufo-testacei, tarsis fusco-ferrugineis; postici multo longiores et crassiores, nigro-picei, femoribus muticis; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 7. S. LATITHORAX. *Schh.*

Ovatus, fuscus, thorace elytrisque albo tessellatis, pube cinerea obductis, antennis pedibusque nigris, corpore subtus fulvo-pubescente. — BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 16. n° 15.

Patria : Sierra Leona.

* 8. S. CARDUI. *Stev.*

Brevissime ovatus, niger, unicolor, pube subtili cinereo-sericea undique dense vestitus, antennis medio latioribus, compressis, thorace subtilissimo punctulato, elytris tenuiter punctato-striatis, pectore sub-punctato.

Bruchus Carduisi. BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 17. n° 16.
B. Cisti. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 22. n° 30. T. 3. f. 30. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 200. n° 19.
B. villosus. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 79.
B. rotundatus (Knoch.) STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 104.

Habitat in Gallia, Lusitania, Germania, Tauria, Iberia, etiam in Scania. Dom. ZETTERSTEDS. Mus. SCH. et GHL.

Parvus. *Brucho loti* brevior, sed latior et magnitudine varians, totus niger, pube subtili sed satis densa, depressa, cinereo-sericea undique vestitus. Caput parvum, oblongum, insertum, punctulatum, nigrum. Antennæ dimidium corporis fere superant, articulo primo majori, clavato, secundo brevi, transverso, tertio paulo majore, obconico, his plerumque glabris, nitidis, reliquis pubescentibus; 3-9, gradatim paulo latioribus, compressis, ultimis duobus iterum angustioribus. Thorax transversus, antice sub-emarginatus, angulis deflexis, compressis, unde superne inspectus angustior apparet; lateribus fere rectis, basi æqualiter bi-sinuatus, lobo medio rotundato; supra modice convexus, subtilissime punctulatus. Scutellum

parvum, triangulare. Elytra ampla, basi et apice singulatim rotundata, pone basin valde ampliata, posterius nonnihil angustata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, subtiliter striata et in striis confertim punctulata. Pygidium semi-ovatum, punctatum, densius sericeo-pubescens. Corpus subtus dense pubescens, pectore et ejus lamina subtiliter punctulatis. Pedes toti nigri, minus pubescentes, femoribus muticis. Ghl.

* 9. S. Cicatricosus. *Schh.*

Brevissime ovatus, ater, unicolor, vix sub-pubescens, antennis brevibus sub-cylindricis, thorace transverso, sub-remote punctulato, elytrorum striis latioribus, catenato-punctatis, pectore evidentius punctato.

Habitat in Sierra Leona Africes. Dom. Prof. Afzelius. Mus. Schh. et Ghl.

Statura brevis, lata et fere magnitudo *S. Cardui* mediocris, sed color saturatius ater, pubescentia subtilissima, vix observanda, thoracis punctura evidentior, elytrorum striæ latiores, antennæ breviores, etc. Caput parvum, insertum, deflexum, punctulatum, atrum; fronte inter oculos carinula brevi notata; oculi lunati, nigri, parum prominuli. Antennæ thoracis basin vix superant, articulo primo majori, clavato, 2, 3, brevibus, obconicis, angustioribus, sequentibus gradatim paulo crassioribus, scyphiformibus, arcte connexis. Thorax transversus, antice leviter emarginatus, angulis deflexis, compressis, lateribus sub-rectis, angulis baseos prominulis, postice leviter sinuatus, lobo medio lato, rotundato; supra parum convexus, subtiliter et minus confertim punctulatus, ater, nitidus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra lata, basi apiceque singulatim rotundata, callo humerali oblongo, elevato, pone basin subito ampliata, posterius nonnihil angustiora, thorace duplo longiora, supra parum convexa, striis latiusculis sed parum profundis, catenato-punctatis exarata, interstitiis obsoletissime punctulatis; atra, nitida, vix pubescentia. Pygidium breve, basi latum, sub-triangulare, cicatricoso-punctatum, nudum. Corpus subtus atrum, nitidum, subtilissime pubescens, pectore et ejus lamina varioloso-punctatis, ventre parce punctulato. Pedes toti atri, parum pubescentes, femoribus muticis. Ghl.

* 10. S. Varioloso-punctatus.

Brevissime ovatus, ater, subtus cinereo-sub-pubescens, antennis longioribus sub-cylindricis, thoracis lateribus punctulatis, elytrorum striis sub-remote punctatis, pygidii limbo dense pubescente, pectore varioloso-punctato.

Habitat in Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

Statura et magnitudo *S. Cardui*, sed supra fere glaber; *S. cicatricoso* magis similis, distinctus tamen, paulo major, antennæ longiores et crassiores, elytrorum striæ aliter punctatæ, et pygidii limbus albido-pubescens. Caput et oculi ut in *S. cicatricoso.* Antennæ longitudinem dimidii corporis attingunt, articulo primo majore, clavato, 2—4, minoribus, obconicis, sequentibus gradatim crassioribus, scyphiformibus, arcte connexis, totæ nigræ. Thorax transversus, antice leviter emarginatus, angulis deflexis, acuminatis, compressis, lateribus sub-rectis, angulis posticis vix prominulis; basi leviter sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra modice convexus, versus latera sub-remote punctulatus, ater, nitidus. Scutellum triangulare, atrum. Elytrorum forma ut in priori, sed striæ minus latæ, remotius punctatæ, interstitiis fere lævibus; atra, nitida. Pygidium breviter triangulare, punctatum, basi latius, lateribus et in linea mediâ anguste, dense cinereo-albido-pubescens, disco brunneo. Corpus subtus nigrum, pectore et ejus lamina punctis parum profundis, sub-remotis, quasi variolosis, ventre vix punctulato, densius cinereo-pubescente. Pedes nigri, parum pubescentes, spinis tibiarum posticarum ferrugineis. Ghl.

* 11. S. Albo-sparsus.

Brevissime ovatus, niger, sub-depressus, thoracis limbo, elytris maculatim, pygidio corporeque subtus cinereo-albido pubescentibus, elytrorum striis tenuibus, sub-remote punctatis, pectore varioloso-punctato, pygidio macula magna rotundata brunnea.

Habitat in India orientali. Dom. Westermann, Steven et Faldermann. Mus. Schh.

S. cicatricoso dimidio minor, magis depressus, pube cinereo-albida variegatus. Caput et oculi ut in præcedentibus. Antennæ longitudinem dimidii corporis fere superant, minus crassæ, sub-cylindricæ, articulo primo majore, clavato, secundo brevi, 3, 4, longioribus, obconicis, sequentibus paulo crassioribus, scyphi-

formibus, arcte connexis. Thorax quoad formam ut in prioribus, sed supra minus convexus, in dorso fere planus, versus latera evidenter punctatus, ater, nitidus, limbo laterali anguste, baseos late, sinuatim, dense cinereo-albido-pubescentibus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytrorum forma ut in prioribus; supra fere plana, evidenter striata, et in striis sub-remote punctata, atra, pube cinereo-albida variegata; linea nempe suturalis a basi ad medium, in ipsa basi maculæ plures majores et in disco aliæ minores, sparsæ. Pygidium magnum, semi-ovatum, punctatum, in limbo dense albido-pubescens, disco plaga, magna, orbiculata, nigro-brunnea, linea angusta alba divisa. Corpus subtus nigrum, pectore et ejus lamina sub-varioloso-punctatis; totum densius albido-pubescens; pedes ut in prioribus. Ghl.

* 12. S. Subfasciatus. *Schh.*

Brevissime ovatus, niger, tenue umbrino-pubescens, antennis elongatis, serratis, articulis duobus basalibus ferrugineis, thorace macula magna ante scutellari, scutello, fascia transversa elytrorum dense albido-pubescentibus, genibus, pedibus anterioribus rufo-testaceis.

Habitat in Brasilia; a Dom. de Wintheim, in insula Saint-Barthelemi, a Dom. Torstroenn communicatus. Mus. Schh.

S. Cardui magnitudine æqualis. Caput oblongum, deflexum, nigrum, creberrime subtiliter punctulatum, griseo pubescens, collo crasso thoraci adfixum; fronte distincte carinata; ore palpisque rufo-testaceis; oculi lunati, nigri. Antennæ dimidio corpore multo longiores, tenues, articulo 1° obconico, 2° brevissimo, ferrugineis, reliquis obconicis, serratis, nigris, ultimo elongato, acuminato. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius nonnihil angustior, apice sub-truncatus, lateribus versus basin sensim ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra parum convexus, niger, subtiliter rugoso-punctatus, pube umbrina sat densa tectus, in medio baseos, macula magna triangulari et versus latera punctis nonnullis e pilis depressis albidis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, albido-pubescens. Elytra antice thoracis basi fere angustiora, humeris rotundatis, sub-elevatis, pone humeros ultra medium perparum ampliata, dein iterum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, punctato-striata, interstitiis rugulosis, pube tenui, depressa, umbrina adspersa; singulo elytro in medio fascia lata transversa, dense albido-pubescens, in nonnullis quasi e maculis tribus constituta. Pygidium nigrum, dense cinereo-pubescens, lineola dilu-

tiore divisum. Corpus subtus modice convexum, nigrum, subtiliter punctulatum, cinereo et olivaceo-pubescens. Pedes quatuor anteriores tenues, nigri, genibus tarsisque rufo-testaceis; postici longiores et crassiores, toti nigri, femoribus muticis: tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 13. S. MUSCULUS. *Schh.*

Ovatus, niger, dense dilute umbrino-pubescens, antennis elongatis, serratis, articulis duobus basalibus rufo-testaceis, genibus pedibusque anterioribus ferrugineis.

Habitat in Brasilia. Dom. de WINTHEIM. Mus. SCHH.

S. subfasciato statura similis, sed dimidio minor et abunde distinctus. Caput oblongum, deflexum, nigrum, creberrime subtiliter punctulatum, griseo-pubescens, collo crasso thoraci adfixum; fronte distincte carinata: ore palpisque rufo-ferrugineis: oculi lunati, prominuli, nigri. Antennæ dimidio corpore multo longiores, tenues, articulo 1° obconico, 2° brevissimo, rufo-testaceis, reliquis obconicis, serratis, nigris, ultimo elongato, acuminato. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice angustior, rotundatus, versus basin sensim ampliatus, postice profunde bisinuatus, angulis acuminatis; supra modice convexus, niger, rugoso-punctatus, pube densa depressa dilute umbrina obductus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, dilute umbrino-pubescens. Elytrorum forma ut in *S. subfasciato* omnino, supra parum convexa, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis, pube densa dilute umbrina undique tecta. Pygidium rotundatum, nigrum, dense obscure olivaceo-pubescens. Corpus subtus modice convexum, nigrum, punctulatum; ventre pube densiori violacea, vestito. Pedes quatuor anteriores tenues, nigri, genibus tarsisque rufo-ferrugineis; postici multo longiores et crassiores, toti nigri, femoribus muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

Forte hujus generis; mihi invisæ:

14. S. IRROTATUS.

Cinereo-testaceus, elytris striatis, atomis plurimis albis.

Bruchus id. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 21. n° 29. T. 3. f. 29. a. b.

Patria : Java.

15. S. TRAGACANTHÆ.

Supra cinereo-testaceus, subtus cinereus, antennis nigris. — OLIV.

Bruchus id. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 15. n° 17. T. 2. f. 17. a. b.

Patria : Persia.

16. S. CONVOLVULI.

Totus brunneus, subtus pallidior, elytris guttatis, guttis minutissimis albis. — THUNB.

Bruchus id. THUNB. *in Acta Holm.* 1816. I. p. 46. n° 1.

Patria : Ceylona.

GENUS 3. URODON.

Urodon SCHH. LATR. (*).—*Bruchela* MEGERLE, DEJEAN, STURM.—*Anthribus* FABR., LATR., GERM., OKEN. — *Bruchus* FABR., OLIV. — *Clerus* GEOFFR.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ, infra oculos insertæ, extrorsum sensim crassiores; articulis 3 ultimis magnis, sub-perfoliatis.

Rostrum breve, latum, apice sub-truncatum.

Oculi laterales, integri, rotundati.

Thorax antice posticeque productus.

Elytra oblongo-subquadrata, abdomine breviora.

Mas. Pygidio inæqualiter emarginato, lobis lateralibus productis.

1. U. RUFIPES. ♂♀

Ovatus, niger, dense griseo-sericeus, antennis pedibusque dilute rufis, femorum quatuor posteriorum clava nigra. GHL.

Anthribus id. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 239. n° 4.—*Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 38. OKENS *Naturg.* III. p. 773.

Bruchus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 401. n° 32.—*Ent. Syst.* I. II. p. 373. n° 21.

OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 29. n° 32. T. 3. f. 32. a. b.—*Enc. méth.* V. p. 202. n° 27.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 31. n° 3. — Latr. Règ. anim. p. 387. — Id. in Dict. class. d'Hist. nat. p. 589.—Thon Ent. arch. I. III. p. 64.

WALCKEN. *Faune Par.* I. p. 230. n° 6.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 291. 9.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 131. n° 32. et VI. p. 305. n° 32.
Bruchela rufipes. DEJ. *Cat. Col.* p. 78.
Anthribus sericeus. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 32.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 305. n° 4. *Clerus.*

Patria : Europa temperata.

2. U. PYGMÆUS. ♂♀

Ovatus, niger, dense griseo-sericeus, antennarum basi, tibiis tarsisque testaceis, thoracis lobo medio baseos longius producto.

Bruchela pygmæa. Dom. Com. HOFFMANS. *in Litt.*

Patria : Austria, Gallia, Lusitania. Mus. SCHH. et GHL.

U. Rufipedi simillimus et nimis affinis; dimidio tamen minor, antennæ extrorsum femoraque omnia tota nigra, ut et thoracis lobus medius baseos longius productus, magisque acuminatus, unde specie distinctus videtur; cætera ut in præcedenti omnia. GHL.

3. U. SUTURALIS. ♂♀

Ovatus, niger, subtiliter cinereo-sericeus, antennarum basi tibiisque anterioribus testaceis, thoracis angulis posticis, elytrorum sutura corporeque subtus dense albido-sericeis. GHL.

Bruchus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 400. n° 27. — *Ent. Syst.* I. II. p. 372. n° 17.
OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 22. n° 31. T. 3. f. 31. a. b.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 291. n° 6.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 131. n° 27.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 230. n° 5.
Bruchela id. DEJ. *Catal. Col.* p. 78.

Patria : Gallia, Austria, Tauria, Persia.

♀ VAR. β. Thoracis angulis posticis suturaque elytrorum concoloribus, non densius albido-tomentosis.
Bruchus rufipes, var. OLIV. *Ent.* IV. 79. p. 24.
Urodon conformis. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Patria : Paris.

Divisio II. ANTHRIBIDES (1).

Rostrum plerumque latum, deflexum, in paucis elongatum, sub-porrectum. Antennæ sæpissime clavatæ, 11-articulatæ. Elytra anum haud occultantia. Tarsi indistincte 4-articulati, articulo secundo plerumque tertium sub-includente.

GENUS 4. MECOCERUS. *Nob.*

Character generis. — Antennæ versus apicem rostri in fovea oblonga insertæ, in mare longissimæ, tenuissimæ; articulis ultimis reliquis vix crassioribus; in femina corporis dimidio vix longiores, articulis tribus ultimis paulo crassioribus.

Rostrum elongatum, sub-lineare, apice abrupte ampliatum.

Oculi laterales, rotundati, valde prominuli.

Thorax oblongus, anterius a medio sensim attenuatus, longe ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum flexa instructus.

Elytra oblongo-subovata, convexa.

Pedes antici elongati; tarsi longi.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, sub-ovatum, convexum, alatum. — *Antennæ* maris corpore plus duplo longiores, tenuissimæ, versus apicem rostri insertæ, rectæ, 11-articulatæ : articulo 1° elongato, clavato, 2° brevi, sub-obconico, 3-9 longis, apice crassioribus, primis sub-arcuatis, 10° breviusculo, sub-cylindrico, 11° elongato, acuto; ultimi reliquis non crassiores; in femina thoracis basin vix superantes, articulis tribus ultimis paulo crassioribus, cylindricis. — *Rostrum* capite duplo longius, sub-porrectum, sub-lineare, teretiusculum, apice abrupte ampliatum, emarginatum; fovea antennali oblonga, sursum evanescente. Mandibulæ exsertæ, arcuatæ, intus unidentatæ, supra seta valida, articulata versus basin instructæ. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli, magni.—*Thorax* latitudine postica longior, basi bi-sinuatus, lateribus ad medium rectis, dein anterius sensim attenuatis, apice truncatus, supra modice convexus, ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum flexa, subtus ante pedum anticorum originem spinis duabus, validis, acutis, antrorsum curvatis armatus. — *Scutellum* minutum, trigonum, immersum. —

(1) Latr. Règne anim. p. 386. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 589.— Thon Ent. Arch. I. III. p. 64. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 32. — Oliv. Ent. IV. 80. p. 1. — Enc. méth. VII. p. 601. *Macrocephalus.*

Elytra thoracis basi manifeste latiora et illo fere triplo longiora, oblongo-subovata, supra convexa, apice obtusa; humeris prominulis, obtuse angulatis. — *Pygidium* perpendiculare, semi-rotundatum. — *Pedes* longi, antici reliquis paulo longiores; femoribus in medio crassioribus; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis; tarsis tibia non brevioribus, sub-angustatis, articulo 1° longo, sub-lineari, 2° longiusculo, sensim latiore, apice utrinque producto, tertium amplectente, 3° sub-dilatato, bilobo, subtus spongioso, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Mecocerus gazella*. Nob.

A μῆκος longitudo, κέρας cornu.

1. M. GAZELLA. *Schh.* ♂

Niger, tomento tenuissimo cinereo supra obsolete variegatus, subtus densiore vestitus, thorace subtiliter granulato, medio sub-impresso, elytris obsoletissime punctato-striatis, pedibus cinereo-fasciatis.

Patria : Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Mas facie fere *Lamiæ*, et *L. sutori* mediocri sub-æqualis, elytris tamen brevioribus et latioribus. Caput oblongum, porrectum, supra planum, disperse punctatum, nigrum, tomento tenuissimo cinereo vestitum; oculi magni, rotundati, convexi, nigri; rostrum capite parum angustius et duplo longius, apice ampliatum, supra inæquale, punctulatum, nigrum, tenuiter cinereo-tomentosum. Antennæ corpore duplo longiores, totæ nigræ, nudæ, articulis ut in adumbratione generica allatum, constructis. Thorax latitudine vix longior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, lateribus ab apice ad medium obliquis, rectis, dein versus basin sub-parallelis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, intra apicem transversim et in disco longitudinaliter obsolete impressus, subtiliter granulatus, niger, tomento tenuissimo cinereo sub-variegatus; striga elevata postica et spinæ paginæ inferioris ut in adumbratione generica descriptæ. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique ampliata, apice obtusa, angulo suturali nonnihil prominulo; thorace plus duplo longiora, supra convexa, subtiliter, obsolete et minus regulariter punctato-striata, nigra, tomento tenuissimo cinereo sub-variegata. Pygidium perpendiculare, cordiforme, punctulatum, nigrum. Corpus subtus disperse granulatum, nigrum, tomento densiore cinereo æqualiter vestitum. Pedes elongati, nigri, fasciis nonnullis cinereo-tomentosis cincti.

Femina, etiam in Insula Java capta, ex Musæo Dom. Hope ad describendam benevole communicata, mare dimidio major; supra distinctius cinereo-albido variegata; antennæ vix dimidiam corporis longitudinem superant, articulis tribus ultimis paulo crassioribus, totis atris; articuli exteriores funiculi apice, ut et pedes distinctius albido annulati; cætera ut in mare omnia. GYL.

GENUS 5. XENOCERUS. *Germar.*

Character generis. — *Mas.* (?). —Antennæ longissimæ, tenuissimæ; articulis ultimis reliquis haud crassioribus.

Femina. (?) — Antennæ breviusculæ, crassæ, ante oculos ad latera rostri in fovea profunda insertæ, basi apiceque angustiores, in medio latiores, compressæ, dense pilosæ.

Rostrum breve, latum, deflexum.

Oculi laterales, prominuli, emarginati.

Thorax elongatus, lateribus perparum rotundatus, ante basin striga transversa, elevata, utrinque antrorsum continuata instructus.

Elytra lineari-elongata, sub-cylindrica, posterius sub-angustiora, margine antico elevato.

Descriptio. — *Corpus* mediocris magnitudinis, oblongum, subcylindricum, alatum. — *Antennæ* maris corpore fere duplo longiores, filiformes, apice attenuatæ; feminæ longitudine dimidii corporis, crassæ, ante oculos ad latera rostri in fovea profunda insertæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis tribus basalibus brevibus, exterioribus sub-obconicis, 4-6 longiusculis, latis, compressis, supra et infra dense pilosis, 7, 8 parvis, sub-turbinatis, etiam pilosis, 9, 10 et 11° approximatis, hoc apice acuminato. — *Rostrum* perpendiculare, breve, latum, deflexum, apice profunde rotundato-emarginatum. Mandibulæ exsertæ, arcuatæ, acutæ, simplices. —*Oculi* magni, laterales, prominuli, antice emarginati.—*Thorax* latitudine fere dimidio longior, angustus, basi apiceque truncatus, margine basali reflexo, lateribus paulo rotundatus, intra basin strigis duabus transversis elevatis instructus, anteriore lateraliter fere ad apicem continuata; supra modice convexus. —*Scutellum* sub-rotundatum, distinctum. — *Elytra* lineari-elongata, sub-cylindrica, thorace vix triplo longiora, antice singulatim rotundata, margine elevato; lateribus subrecta, versus apicem paulo angustiora, apice truncata, supra modice convexa.—*Pygidium* exsertum, elongatum, apice rotundatum.—*Pedes* longiusculi, sub-tenues, subæquales; femoribus in medio crassioribus; tibiis teretibus; tarsis elongatis, sub-angustatis.

TYPUS. — *Xenocerus saperdoides.* GERM.

A ξενος insolitus, κερας cornu.

X. SAPERDOIDES. *Germ.*

Lineari-elongatus, niger, capite thoraceque albo-lineatis, elytris sutura, fascia pone medium vittaque obliqua, antice bifida, suturæ convexis, albo-tomentosis ornatis.

Mas. Antennis corpore longioribus, filiformibus, tenuibus. (Secundum picturam a Dom. Prof. Germar communicatam, cujus magnitudo et signaturæ in cæteris cum nostro exacte conveniunt.)

Femina. Antennis corpore brevioribus, in medio latis, compressis, dense pilosis, apice attenuatis.

Patria : Insula Java. Specimen femineum, a Dom. Mellerborg ibi captum, in Musæo Reg. Acad. scient. Holm. asservatur.

Statura lineari-elongata, angusta fere *Saperdæ,* et *S. populneæ* magnitudine sub-æqualis. Caput latum, porrectum, rugoso-punctatum, nigrum, vittis tribus dense albido-tomentosis ornatum, lateralibus juxta oculos obliquis, latioribus, media verticis, abbreviata, acuminata ; oculi magni, convexi, nigro-brunnei, antice emarginati ; rostrum capite brevius, sub-orbiculatum, rugoso-punctatum, nigrum, albido-tomentosum, basi fovea profunda, carinula media in duas divisa, impressum. Antennæ feminæ longitudine dimidii corporis, in medio latiores, compressæ, nigræ, dense pilosæ, articulis 7° et 8° minoribus, albido-squamulosis, ultimis angustis, brunneis. Thorax latitudine dimidio longior, angustus, antice truncatus, lateribus perparum ampliatus, basi etiam truncatus, margine reflexo ; intra basin strigis duabus transversis, elevatis instructus, anteriore altiore, utrinque ad apicem fere lateraliter continuata ; supra modice convexus, disperse punctatus, niger, opacus, vittis tribus rectis, sub-parallelis, dense albido-tomentosis ornatus. Scutellum semi-orbiculatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Elytra lineari-elongata, antice singulatim rotundata, margine elevato ; lateribus vix ampliata, posterius angustiora, apice singulatim sub-emarginata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, anterius vage, remote punctata, nigra, opaca ; signaturæ dense albido-tomentosæ elytra ornant ; vitta nempe suturalis, posterius attenuata ; pone medium fascia lata, transversa, suturæ convexa et externe antrorsum arcuatim continuata, versus basin elytrorum bi-ramosa, ramo interiore oblique, exteriore arcuatim iterum cum albedine suturæ confluentibus, unde

plagæ duæ nigræ, albo-cinctæ, in singulo elytro exstant, posteriore majore, sinuata; ab ipso apice etiam assurgit linea arcuata, cuneata, albido-tomentosa. Pygidium valde elongatum, apice rotundatum, supra granulatum, nigro-piceum, utrinque vitta albido-tomentosa cinctum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, sub-tenues, cinereo-pubescentes, femoribus sub-clavatis, nigris, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis.

Ghl.

Genus 6. PHLOEOTRAGUS. *Nob.*

Anthribus. Fabr. — *Anthribus* (*Phlœotragus*). *Nob.* olim (1).

Character generis. — Antennæ masculi corpore longiores, feminæ breviores, sub-filiformes, versus apicem rostri in fovea profunda insertæ; articulis tribus ultimis angustis, sub-convexis.

Rostrum sub-elongatum, supra sulcatum, apice triangulariter emarginatum.

Oculi laterales, rotundati, prominuli.

Thorax oblongo-subovatus, supra depressus, ante basin striga elevata, semi-circulari, utrinque antrorsum adscendente notatus.

Elytra elongata, sub-linearia, parum convexa.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, elongatum, sub-lineare, robustum, durum, alatum. — *Antennæ* maris corpore longiores, feminæ breviores, sub-filiformes, versus apicem rostri in fovea profunda insertæ, rectæ, 11-articulatæ : articulo 1° ovali, 2-8 elongatis, apice clavatis, tribus ultimis vix crassioribus, intermedio minori, ultimo acuminato. — *Rostrum* sub-porrectum, capite fere duplo longius, teretiusculum, apice ampliatum, profunde triangulariter emarginatum, supra late sulcatum. Mandibulæ exsertæ, arcuatæ, in medio dente unico obtuso armatæ. — *Oculi* magni, laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine postica fere dimidio longior, antice posticeque truncatus, lateribus sub-æqualiter rotundatus, supra depressus, margine basali elevato et ante basin striga fere semi-circulari, elevata, antrorsum ad medium marginis continuata, instructus. — *Scutellum* rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* lineari-elongata, thorace duplo longiora, antice simultaneæ sub-emarginata, margine elevato, lateribus sub-recta, apice obtuse rotundata, dorso parum convexa. — *Pygidium* deflexum, semi-rotundatum. — *Pedes* validi, mediocres, sub-æquales; femoribus in medio crassioribus; tibiis teretibus; tarsis angustatis.

Typus. — *Phlœotragus Heros. Anthribus id.* Fabr.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 33. Subgenus A.

1. P. HEROS. ♂♀

Elongatus, niger, tomento umbrino cinereoque variegatus, rostro late profundeque sulcato, thorace oblongo, dorso bi-sulcato, elytris ad suturam remote punctato-striatis, externe seriatim punctatis. — GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 404. n° 1.

Patria : Guinea.

GENUS 7. PTYCHODERES. *Nob.*

Anthribus GERM. — *Anthribus* (*Ptychoderes*) *Nob.* olim (1).

Character generis. — Antennæ versus apicem rostri in fovea elongata, subtus flexa, scrobiformi insertæ; maris sæpius corpore longiores, feminæ breviores, in utrisque sub-filiformes, articulis tribus ultimis crassioribus, remotis.

Rostrum sub-elongatum, supra carinatum, apice rotundato-emarginatum.

Oculi laterales, rotundati, prominuli.

Thorax oblongo-subovatus, supra depressus, ante basin striga elevata, transversa, ad latera antrorsum continuata notatus.

Scutellum transversum.

Elytra elongata, sub-linearia, dorsi disco sub-depressa.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, elongatum, sub-lineare, robustum, durum, alatum. — *Antennæ* sub-filiformes, versus apicem rostri insertæ, rectæ, 11-articulatæ, pro sexu longitudine diversæ; maris sæpe corpore longiores; feminæ vix longitudine capitis cum thorace : articulo 1° ovali, 2-8 elongatis, apice clavatis, tribus ultimis crassioribus, remotis. — *Rostrum* capite paulo longius, sub-deflexum, crassiusculum, teretiusculum, apice sub-ampliatum, supra carinatum, apice profunde rotundato-emarginatum; fovea antennali elongata, subtus flexa, scrobiformi; mandibulæ validæ, arcuatæ, corneæ, intus obtuse unidentatæ; palpi filiformes, sub-æquales, articulis setosis. — *Oculi* magni, laterales, rotundati, prominuli. — *Thorax* latitudine postica fere dimidio longior, antice posticeque truncatus, lateribus pone medium ampliatus, antrorsum attenuatus, supra depressus, ante basin striga elevata, transversa, ad latera antrorsum continuata, notatus. — *Scutellum* sub-transversum, apice truncatum,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 34. Subgenus B.

sub-elevatum. — *Elytra* thorace plus duplo longiora, sub-linearia, antice singulatim sub-rotundata, margine elevato, lateribus sub-recta, apice obtuse rotundata, dorsi disco sub-depressa. — *Pygidium* deflexum, apice truncatum. — *Pedes* validi, mediocres, longitudine sub-æquales.

Typus. — *Anthribus elongatus.* GERM.

Observ. — Genus hocce, quoad habitum, gen. *Phlœotrago* proximum, sed differt antennarum articulis tribus ultimis distincte crassioribus, remotis, rostro carinato, fovea antennali oblonga, fere scrobiformi et scutello sub-transverso.

1. P. VIRIDANUS. *Schh.* ♀

Elongatus, niger, tomento obscure luteo-virescente tectus, thorace oblongo, postice late impresso, atro bi-maculato, elytris distincte, sub-remote striato-punctatis, apice non callosis, pedibus piceis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et magnitudo *P. elongati* mediocris. Caput magnum, latum, nigrum, vix punctatum, olivaceo-tomentosum; oculi ovati, prominuli, nigri; rostrum vix latitudine capitis, basi angustius, apicem versus ampliatum, latum, rectum, supra planum, carinula media in frontem usque producta, supra os bifida notatum, marginibus elevatis; totum colore et indumento capitis. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, nigræ, crassiusculæ, articulis tribus ultimis magnis, sub-compressis, atro-pubescentibus. Thorax oblongus, antice angustior, sub-coarctatus, basi apiceque truncatus, lateribus marginatus, modice rotundato-ampliatus, supra depressus, inæqualis et bi-impressus, intra basin transversim carinatus, postice marginatus, niger, tomento luteo-virescente dense obductus, pone carinulam baseos macula oblonga, atro-holosericea utrinque notatus. Scutellum minutum, brevissimum, albido-tomentosum. Elytra elongata, sub-linearia, basi sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, sed illo triplo fere longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apice ipso singulatim sub-truncata, supra dorso plana, nigra, regulariter sat distincte, sub-remote striatim-punctata, interstitiis planis; tota tomento obscure luteo-virescente, dense tecta, in dorso maculis albidis variegata, apice declivia, non callosa. Pygidium breve transversum, apice obtuse rotundatum, nigrum, tomento flavescente tectum. Corpus subtus nigrum, punctatum, pube fulvescenti obductum. Pedes mediocres, picei, pube grisea parce adspersi: fe-

mora omnia in medio crassiora, sub-æqualia, mutica; tarsi ferruginei, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

2. P. ELONGATUS. ♂♀

Depressus, elongatus, niger, capite supra, thoracis dorso, elytrorum vitta communi extus inæquali, corporeque subtus dense cretaceo-tomentosis, elytris obsolete, remote striato-punctatis, apice callosis, pedibus annulatis.

Anthribus id. GERM. *Ins. sp.* I. p. 178. n° 295.

Macrocephalus nebulosus. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 5. n° 3. T. 1. f. 3. a. b. c. ♀?

Curc. anthriboides. VOET. *Col.* ed. PANZ. IV. p. 72. n° 57. ♀?

Patria: Brasilia, Cayenna.

♀ VAR. β. Capite, thoracis dorso, elytrorum vitta communi ventrisque lateribus albis, nigro-maculatis.

♀ VAR. γ. Ut VAR. β, et præterea supra tomento ochraceo variegatus.

Observ. — Magnitudo valde variat, a longitudine pollicari ad triplo minorem et ultra. GHL.

Incertæ species, mihi invisæ:

3. P. VARIEGATUS.

Niger, cinereo variegatus, antennis nigris longitudine thoracis.—OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 4. n° 1. T. 1. f. 1.

Patria: . . . . .

4. P. CINEREUS.

Cinereus, nigro varius, rostro sulcato, antennis corpore longioribus. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 4. n° 2. T. 1. f. 2. a. b.

Cerambyx longicornis. FABR. *Syst. el.* II. p. 280. n° 66. — *Ent. Syst.* I. II. p. 263. n° 46. — *Mant.* I. p. 135. n° 41. — *Sp. ins.* I. p. 215. n° 28.

LINN. *Syst. nat.* ed. GMEL. I. IV. p. 1822. n° 109.

Patria: India orientalis.

Genus 8. ACORYNUS. *Nob.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues, medio rostri in fovea, oblonga, profunda insertæ; articulis tribus ultimis angustis, sub-contiguis, penultimo brevissimo.

Rostrum sub-elongatum, supra tri-carinatum, apice sub-truncatum.

Oculi sub-approximati, oblongi, convexi.

Thorax subconicus, longe ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum flexa, instructus.

Elytra oblongo-subovata, basi tri-sinuata, supra modice convexa.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, oblongo-subovatum, minus durum, alatum. — *Antennæ* longitudine fere dimidii corporis, sub-tenues, mox pone medium rostri in fovea oblonga, profunda insertæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis 1-8 sub-clavatis, tribus ultimis vix crassioribus, linearibus, clavam elongatam, compressam, sub-acuminatam formantibus, cujus articulus intermedius brevissimus, sub-nodosus. — *Rostrum* capite dimidio longius, sub-deflexum, planum, apice ampliatum, sub-truncatum, supra tri-carinatum. *Mandibulæ* exsertæ, arcuatæ, in medio dentibus duobus obtusis armatæ. — *Oculi* in fronte parum distantes, oblongi, convexi, magni. — *Thorax* latitudine baseos parum longior, lateribus pone medium perparum ampliatus, sub-angulatus, anterius nonnihil angustatus, subconicus, basi sub bi-sinuatus, apice truncatus, supra modice convexus, margine basali elevato et ante basin striga transversa, elevata, antrorsum ad medium marginis continuata notatus. — *Scutellum* minutum, breviter triangulare, immersum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi manifeste latiora et latitudine duplo longiora, antice tri-sinuata; humeris elevatis, prominulis, obtuse angulatis; lateribus sub-recta, apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso obtusa, ad suturam conjunctim sub-acuminata, supra parum convexa. — *Pygidium* deflexum, oblongum, apice rotundatum. — *Pedes* longiusculi, modice crassi; femoribus in medio crassioribus: tibiis teretibus; tarsis elongatis, sub-angustis, articulo 1° longo, sub-lineari, 2° longiusculo sensim latiore, apice utrinque producto, tertium amplectente, 3° sub-dilatato, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Anthribus sulcirostris.* Dom. Com. Dejean.

Ab α priv., κορύνη clava.

Observatio. — Generi *Tropideres* quoad habitum sub-simile est hoc genus, sed antennarum constructio diversa; nam decimus illarum articulus reliquis longe minor, quæ nota huic generi est peculiaris.

* 1. A. SULCIROSTRIS.

Oblongus, parum convexus, nigro-piceus, supra obscure, umbrino-tomentosus, maculis cervinis variegatus, subtus pube cervina tectus, rostro tri-carinato, thorace rugoso-punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, pedibus cinereo-annulatis.

Anthribus id. Dom. Com. DEJ. *in Litt.*

Habitat in insula Java. Mus. CHEVROLAT et SCHH.

Platyrhynchi latirostri dimidio major. — Caput magnum, latum, dense cervino-tomentosum, vertice maculis duabus cuneiformibus fuscis, notata; oculi magni, oblongi, nigri; rostrum capite dimidio longius, ad basin parum angustius, apicem versus valde rotundato-ampliatum, parum incrassatum, supra planum, medio nonnihil excavatum, a fronte ad apicem usque carinula longitudinali, integra præditum, et alia utrinque medio interrupta notatum; totum nigro-piceum, tomento dilute cervino tectum. Antennæ tenues, piceæ, parum pubescentes, clava tenui, valde elongata, fusca, 3-articulata, articulo intermedio brevissimo. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, lateribus ante medium perparum rotundatus, anterius nonnihil angustatus, basi bisinuatus, angulis retrorsum prominulis, intra basin carinula transversa, arcuata utrinque, et paulo anterius striga elevata, sub-recta, ad latera antrorsum confirmata instructus; supra modice convexus, nigro-piceus, sat confertim rugulosus, dorso obscure umbrino-tomentosus, ante scutellum macula triangulari, in apice lineola abbreviata et in medio dorsi utrinque puncto parvo, dilute cervino-tomentosis, lateribus et subtus tomento ejusdem coloris tectus, vitta tamen angusta laterali, ramulum versus dorsum retrorsum flexum fuscum, emittente. Scutellum minutum, dense cervino-tomentosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, thorace vix triplo longiora, pone humeros apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, supra dorso plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis convexis; tota nigro-picea, tomento obscure umbrino tecta, punctis numerosis dilute cervinis in striis adspersa, hinc illinc magis confluentibus. Pygidium semi-rotundatum, nigrum,

umbrino-tomentosum, cervino bi-maculatum. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter remote punctulatum, pube densa depressa fusco-cervina, tectum. Pedes mediocres, nigri, pube fusco-cervina obsiti; femoribus apice nigro-annulatis; tibiis basi apiceque annulo fusco cinctis; tarsis elongatis, articulo secundo fusco, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

GENUS 9. LITOCERUS. *Nob.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, graciles, medio rostri in fovea profunda insertæ : articulis omnibus angustis, remotis, penultimo contiguis non breviore.

Rostrum sub-elongatum, perpendiculare, planum, apice subtruncatum.

Oculi approximati, oblongi, convexi.

Thorax oblongus, anterius, sensim attenuatus, ante basin striga transversa, elevata, utrinque antrorsum adscendente notatus.

Elytra sub-ovata, margine antico reflexo.

Pedes longi, tenues.

Descriptio. — *Corpus* mediocris magnitudinis, oblongum, minus durum, alatum. — *Antennæ* longitudine corporis, graciles, in medio rostri in fovea profunda insertæ, rectæ, 11-articulatæ : articulo 1° elongato, clavato, crasso, 2° brevi, sub-turbinato, 3-6 oblongis, clavatis, basi tenuibus, 7-11 etiam oblongis, cultriformibus, depressis, quatuor ultimis reliquis paulo angustioribus. — *Rostrum* longitudine capitis, perpendiculare, depressum, supra planum, versus apicem sensim ampliatum, apice ipso sub-truncatum. — *Oculi* in fronte sub-connexi, oblongi, modice convexi. — *Thorax* latitudine baseos paulo longior, lateribus pone medium ampliatus, antrorsum angustior, basi sub bi-sinuatus, apice truncatus, ante basin striga elevata, sub-recta, antrorsum ad medium marginis continuata instructus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutum, transversum. — *Elytra* oblonga, thoracis parte postica paulo latiora, et illo duplo longiora, antice singulatim rotundata, in medio reflexa; humeris sub-prominulis, obtuse-angulatis; pone humeros apicem versus perparum angustata, apice junctim rotundata, supra modice convexa. — *Pygidium* elongatum, deflexum, apice rotundatum. — *Pedes* longi, tenues; femoribus in medio crassioribus; tarsi angusti, valde elongati, præsertim illorum articulus basalis.

Typus. — *Litocerus histrio.* Nob.

A Λιτὸς tenuis, κέρας cornu.

Observatio. — Cum genere *Acorynus* multa communia habet hoc genus, tam quoad habitum, quam plurium partium formam; sed antennarum constructio valde diversa et tarsi magis elongati.

In hac divisione plures occurrunt species, quarum antennæ secundum sexum valde dissimiliter constructæ, unde autumare liceat, hæc duo genera, ex quibus singulis unica tantum species nobis adhuc cognita est, posthac forte in unam conjungenda esse, quum ambo sexus delecti erunt.

* 1. L. HISTRIO. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, subtus dense cinereo-tomentosus, antennis pedibusque testaceo fuscoque variis, thorace vitta laterali utrinque punctisque cinereo-albidis notato, elytris punctato-striatis, basi, fascia media communi, abbreviata punctisque sparsis pallescentibus ornatis.

Patria: Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthribo albino minori vix brevior, sed angustior. Caput majusculum, piceum, opacum, orbita oculorum pallido-tomentosa; oculi maximi, ovati, convexi, brunnei, in fronte antice fere connexi; rostrum perpendiculare, latum supra fere planum, piceum, cinereo-tomentosum, ore palpisque testaceis. Antennæ corpore fere longiores, tenues, filiformes, articulis duobus primis totis, quinque sequentibus basi, testaceis, cæteris nigro-piceis. Thorax vix latitudine longior, antice paulo angustior, truncatus, lateribus a basi ultra medium sub-rectis, oblique ampliatis, dein pone strigam elevatam fere angulatim retrorsum obliquis; basi sub bi-sinuatus, margine elevato; supra inæqualis, ante medium striga abbreviata, profunde insculpta vix impressus; longe ante basin carina transversa, alte elevata, sub-recta, ad latera antrorsum continuata instructus; nigro-piceus, opacus, subtilissime alutaceus; in utroque latere vitta lata, cinereo-albido-tomentosa, nigro bi-maculata; in disco puncta quatuor, in formam crucis posita et pone strigam elevatam maculæ tres ejus modi. Scutellum parvum, transversum, cinereo-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, in dorso fere plana, tenuiter punctato-striata, nigro-picea, tomento denso pallescente inæqualiter vestita; ad basin nempe plaga lata, postice erosa; in medio dorsi fascia communis, utrinque abbreviata; ad apicem fascia alia obliqua et præterea in disco reliquo puncta sparsa et lineolæ albi-

dius tomentosæ. Pygidium sub-triangulare, elongatum, apice acute rotundatum, supra punctulatum, piceum, inæqualiter cinereo-tomentosum. Corpus subtus convexum, piceum, dense cinereo-tomentosum. Pedes valde elongati, tenues, femoribus pallide testaceis, apice piceis, tibiis sub-testaceis, extrorsum infuscatis, tarsium articulo primo tibia parum breviore, obscure testaceo, reliquis fuscis. Ghl.

2. L. Maculatus (1).

Rufo-cinerascens, thorace vittis duabus, elytris plurimis fuscis. — Oliv.

Macrocephalus id. Oliv. *Ent.* IV. 80. p. 11. 14. T. 2. f. 14. a. b.

Patria : India orientalis.

3. L. Fuliginosus (1).

Niger, thorace lineis tribus, elytris maculis plurimis obsoletis luteis.— Oliv.

Macrocephalus id. Oliv. *Ent.* IV. 80. p. 11. 13. T. 2. f. 13. a. b.

Patria : India orientalis.

Genus 10. CORRHECERUS. *Nob.*

Anthribus. Germ. — *Anthribus* (*Corrhecerus.*) *Nob.* olim (2).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, valde graciles, pilis longis, raris adspersæ, prope sinum oculorum in fovea vadosa insertæ; articulis 1, 2 oblongis, crassis, 3-8 sub-filiformibus, 9-11 crassioribus, oblongis, compressis, remotis.

Rostrum breve, latum, deflexum, apice late emarginatum.

Oculi majusculi, in fonte parum distantes, leviter emarginati, sub-depressi.

Thorax transversus, postice sub bi-sinuatus, acutangulatus, ad basin striga transversa, elevata, utrinque antrorsum continuata instructus.

Elytra oblonga, sub-cylindrica, antice singulatim rotundata, margine elevato.

---

(1) Verisimile hujus generis, mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 40. Subgenus I.

* 1. C. FLACCIDUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus tomento cinereo vestitus, supra albido fuscoque variegatus, thorace transverso, basi fusco-maculato, elytris remote punctato-striatis, striga maculari obliqua nigra notatis, pedibus albido-annulatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FREYREISS missus. Mus. SCHH.

Longitudo *Anthribi albini* minoris, sed multo angustior. Caput breve, latum, parum convexum, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi magni, rotundati, minus convexi, fusco-æneі, antice leviter emarginati; rostrum latitudine capitis eique concolor, brevissimum, antice late emarginatum, ore piceo. Antennæ thoracis basin superant, fusco-testaceæ, clava crassiore valde elongata, nigra, funiculo tenuissimo; ab articulo quinto ad apicem clavæ pilis longis, raris, fucis adspersæ. Thorax transversus, antice subito angustior, truncatus, lateribus ante medium obliquis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, angulis sub-acuminatis, mox ante basin striga elevata, ad medium laterum continuata, instructus; supra transversim convexus, disperse punctatus, niger, tomento denso cinereo-albido vestitus, in angulo postico utrinque macula majore saturatius fusca et in medio baseos duabus obsoletioribus notatus. Elytra antice singulatim rotundata, margine elevato, reflexo; lateribus ante medium ampliata, in medio leviter emarginata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, tomento denso albido quoad maximam partem vestita, plaga majore humerali, regione scutelli apiceque cinereo fuscoque variegatis; striga nigra, e maculis tribus oblongis composita, a medio suturæ valde oblique versus posteriora marginis ducta, aream posteriorem albidam a plaga exteriore variegata distinguit. Pygidium triangulare, punctatum, piceum, cinereo-tomentosum, basi sulcatum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, æqualiter cinereo-tomentosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, annulis pluribus albido-tomentosis cincti.

Observatio. — *Anthribus mixtus* Germari certe huic valde affinis, sed descriptio ejus tamen non exacte conveniens est, forte ad alterum sexum pertinet. GHL.

2. C. MIXTUS.

Antennis gracilibus, griseo-tomentosus, fusco-varius, tibiarum annulo atro, rostro brevi, latissimo. GERM.

Anthribus id. GERM. *Ins. spec.* I. p. 174. nº 289.

Patria : Brasilia.

GENUS 11. ANTHRIBUS.

Anthribus FABR., GYLLENH., GERM., LATR., HERBST., DEJEAN, ZETTERST., WALCKEN., STURM.—*Anthribus* et *Phlœobius*. SCHH. (1).— *Macrocephalus* OLIV. (2). — *Platystomus* HELLW (3). — *Anthrodus* MEG. — *Curculio* LINN., DE GEER et plures alii.

Character generis. — Antennæ infra sinum oculorum in fovea profunda insertæ, sub-tenues ; maris sæpius corpore longiores, clava angusta vel parum incrassata, articulo ultimo elongato, acuto; feminæ breviores, clava magis incrassata, articulo ultimo brevissimo, acuto, in paucis clava latiuscula, compressa, articulis sub-remotis.

Rostrum breve, latum, deflexum, apice profunde emarginatum ; mandibulæ arcuatæ, apice acutæ, intus obtuse uni-dentatæ.

Oculi laterales, prominuli, anterius emarginati.

Thorax antice angustior, postice sub-truncatus, acutangulatus, supra convexus, mox ante basin lateribusque posterius elevato-marginatus.

Elytra oblonga, sub-cylindrica, supra valde convexa.

Observ. — Species sub-generis *Phlœobii*, a nobis in *Curc. disp. meth.* p. 36 propositi, *Anthribis* genuinis habitu, oculis emarginatis aliarumque partium formatione simillimæ, quare illas jam huic generi inserui ; differunt tantum clava antennarum latiore, magis compressa, quæ nota sexui feminino competit, maribus illarum adhuc nobis ignotis.

---

(1) Schh. loc. cit. p. 32. nº 4. et p. 36. Subgenus F. — Germ. in n. Annal. de Wetterauisch. Gesell. I. I. p. s. 19. nº 1.—Latr. Gen. Cr. et Ins II. p. 237. nº 268.— *Id.* Consid. génér. p. 218. nº 213. — *Id.* Règne anim. p. 387. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 590. — Fabr. Syst. el. II. p. 404. nº 154. — Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 1. — Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 294. — Thon Ent. Arch. I. III. p. 64. — Herbst. Col. VII. p. 156. Instr. Tab. B. fig. 4. 7. — Walcken. Faun. Par. I. p. 231. nº 109.

(2) Oliv. Enc. méth. VII. p. 603. — *Id.* Entom. IV. 80. p. 1.

(3) Schneid. Mag. IV. p. 393.

†. GENUINI.

1. A. ALTERNANS. ♂

Oblongus, niger, subtus tomento denso pallide cinereo æqualiter vestitus, supra flavescenti, cinereo fuscoque variegatus, thorace pulvinato, ruguloso, sub-carinato, elytris obsolete punctato-striatis, seriatim fusco-maculatis, pedibus non variegatis. GHL.

Mas. *Antennarum articulo ultimo crassiusculo, apice incurvo.*

WIEDEM. *Zool. Mag.* I. III. p. 172. n° 22.

Patria : Bengalia.

2. A. LONGICORNIS. ♂♀

Oblongo-ovatus, niger, subtus tomento cinereo vestitus, supra albido fuscoque variegatus, thorace ruguloso, dorso sub-depresso, elytris obsolete punctato-striatis, apice sub-retusis, plaga circulari albo-tomentosa ornatis, pedibus albo fuscoque variegatis.

Mas. *Antennis corpore longioribus, articulo ultimo angusto, acuto, sub-recto.*

Femina. *Antennis corpore multo brevioribus, articulis tribus ultimis latis, compressis.*

FAB. *Syst. el.* I. II. p. 405. n° 5. — *Ent. Syst. suppl.* p. 160. n° 1.

Patria : India orientalis, Africa. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo et fere statura *A. Albini; A. Alternanti* Wiedeman. valde affinis, sed triplo minor, thoracis dorsum posterius depressum, antennarum maris articulus ultimus angustior, sub-rectus et pedes variegati. Caput majusculum, rugulosum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi lunati, nigri; rostrum brevissimum, planum, colore, punctura et indumento capitis. Antennæ maris corpore longiores, nigro-piceæ, articulis 1-8 apice cinereo-tomentosis, tribus ultimis atris, nudis, 9, 10 obconicis, interne productis, 11 angusto, acuto, sub-recto; antennæ feminæ dimidio corporis paulo longiores, flagello tenui, piceo; clava lata, compressa, atra. Thorax latitudine brevior, anterius vix angustior, truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, margine superiore alte elevato, fere ad medium laterum continuato, et ubi desinit angulum formante; supra minus convexus, in dorso posterius sub-depressus, confertim rugulosus, niger, tomento cinereo, albido et fusco sub-lineatim variegatus

punctisque duobus albidioribus in dorso notatus. Scutellum rotundatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, margine reflexo, lateribus pone basin ampliata, in medio leviter emarginata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, posterius sub-retusa, sub-remote subtiliter punctato-striata, nigra, tomento albido, fusco et interdum ochraceo variegata; sutura et interstitia alterna plerumque paulo elevatiora, fasciculis albidis et nigris alternantibus tessellata; in apice sub-retuso plaga circularis, e fasciculis albido-tomentosis composita. Pygidium breve, sub-cordatum, nigrum, tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento denso, albido æqualiter vestitum. Pedes breviusculi, validi, nigri, interdum piceo-testacei, dense albido-tomentosi, externe fusco sub-fasciati.

Observ. — *Anthribo griseo.* Fabr. Oliv. similis et affinis videtur, sed ille aliter coloratus describitur, et patria quoque aliena. Ghl.

3. A. Griseus.

Griseus, rostro brevissimo, elytris punctis albis apiceque cinereo. Oliv.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 410. n° 22.—*Ent. Syst.* I. II. p. 377. n° 4.
Herbst. *Col.* VI. p. 163. n° 4.
Macrocephalus id. Oliv. *Ent.* IV. 80. p. 9. n° 10. T. I. f. 10. — *Enc. méth.* VII. p. 606. n° 4.
Ptinus gigas. Fabr. *Mant.* I. p. 40. n° 1. — *Sp. ins.* I. p. 72. n° 1. *Syst. ent.* p. 63. n° 1.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1606. n° 17.

Patria : Nova Hollandia.

4. A. Albinus. ♂♀

Oblongus, nigro-fuscus, convexus, fronte, rostro, fascia antennarum, elytrorum macula disci, apiceque albo-pilosis, thorace tri-tuberculato.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 3. n° 2.
Fabr. *Syst. el.* II. p. 408. n° 15.—*Ent. Syst.* I. II. p. 375. n° 1.— Id. *in Acta Hist. Soc. Hafn.* I. I. p. 220. n° 1.
Herbst. *Col.* VIII. p. 158. n° 1. T. 106. f. 1 ♂. 2 ♀.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 160. n° 2.
Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 238. *note.*
Panz. *Faun. Germ.* III. n° 16.—*Ent. Germ.* p. 291. n° 1.
Cederh. *Faun. Ingr.* n° 311.
Schneid. *Mag.* I. p. 22. n° 1.

Curc. Id. LINN. *Faun. Suec.* n° 632.—*Syst. nat.* I. II. p. 616. n° 79. —Ed. GMEL. I. IV. p. 1783. n° 79.

FABR. *Mant.* I. p. 118. n° 236.—*Sp. ins.* I. p. 122. n° 180.—*Syst. ent.* p. 151. n° 127.

DE GEER. *Ins.* V. p. 255. n° 44. T. 8. f. 1.

KNOCH. *Beytr.* I. p. 81. n° 1. T. 6. f. 1. n° 7.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 118. n° 112.

BONSD. *Curc. Suec.* p. 16. n° 1. T. 1. f. 1.

SCOP. *Ent. Carniol.* p. 23. n° 66.

STURM. *Ins. Cabin.* II. Tab. 15.

HERBST. *Arch.* p. 167. n° 100.

MARSH. *Ent. Br.* I. p. 295. n° 166.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 508. n° 2.

BECHST. et SCHARSENB. FORSTINS. I. p. 175. n° 32.

MULL. *Zool. Dan. Prod.* p. 88. n° 773.

VILL. *Ent.* I. p. 208. n° 147.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 5. n° 4. T. 1. f. 4. a. b. —*Enc. méth.* VII. p. 605. n° 1.

WIEDEMAN. *Diss.* p. 14. n° 27. *Curculio.*

MULL. LINN. *Nat. Syst.* VI. p. 237. n° 79.

DONOV. *Brit. ins.* Tab. 348. f. 3.

Patria : Europa borealis et temperata.

Observ. — Ex Iberia et Volhynia varietas supra densius cinereo-tomentosa a Dom. Steven et Besser nobis communicata; ceterum omni puncto cum nostra conveniens.

5. A. FASCICULARIS. *Dej.* ♂♀

Oblongus, niger, undique dense cinereo-tomentosus, antennis pedibusque piceis, capite, rostro, elytrorumque apice albo-tomentosis, thorace fasciculis tribus, elytris pluribus ferrugineo-setosis, pedibus longius pilosis, albido-fasciatis.

Patria : Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

A. albino simillimus, sed minimis ejus adhuc minor, densius tomentosus, pedes pilis longis adspersi, etc. Caput majusculum, punctatum, nigrum, tomento denso, albido, sæpe ferrugineo mixto vestitum, fronte anguste carinata; oculi nigro-brunnei, antice leviter emarginati; rostrum latitudine capitis et parum brevius, planum, similiter coloratum et vestitum. Antennæ piceæ, cinereo-annulatæ, maris corpore longiores, clava angusta, pilosa; feminæ corpore breviores, clava lata, compressa. Thorax latitudine medii

brevior, antice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, margine modice elevato, ad medium laterum oblique continuato; supra transversim convexus, intra basin et apicem depressus, obsolete punctatus, niger, tomento cinereo et ferrugineo vestitus; in medio dorsi tubercula tria magna, transversim posita, satis ferrugineo-fasciculata. Scutellum parvum, rotundatum, dense niveo-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, margine elevato; pone basin ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, obsoletius, subremote punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus; nigra, tomento cinereo vestita, margine laterali longius albo-piloso; apex late et dense albo-tomentosus, et præterea tubercula numerosa ferrugineo-fasciculata in interstitiis sparsa, quorum unum prope scutellum utrinque, reliquis majus. Pygidium breve, sub-cordatum, dense albo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento cinereo-albido vestitum. Pedes longiusculi, validi, pilis longis albidis adspersi, femoribus nigro-piceis, tibiis tarsisque dilutioribus, albido-fasciatis.

††. — SPURII. — (Subgen. *Phlœobius.* Nob. olim.)

* 6 A. NIGROUNGULATUS. *Schh.*

Elongato-ovatus, convexus, testaceus, supra ochraceo, subtus pallido-tomentosus, capite, thorace elytrisque nigro variegatis, antennis tarsisque apice atris.

Habitat in China. Dom. GRONDAHL. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Melolonthæ brunneæ*, Fabr. Caput sub-porrectum, rugoso-punctatum, supra nigrum, ochraceo-tomentosum, subtus testaceum; oculi magni, convexi, valde lunati, nigri. Antennæ longitudinem dimidii corporis vix superant, testaceæ, articulis tribus ultimis latis, compressis, holosericeo-atris. Thorax latitudine brevior, antice posticeque truncatus, lateribus ampliatus, pone medium et basi tota elevato-marginatus, supra transversim convexus, confertim granulato-punctatus, in medio tenuiter canaliculatus, testaceus, in dorso confertim nigro variegatus, tomento denso ochraceo vestitus, immixtis fasciculis nonnullis parvis albidis. Scutellum parvum, rotundatum, dense albido-pubescens. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, lateribus perparum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, sutura interstitiisque interioribus interrupte costatis, nigro-maculatis; testacea, tomento denso ochra-

ceo vestita. Corpus subtus obscure testaceum, vix punctulatum, pube densa, depressa, pallida tectum. Pedes dilutius testacei vel flavescentes, dense pallido pubescentes, articulo unguiculari apice late ungulisque atris vel nigro-piceis. GHL.

* 7. A. COMPRESSICORNIS.

Oblongus, convexus, fusco-ferrugineus, subtus tomento denso cinereo vestitus, supra sub-ochraceo variegatus, antennarum funiculo pedibusque testaceis, fusco-fasciatis, thorace bi-tuberculato, elytris remote punctato-striatis, tuberculis numerosis nigris notatis, antennarum clava compressa atra. GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 406. n° 10.
Amblycerus Guinæensis. THUNB. *In nov. Acta Ups.* VII. p. 121.?

Patria: Guinea, Sierra Leona.

8. A. CONFUSUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, fusco-niger, subtus dense albido-tomentosus, supra cinereo-variegatus, pedibus testaceis, thorace sub-canaliculato, elytris punctato-striatis, confertim cinereo-guttatis.

Patria: Brasilia. Ex Museo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Parvus. *Aræcero coffeæ* æqualis. Caput latum, parum convexum, punctulatum, fusco-nigrum, dense cinereo-tomentosum; oculi brunnei, æneo-micantes, antice emarginati; rostrum latitudine capitis, sed brevius, supra planum, similiter vestitum. Antennæ thorace breviores, tenues, flagello ferrugineo, basi et clava nigris. Thorax latitudine postica brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, posterius vix elevato-marginatis, basi bi-sinuatus, angulis acutis, margine superiore alte elevato; supra sub-depressus, præsertim posterius, in medio obsolete canaliculatus, subtiliter alutaceus, nigro-fuscus, tomento cinereo variegatus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense-albido-tomentosum. Elytra antice sub-truncata, margine elevato, lateribus parum ampliata, apice valde obtusa, thorace plus duplo longiora, supra perparum convexa, in dorso antico depressa, confertim punctato-striata, nigro-fusca, guttulis numerosissimis, ovatis, sub-seriatis, cinereo-tomentosis adspersa. Pygidium semi-ellipticum, piceum, cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento cinereo-albido vestitum. Pedes breviusculi, validi, testacei, cinereo-tomentosi, tarsis fuscescentibus. GHL.

GENUS 12. EUPARIUS. *Nob.* (1).

Anthribus FABR., DEJEAN, STURM. — *Macrocephalus* OLIV.

Character generis. — Antennæ in utroque sexu breviusculæ, infra oculos insertæ; funiculo gracili, articulis basalibus crassiusculis; clava distincte crassiore, compressa, articulis remotis.

Rostrum breve, latum, deflexum, apice leviter emarginatum.

Mandibulæ arcuatæ, apice bifidæ, intus concavæ, in medio sæpius dente obsoleto armatæ.

Oculi laterales, sub-prominuli, sub-rotundati.

Thorax antice angustior, postice sub-truncatus, acutangulatus, supra modice convexus, mox supra basin lateribusque posticis elevato-marginatus.

Elytra oblonga, sub-linearia, supra convexa.

Observ. — Oculi non emarginati et mandibulæ interne concavæ, apice bi-dentatæ, hoc genus ab *Anthribis* genuinis præcipue distinguunt, cum quibus alias habitu et pluribus notis conveniunt; antennarum forma etiam ut in feminis *Anthriborum*, modo funiculus magis tenuis.

* 1. E. TIGRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, undique tomento denso cinereo tectus, thorace lateribus sub-angulato, maculis novem, elytris simul ultra triginta atris, centrali minori communi, tarsorum articulo primo fulvescenti-tomentoso.

Patria : Brasilia. A Dom. FREYREISS missus, Mus. SCHH.

E majoribus *Spondylo ceramboido* statura sub-similis, sed paulo latior. Caput breve, parum convexum, vix punctatum, nigrum, tomento cinereo, versus latera fulvescente vestitum, fronte macula lanceolata, atra notata; oculi magni, brunnei; rostrum latitudine capitis et illo parum brevius, supra planum, similiter ac caput vestitum, macula media rotundata atra notatum. Antennæ breves, totæ nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, supra basin elevato-marginatus, margine versus medium laterum oblique extrorsum continuato, et ubi desinit angulum sub-acutum formante; latera dein anterius obliqua, immarginata; supra convexus, pulvinatus, vix punctatus, niger, tomento denso cinereo vestitus, maculisque novem atris notatus, lateralibus anticis minoribus, rotundatis, media postica reliquis

(1) Schh. Curc. Disp. meth. p. 36. Subgen. E

majore, sub-rhombica, lineam fulvescenti-tomentosam includente. Scutellum parvum, tuberculiforme, dense fulvescenti-tomentosum. Elytra basi sub-truncata, elevato-marginata, callo humerali oblongo; lateribus pone basin ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in disco singuli longitudinaliter convexa, versus suturam depressa, ibique stria tenui, sub-punctata, antice abbreviata impressa, cæterum sub-lævia, nigra, tomento cinereo vestita, maculis numerosis atris, magnitudine et forma inæqualibus, ornata; in singulo elytro maculæ circiter quindecim, nonnullis per paria confluentibus, et unica communis paulo ante medium suturæ. Pygidium breve, sub-cordatum, fulvescenti-tomentosum, maculis duabus ovatis, nigris notatum. Corpus subtus nigrum, tomento denso cinereo et fulvescente vestitum, ventre utrinque duplici serie atro-maculato. Pedes longiusculi, nigri, femoribus ad apicem, tibiis in medio annulo fulvescenti-tomentoso cinctis; tarsorum articulus primus totus et tertius subtus fulvo-tomentosi. GHL.

2. E. CALLOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, tomento sub-ochraceo inæqualiter vestitus, thorace punctulato, postice bi-impresso, elytris convexis, punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, maculis oblongis atro-holosericeis tessellatis, pedibus ochraceo-nigroque annulatis.

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Dom. HOPE ad describendum benevole communicatus.

Platyrhino latirostri non brevior, sed paulo angustior et convexior. Caput breve, planum, confertim punctatum, nigrum, tomento ochraceo adspersum; oculi semi-globosi, dilute brunnei; rostrum latitudine capitis et illo dimidio longius, apice rotundatum, supra planum, similiter ac caput punctatum et vestitum. Antennæ sub-tenues, testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine longior, anterius angustior, apice rotundato sub-productus et elevatus, lateribus pone medium nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, margine superiore alte elevato, ad latera angulatim continuato; supra anterius convexus, intra basin bis obsolete impressus, undique confertim punctulatus, niger, tomento depresso sub-ochraceo inæqualiter vestitus. Scutellum minutum, tuberculiforme, concolor. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; pone humeros ampliata, apice singulatim oblique truncata, angulo suturali sub-acuminato; thorace triplo longiora, supra convexa, sub-remote

punctato-striata, nigra, tomento sub-ochraceo vestita, interstitiis alternis elevatioribus, convexis, maculis oblongis atro-holosericeis seriatim adspersis. Corpus subtus punctatum, nigrum, ochraceo-tomentosum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus medio paulo crassioribus, tibiis tarsisque tomento ochraceo et atro alternatim annulatis. GHL.

* 3. E. ZEBRA.

Oblongus, niger, dense cinereo-tomentosum, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, capite fulvescenti-pubescente, macula frontali atra notato, thorace elytrisque nigro-fasciatis maculatisque.

Anthribus Zebra. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 94.

Habitat in Brasilia. Dom. DE WINTHEIM. Mus. SCHH.

Minimis individuis *Anthribi albini* magnitudine æqualis. Caput deflexum, planum, latum, dense fulvescenti-tomentosum; fronte vitta media angusta, cæsio-tomentosa notata; vertice macula oblonga, transversim posita, atra-holosericea, decorato; oculi magni, ovati, prominuli, brunnei; rostrum fere longitudine et latitudine capitis, supra planum, basi obsolete carinatum, dense fulvescenti-tomentosum. Antennæ longitudine thoracis, tenues, rufo-testaceæ, clava magna tri-articulata, atra, articulo ultimo oblongo-ovato, acuminato. Thorax apice truncatus, anterius angustior, lateribus pone medium perparum rotundatus, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis retrorsum prominulis, acuminatis, intra basin striga elevata, sinuata, in medio nempe angulum obtusum posterius emittens et versus latera utrinque arcuata; supra convexus, niger, dense dilute cæsio vel cinereo-tomentosus, fasciis duabus, liberis, transversis, dorso abruptis, punctoque utrinque laterali, atro-holosericeis ornatus. Scutellum minutum, punctiforme, nigrum, cinereo-tomentosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundata, elevato-marginata, antice thoracis basi non latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace fere triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, tomento dilute cinerea vel cæsio dense tecta, linea laterali fulvescenti-tomentosa, notata; maculis simul sexdecim atro-holosericeis, adspersa, quarum octo in quovis elytro, nempe: 1 prope basin transversim posita, valde elongata, nec suturam nec marginem lateralem attingente; 2 ante medium etiam elongata et transversim locata, prope suturam; 3 ei opposita, versus marginem lateralem, minor, rotunda; 4 juxta suturam pone medium, rotunda; 5 ei fere opposita in medio disci elongata, trans-

versa; 6 in ipsa fere sutura; 7 elongata, versus marginem et 8 intra apicem, versus suturam. Pygidium semi-rotundatum, fulvescenti-tomentosum. Corpus subtus ferrugineum, fulvescenti et cinereo-tomentosum; abdomine utrinque serie e maculis atris decorato. Pedes mediocres, rufo-testacei, fulvescenti-tomentosi, geniculis, tibiarum apice tarsisque nigro-fuscis. BHN.

* 4. E. SUB-MACULATUS. *Schh.*

Oblongus, rufo-testaceus, tomento pallido et cervino maculatim variegatus, rostro brevissimo, canaliculato, thorace pone medium utrinque sub-angulato, marginato, basi bi-sinuato, elytris subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Tropideri albirostri parum major. Caput deflexum, planum, dense cervino-tomentosum, vitta media angusta e pube griseo-albida, ornatum; oculi sat magni, ovati, valde prominuli, brunnei; rostrum capite brevius, sed basi non angustius, apicem versus sensim angustatum, apice ipso sub-rotundatum, supra planum, medio sub-impressum, canalicnla abbreviata insculptum, dense griseo et cervino-tomentosum. Antennæ longitudine thoracis, sub-tenues, rufo-testaceæ, articulis tribus ultimis magnis, compressis, ultimo oblongo-ovato, obtuse acuminato. Thorax antice multo angustior, sub-coarctatus, latitudine baseos vix longior, apice sub-truncatus, lateribus sensim ampliatis, pone medium sub-angulatis, marginatis, et pone angulum sinuatis; basi sat profunde bi-sinuatus, angulis retrorsum prominulis, acutis; supra convexus, mox supra basin carinula transversa, bi-sinuata, notatus; cervino-tomentosus, in dorso vitta longitudinali, medio ampliata, e pube pallida, lateribusque reticulatim pallido-lineatus. Scutellum minutum, punctiforme, pallido-tomentosum. Elytra basi sub-truncata, elevato-marginata, antice thoracis basi parum latiora et illo vix triplo longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, rufo-testacea, subtiliter punctato-striata, tomento fulvescenti tecta, maculis plurimis umbrinis, variegata. Corpus subtus ferrugineum, tomento sat dense, pallido, tectum. Pedes mediocres, rufo-testacei, albido-pubescentes, annulis umbrinis variegati; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 5. E. DORSALIS. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, cervino-pubescens, antennis pedibusque rufo-testaceis, capite, rostro, elytrorum plaga oblonga, communi, griseo-albido-tomentosis, thorace basi bi-sinuato, marginato, supra impresso, pedibus albido-annulatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Tropideri dorsali nonnihil longior et angustior. Caput deflexum, planum, ferrugineum, dense dilute cervino-tomentosum, linea angusta supra oculari, pallidiori notatum; oculi ovati, prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, latum, planum, indumento capitis. Antennæ longitudine thoracis, tenues, ferrugineæ, clava magna, tri-articulata, articulo ultimo oblongo-ovato, acuminato. Thorax antice multo angustior, truncatus, lateribus ampliatus, pone medium marginatus, postice bi-sinuatus, bi-marginatus, angulis retrorsum prominulis, acuminatis, supra dorso late longitudinaliter impressus, ferrugineus, confertim rugoso-punctatus, pube depressa cervina et albida adspersus, in dorso magis condensata. Scutellum punctiforme, dilute griseo-pubescens. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, tenue elevato-marginata, antice thoracis basi fere angustiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo fere longiora, apice ipso conjunctim subtruncata, supra convexa, dorso omnino plana, longitudinaliter leviter impressa, ferruginea, regulariter punctato-striata, punctis ad basin profundioribus, interstitiis fere planis, tomento cervino parce adspersa, in dorso a basi longe ultra medium plaga magna, communis, dense sordide albo-tomentosa. Pygidium semi-rotundatum, ferrugineum, cervino-pubescens. Corpus subtus ferrugineum, subtilissime punctulatum, parce pallido-pubescens; abdomine utrinque serie e maculis parvis albidis, decorato. Pedes mediocres, rufo-ferruginei, umbrino-pubescentes, annulis albidis ornati; tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 6. E. CINCTIPES. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, pube cinerea variegatus, antennis tarsisque ferrugineis, elytris albido-sub-tessellatis, tibiis annulo cinereo cinctis.

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Anthribi albini* mediocris. Caput breve, latum, planum, nigrum, punctatum, cinereo-pubescens; oculi late-

rales, majusculi, semi-globosi, brunnei, integri; rostrum latitudine capitis et illo fere longius, supra sub-impressum, apice leviter emarginatum, colore, punctura et indumento capitis; mandibulæ validæ, piceæ, nitidæ, interne uni-dentatæ. Antennæ thoracis basin attingunt, ferrugineæ, medio tenues, clavæ articulis magnis, sub-remotis, obscurioribus. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus ampliatus, pone medium elevato-marginatus, basi sinuatus, margine elevato, reflexo, angulis acutis; supra in disco convexus, totus nigro-piceus, confertim punctatus, pube depressa, cinerea variegatus. Elytra antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi arcte applicata, illoque vix latiora, lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; nigro-picea, obscura, pube depressa cinerea inæqualiter adspersa, immixtis in sutura et posterius maculis nonnullis oblongo-quadratis albidioribus. Pygidium deflexum, rotundatum, albido-pubescens. Corpus subtus dilutius piceum, punctatum, cinereo et albido-pubescens. Pedes mediocres, picei, pubescentes; tarsis, præsertim apice, dilutius ferrugineis; tibiæ omnes annulo cinereo-albido cinctæ. GYLL.

* 7. E. LUNATUS.

Oblongo-ovatus, convexus, nigro-piceus, opacus, supra tomento fusco- et cinereo-albido variegatus; antennarum funiculo ferrugineo, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, albido nigroque tessellatis, plaga dorsali communi antica sub-lunata, cinereo-albido-tomentosa ornatis, pedibus albo-annulatis. GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 409. n° 21.

Anthribus albifrons. (Melsh.) BOHEM. in *Acta Mosq.* VI. p. 18. n° 18.

Macrocephalus marmoreus. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 12. n° 16. T. 2. f. 16. a. b.

Patria : Carolina, Georgia.

* 8. E. DISPAR.

Oblongo-ovatus, niger, confertim alutaceus, thorace transverso, punctis paucis albidis ornato, elytris ante medium plaga communi albido-pubescente notatis, tibiis albido-annulatis.

Anthribus dispar. Dom. Com. DEJEAN. *in Litt.* secundum Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Brasilia, teste Dom. von WINTHEIM. Mus. SCHH.

Anthribo albino dimidio minor et ultra; *A. albicorni*, Germ. *Ins. sp.* 1. p. 175, affinis videtur, sed thorax transversus, pedes nigri et antennarum apex modo pallido-pubescens, etc. Caput mediocre, confertim alutaceum, nigrum, puncto parvo pallido-pubescente juxta singulum oculum; oculi laterales, majusculi, brunnei, integri, modice prominuli; rostrum capite parum angustius nec brevius, similiter punctatum. Antennæ longitudine dimidii corporis, funiculo tenui, ferrugineo, clava magna, compressa, atra, articulo ultimo apice pallido-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice paulo angustior, compressus, lateribus parum ampliatus, posterius elevato-marginatus, basi leviter sinuatus, margine reflexo, supra parum convexus, inæqualis, ante scutellum impressus, confertim rugulosus seu alutaceus, niger, parce cinereo-pubescens, intra margines utrinque puncto uno alterove parvo, determinato, albidius pubescente notatus. Scutellum parvum, elevatum, albido-pubescens. Elytra antice sub-truncata, margine elevato, thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, regulariter striata et in striis confertim punctata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, punctis parvis albido-pubescentibus et holosericeo-atris alternantibus obsolete tessellata et ante medium dorsi plaga majori, communi, indeterminata, pallido-pubescente ornata. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, parce cinereo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, femoribus clavatis, tibiis rectis, annulo ante medium apiceque albo-pubescentibus; tarsorum articulis duobus ultimis testaceis. GHL.

* 9. E. LUGUBRIS.

Oblongus, ater, parum convexus, capite, rostro, limbo antico thoracis, elytrorum plaga basali, apice, punctisque sparsis disci albo-tomentosis, elytris profunde punctato-striatis, tibiis tarsisque annulo albo cinctis. GHL.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 13. n° 17. T. 2. f. 17. a. b.

Patria : America borealis.

* 10. E. CORONATUS.

Oblongus, convexus, niger, dense cinereo-tomentosus, antennis pedibusque rufo-piceis, dense pilosis, capite, rostro, elytrorumque plaga antica communi cinereo-albido tomentosis, thorace elytrisque fasciculis fusco-setosis adspersis.

Anthribus id. Dom. Com. DEJEAN *in Litt.*

Patria : America borealis. A. Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthribo fasciculari simillimus, sed adhuc minor; oculi integri, non emarginati, quare huic generi adnumerandus videtur. Caput majusculum, punctulatum, nigrum, tomento denso cinereo-albido, interdum ochraceo tincto vestitum; oculi rotundati, integri, nigri; rostrum longitudine capitis et æque latum, planum, similiter vestitum. Antennæ thoracis basin superant, longius albido-pilosæ, piceo-ferrugineæ, scapo et clava saturatius nigris. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus posterius nonnihil ampliatus, ibique elevato-marginatus, basi sub-truncatus, margine superiore alte elevato; supra transversim convexus, ruguloso-punctatus, niger, tomento cinereo-albido et ochraceo sub-variegatus; in medio dorsi fasciculi tres majores nigro-setosi, intermedio anteriore et in ipso margine antico duo minores ejusmodi. Scutellum parvum, rotundatum, albido-tomentosum. Elytra antice sub-truncata, margine elevato, pone basin parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, nigra, tomento denso cinereo vestita, fasciculisque pluribus nigro-setosis adspersa; ante medium dorsi plaga communis, indeterminata, albo-tomentosa. Pygidium breve, sub-cordatum, cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctatum, nigrum, cinereo et albido-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, rufo-picei, pilositate longa et dense albida vestiti, præsertim tibiæ et tarsi. GHL.

11. E. PAGANUS. *Chevrolat.*

Oblongus, angustus, fusco-ferrugineus, tomento cinereo inæqualiter vestitus, thorace rugoso-punctato, posterius depresso, elytris nigro-albidoque sub-tessellatis, singulo macula albo-tomentosa anterius notato, pedibus nigro-annulatis.

Patria : America borealis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Parvus, angustus, *Anobio striato* sub-æqualis. Caput breve, latum, punctulatum, obscure ferrugineum, tomento cinereo variegatum; oculi rotundati, brunnei; rostrum latitudine capitis sed paulo brevius, antice rotundatum. supra planum, similiter vestitum. Antennæ vix thoracis basin attingunt, ferrugineæ, scapo et clava nigris vel piceis. Thorax latitudine vix brevior, antice fere

dimidio angustior, apice truncatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus obliquis, posterius sub-ampliatis ibique elevato-marginatis, basi leviter bi-sinuatus, margine superne alte elevato; supra transversim convexus, ante scutellum late impressus, rugoso-punctatus, obscure ferrugineus, obsolete fusco-maculatus, tomento sat denso cinereo vestitus. Scutellum parvum, rotundatum, dense cinereo-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, margine elevato, thoracis basi non latiora nec lateribus ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, confertim punctato-striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus; dilutius ferruginea, tomento tenui cinereo adspersa, interstitiis elevatioribus nigro albidoque sub-tessellatis; ante medium disci singuli elytri macula major, difformis, albo-tomentosa. Pygidium semi-orbiculatum, planum, rugulosum, fusco-ferrugineum, cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctatum, piceum, tomento cinereo vestitum. Pedes longiusculi, validi, ferrugineo et nigro alternatim fasciati, albido-tomentosi. Ghl.

12. E. Centromaculatus. *Dahl.*

Oblongo-ovatus, convexus, fusco-piceus, subtus dense albido-tomentosus, supra cinereo-variegatus, tibiis tarsisque testaceis, thorace tuberculo magno dorsali nigro, elytris annulo communi atro-fasciculato instructis.

Patria: Turcia (?). Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum communicatus.

Statura et fere magnitudo *Tropideris dorsalis.* Caput latum, convexum, vix punctatum, ferrugineum, tomento denso cinereo-albido vestitum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite brevius, sed non angustius, supra planum, similiter vestitum. Antennæ thoracis basin superant, tenues, ferrugineæ, articulis duobus baseos et duobus ultimis totis, reliquis apice nigris. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius fere duplo angustior, apice truncatus, lateribus posterius ampliatus et elevato-marginatus, basi leviter bi-sinuatus, margine superiore alte elevato; supra transversim convexus, intra basin et apicem impressus, ruguloso-punctatus, fusco-piceus, tomento cinereo-albido variegatus, in medio dorsi tuberculo magno, obtuso, nigro instructus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albido-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin nonnihil ampliata, apice valde obtusa, fere truncata, thorace triplo longiora, supra convexa, obso-

letius punctato-striata, fusco-picea, in disco tomento tenui cinereo, versus suturam densiore, magis albido vestita; in sutura et interstitiis alternis tubercula parva, remota, seriata, nigro-setosa, et in medio dorsi annulus magnus circularis, communis, nigro-fasciculatus. Pygidium breve, obtuse rotundatum, cinereo-tomentosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, tomento denso cinereo vestitum. Pedes longiusculi, validi, albido-tomentosi, femoribus nigris, basi testaceis, tibiis tarsisque testaceis, fusco sub-fasciatis. GHL.

GENUS 13. EUGONUS. *Nob.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, sub-tenues, infra sinum oculorum in fovea elongata, subtus flexa, scrobiformi insertæ; clava distincte crassiore, compressa, articulis remotis.

Rostrum brevissimum, sub-deflexum, apice profunde emarginatum.

Oculi laterales, convexi, antice emarginati.

Thorax sub-quadratus, antice rotundato-productus; supra convexus, basi lateribusque elevato-marginatus, angulis anticis prominulis, callosis.

Elytra elongata, linearia, supra convexa.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, sub-cylindricum, robustum, durum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium vix superantes, sub-tenues, infra sinum oculorum insertæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis 1-8 sub-obconicis, sub-æqualibus; clava elongata, distincta, compressa, tri-articulata, articulis remotis, ultimo ovato, apice rotundato. — *Rostrum* brevissimum, sub-deflexum, latum, apice profunde emarginatum; fovea antennalis elongata, subtus flexa, scrobiformis. Mandibulæ breves, validæ, corneæ, intus falcatæ, sub-concavæ, margine inferiore in medio dentibus duobus obtusis armato. Labrum transversum, fornicatum, corneum. — *Oculi* laterales, modice convexi, antice late sed non profunde emarginati. — *Thorax* longitudine latitudinem vix superante, antrorsum perparum angustior, sub-quadratus, postice bi-sinuatus, angulis sub-acuminatis; antice rotundato-productus, supra modice convexus, lateribus et mox ante basin elevato-marginatus, angulis anticis prominulis, reflexis, callosis. — *Scutellum* minutum, sub-elevatum, rotundatum. — *Elytra* thoracis medio vix latiora, sed illo fere quadruplo longiora, sub-linearia, supra convexa, circumcirca elevato-marginata, apice rotundata, singulatim dente obtuso aucto. — *Pygidium* inflexum, semi-rotundatum. — *Pedes* breves, validi, longitudine sub-æquales; femoribus in

medio modice incrassatis, subtus canaliculatis; tibiis a basi sensim crassioribus, angulatis, sub-compressis; tarsi breviusculi.

Typus. — *Eugonus virgatus.* Nob.

A γονος angulus, ob angulos thoracis anticos prominulos.

Observ. — Forma corporis cylindrica, fovea antennalis elongata, subtus flexa, anguli antici thoracis callose prominentes, femora subtus canaliculata, ut et tarsi breviusculi, genus hocce facile designant.

1. E. Virgatus. *Schh.*

Elongatus, sub-cylindricus, nigro-piceus, opacus, pube depressa pallescente maculatim variegatus, thoracis angulis anticis reflexis, callosis, elytris undique elevato-marginatis, apice singulatim sub-acuminatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Schh.

Anthribo latirostri parum latior, sed multo longior et convexior, sub-cylindricus. Caput breve, latum, perparum convexum, punctatum, nigro-piceum, pube tenui, depressa, pallescente marmoratim variegatum; rostrum capiti contiguum, æque latum, brevissimum, apice angulariter emarginatum, supra, antice leviter carinatum, colore et indumento capitis; mandibulæ validæ, nigræ, basi rugulosæ, interne dentatæ; oculi laterales, majusculi, convexi, nigro-brunnei, anterius late, sed parum profunde emarginati. Antennæ thoracis medium parum superant, ferrugineæ, sub-tenues, clava lata, compressa. Thorax sub-quadratus, antice rotundatus, angulis prosilientibus, reflexis, callosis, rotundatis; lateribus anguste marginatus, in medio nonnihil ampliatus, basi leviter sinuatus, reflexo-marginatus, angulis sub-acuminatis; supra convexus, obsolete canaliculatus, nigro-piceus, opacus, similiter ac caput marmoratus. Scutellum parvum, elevatum, rotundatum, pallido-pubescens. Elytra thoracis medio non latiora, sed illo fere quadruplo longiora, sub-linearia, antice sub-truncata, margine baseos elevato, reflexo, qui ab humero per plicam elevatam fere ad apicem continuatur, margine inferiore elytrorum inflexo; apex singuli elytri in medio angulum sub-conicum emittit; supra valde convexa, remote et parum profunde punctato-striata, nigro-picea, opaca, pube pallescente inæqualiter marmorata. Corpus subtus nigro-piceum, densius pallido-pubescens. Pedes mediocres, nigro-picei, dense pallido-pubescentes, femoribus maculis, tibiis fascia lata, denudata, nigris notatis. Gyll.

GENUS 14. TROPIDERES. Nob. (1).

Anthribus FABR., GYLLENH., GERM., DEJEAN, STURM, THUNB. — *Macrocephalus* OLIV. — *Platyrhinus* CLAIRV., BILLB. — *Amblycerus* THUNB.

Character generis. — Antennæ mediocres, in medio laterum rostris insertæ; articulis primis funiculi oblongis, crassis, reliquis tenuibus, sub-obconicis; clava distincte crassiore, compressa, articulis approximatis.

Rostrum deflexum, complanatum, aut sub-elongatum, aut breve.

Oculi sub-rotundati, modice convexi, aut sub-approximati, aut laterales.

Thorax subconicus, longe ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum flexa notatus.

Elytra oblonga, sub-linearia, supra minus convexa.

Descriptio. — *Corpus* mediocris aut minoris magnitudinis, oblongum, sub-ovatum, alatum. — *Antennæ* thoracis basin sub-attingentes, sub-tenues, in medio laterum rostri insertæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis duobus basalibus oblongis, crassis, 3-8 sub-obconicis, sub-æqualibus, tenuissimis; clava elongata, distincte crassiore, compressa, articulis approximatis. — *Rostrum* deflexum, aut sub-elongatum, basi sub-angustatum, apice plus minusve ampliatum, aut breve, apice haud vel perparum ampliatum, complanatum, supra planum, apice ipso vel sub-truncatum, vel emarginatum; fovea antennali brevi. — *Oculi* magni, aut plus minusve approximati, aut laterales, sub-rotundati, modice convexi, integri. — *Thorax* latitudine baseos parum longior, antice multo angustior, truncatus, lateribus obliquis, sub-rectis, pone medium utrinque ampliatus, versus basin cito angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, longe ante basin striga transversa, elevata, ad latera antrorsum arcuata instructus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* thoracis basi parum latiora, illoque vix triplo longiora, basi singulatim sub-rotundata, ad latera recta, apice conjunctim rotundata, supra minus convexa; humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* deflexum, semi-orbiculatum. — *Pedes* validi, mediocres, longitudine sub-æquales; femoribus in medio incrassatis; tibiis teretibus, a basi sensim crassioribus.

TYPUS. — *Anthribus albirostris* Auctorum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 37. Subgen. D.

STIRPS I. — Rostrum sub-elongatum, basi sub-angustatum, apice plus minusve ampliatum.

* 1. T. ALBIROSTRIS.

Oblongus, nigro-fuscus, rostro elytrisque postice albis, nigro-variis, oculis approximatis, thoracis striga elevata sub-recta. — GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 408. n° 17. — *Ent. Syst.* I. II. p. 376. n° 3. — Id. in *Acta Hist. nat. Suec. Hafn.* I. I. p. 220. n° 3.
HERBST. *Col.* VII. p. 162. n° 3. T. 106. f. 4. a.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 4. n° 3.
ZETTERST. *Faun. ins. Lapp.* I. p. 294. n° 1.
PAYK. *Ins. Suec.* III. p. 162. n° 3.
PANZ. *Faun. Germ.* XV. 15. — *Ent. Germ.* p. 293. n° 3.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 233. n° 4.
Dict. des sciences nat. II. p. 219. n° 3.
SCHNEID. *Mag.* I. p. 23. n° 3.
BECHST. et SCHARFENB. FORSTIUS. I. p. 177. n° 34.
Curc. id. FABR. *Mant.* I. p. 119. n° 238.
PAYK. *Mon. Curc.* p. 120. n° 113.
HERBST. *Arch.* p. 80. n° 66. T. 24. f. 26.
SCHALL. *in Acta Hall.* I. p. 287.
VILL. *Ent.* LINN. IV. p. 294.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1784. n° 361.
Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 7. n° 7. T. 1. f. 7. a. b. — *Enc. méth.* VIII p. 605. n° 3.

Patria : Europa borealis et temperata; Caucasus, Lapponia.

* 2. T. DORSALIS.

Oblongus, niger, rostro, thoracis lateribus, elytrorum macula communi rhombea, punctisque niveis, thoracis striga elevata arcuata. — GHL.

Anthribus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 5. n° 4.
AHRENS *Faun. ins. Eur.* VI. Tab. 12.
THUNB. *Mus. Nat. Ups.* App. IV. p. 146.
Anthribus albirostris, var. β. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 162. n° 3.
Curc. id. var. β. PAYK. *Mon. Curc.* p. 121. n° 113.

Patria : Suecia, Lapponia, Curonia.

3. T. FASCIROSTRIS (1).

Griseus, nigro-varius, elytris macula communi nigra, postice albicantibus. — CLAIRV.

Platyrhinus id. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 116. n° 2. T. 14. f. 3. 4.

Patria : Helvetia.

* 4. T. FERALIS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis umbrinis tectus, rostro, linea utrinque laterali thoracis, elytrorum basi, fascia undulata pone medium maculaque apicali albido-squamosis, thorace pone medium ampliato, sub-angulato, pygidio uni-tuberculato.

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthribo albino magnitudine æqualis, sed minus convexus. Caput magnum, deflexum, parum convexum, nigrum, squamulis albidis tectum, macula magna frontali ramulum angustum versus rostrum emittente, umbrino-squamosa, ornatum; oculi laterales, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, latum, planum, versus apicem dilatatum, nigrum, supra squamulis albidis vestitum. Antennæ longitudine thoracis, tenues, piceæ, clava elongata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos longior, antice multo angustior, truncatus, lateribus obliquis, sub-rectis, pone medium utrinque in angulum productis, dein iterum cito angustatis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, punctulatus, squamulis umbrinis tectus, in utroque latere vitta sat lata e squamulis albidis; longe ante basin striga transversa, elevata, ad latera antrorsum arcuata. Scutellum minutum, rotundatum, albido-squamosum. Elytra antice thorace paulo latiora et illo vix duplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigra, parum profunde punctato-striata, squamulis umbrinis tecta, basi, fascia pone medium transversa, undulata, suturam tamen non attingente, maculaque apicali albido-squamosis, notata. Pygidium semi-ovatum, albido-squamosum, tuberculo parvo, acuto, instructum. Corpus subtus nigrum, lateribus pectoris abdominisque apice pube nivea vestitis. Pedes validi, nigri, femoribus tibiisque obsolete niveo-annulatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

---

(1) Mihi invisus.

* 5. T. Caliginosus. *Dejean.*

Oblongus, niger, tomento umbrino adspersus, fronte, rostro, scutello, punctis sparsis elytrorum, pone medium in maculas confluentibus, dilute cervino-pubescentibus, elytris sub-remote punctato-striatis, singulo antice callo obtuso notato.

Habitat in insula Cuba. A Dom. Germar et Schuppel missus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *T. albirostris;* variat tamen, dimidio fere minor. Caput deflexum, latum, planum, nigrum, squamulis dilute cervinis tectum; oculi sat magni, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, latum, planum, apicem versus nonnihil ampliatum, supra in medio longitudinaliter carinatum, totum nigrum, squamulis dilute cervinis vestitum. Antennæ thorace nonnihil longiores, tenues, piceæ, clava magna, elongata, atra, articulo ultimo acuminato, testaceo. Thorax latitudine baseos longior, antice valde angustatus, truncatus, ultra medium sensim ampliatus, tum versus basin cito angustatus, postice subtruncatus, marginatus, supra modice convexus, niger, punctulatus, squamulis umbrinis tectus, paulo ante basin striga transversa elevata, recta, ad latera antrorsum arcuata. Scutellum minutum, rotundatum, dilute cervino-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et illo fere triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apice singulatim sub-rotundata, supra convexa, nigra, sub-remote punctato-striata, squamulis umbrinis adspersa, in dorso antico punctis nonnullis dilute cervinis adspersa, ante medium macula sat magna laterali, et pone medium in dorso punctis numerosis in maculas confluentibus, dilute cervino-squamosis; præterea inter striam 2 et 3 a sutura in dorso antico tuberculo oblongo, modice elevato instructa. Pygidium ovatum, nigrum, vitta lata cervina divisum. Corpus subtus nigrum; pectus pube albida variegatum, venter totus pube tenui grisea obsitus, obsolete albido-maculatus. Pedes validi, nigri, femoribus tibiisque albido-annulatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

* 6. T. Acerbus. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, rostro, vittaque utrinque laterali thoracis griseo-squamosis, elytris profunde, remote punctato-striatis, squamulis albidis et fuscis variegatis, pygidio uni-tuberculato, pedibus fusco-ferrugineis.

Habitat in insula Cuba. A Dom. Germar communicatus. Mus. Schh.

T. niveirostri vix longior, sed paulo latior. Caput deflexum, latum, planum, nigrum, subtilissime punctulatum; oculi ovati, modice prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, latum, apicem versus nonnihil ampliatum, supra planum, nigrum, longitudinaliter obsolete carinatum, pube grisea tectum. Antennæ thorace nonnihil longiores, tenues, fusco-ferrugineæ, clava magna, oblonga, atro-holosericea, articulo ultimo obtuso, rotundato. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice multo angustior, truncatus, lateribus ultra medium obliquis, sub-rectis, tum versus basin subito angustatis, basi sub-truncatus, marginatus, supra modice convexus, niger, obsolete punctulatus, versus latera pube grisea adspersus; paulo ante basin striga transversa, elevata, sub-recta, ad latera antrorsum arcuata instructus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, et illo fere triplo longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigro-picea, sat profunde, remote punctato-striata, pube albida et fusca maculatim parce adspersa. Pygidium ovatum, nigrum, pube grisea tectum, tuberculo parvo, acuto, instructum. Corpus subtus nigrum, vix pubescens, obsolete punctulatum. Pedes validi, femoribus piceis; tibiis tarsisque fusco-ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

7. T. Asper. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, capite rostroque confertim rugulosis, thorace antice nonnihil rotundato-producto, supra inæquali, longe ante basin carinula transversa, medio sub-interrupta notato, elytris subtiliter striato-punctatis, tuberculatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Chevrolat.

Minimis individuis *Anthribi albini* magnitudine æqualis. Caput deflexum, magnum, latum, nigrum, cum rostro oblongo-quadratum, planum, confertim rugulosum; oculi mediocres, laterales, oblongi, modice prominuli, nigri. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, clava elongata, sub-compressa, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos multo longior, apice modice rotundato-productus, anterius paulo angustior, lateribus nonnihil rotundatus, basi truncatus, tenue marginatus, supra convexus, inæqualis, dorso antico sub-gibbosus, longe ante basin carinula obsoleta, arcuata, transversa, medio sub-interrupta, notatus; totus niger, subtiliter rugulosus, tomento fusco tenue adspersus. Scutellum minutum, punctiforme, griseo-pubescens. Elytra

antice thorace manifeste latiora, et illo duplo longiora, humeris prominulis obtuse rotundatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus linearia, apice declinia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, subtiliter striatim punctata, tuberculis elevatis, acutis, obsita, tribus suturalibus majoribus; tota nigro-opaca, tomento tenui fusco-umbrino adspersa. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, remote obsolete punctulatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pube cervina parce adspersum; pectore rude, remote, ventre obsolete punctatis. Pedes mediocres, nigri, pube tenui, fusca, obsiti; tarsis subtus fulvo spongiosis, articulo ultimo rufo-testaceo. BHN.

8. T. SPARSUS. *Schh.* ♂♀

Oblongo-ovatus, sub-depressus, testaceus, supra pube umbrina et pallida variegatus, rostro longiusculo basi angustato, extrorsum rotundato-ampliato, thorace sub-conico, striga transversa, elevata, ante basin notato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis.

Habitat in insula Java. Dom. GRÖNDAL. Mus. SCHH.

Parvus. Latitudine *Brachytarsi varii*, sed nonnihil longior. Caput deflexum, latum, planum, testaceum, pube depressa, pallida, tectum; oculi mediocres, laterales, oblongi, brunnei; rostrum longitudine thoracis, a basi ultra medium capite dimidio angustius, tum valde rotundato-ampliatum, supra planum, testaceum, pube pallida tectum, apice glabrum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenues, testaceæ, articulis apice infuscatis, clava elongata, sub-compressa, nigro-fusca; maris longitudine corporis, feminæ dimidio breviores. Thorax latitudine baseos vix brevior, basi apiceque truncatus, a basi apicem versus sensim perparum angustatus, supra parum convexus, pube depressa dilute umbrina tectus, versus latera et subtus pube cinereo-albida variegatus, in medio linea angusta, obsoleta, ejusdem coloris, notatus; paulo ante basin striga transversa, elevata, sub-recta, ad latera antrorsum parum arcuata. Scutellum punctiforme, pallido-pubescens. Elytra antice thoracis basi parum latiora et illo vix duplo longiora, humeris prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, supra fere plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; testacea, pube dilute umbrina et pallida maculatim variegata. Pygidium semi-rotundatum, testaceum, pude pallida adspersum. Corpus subtus rufo-piceum, pube cinereo-albida dense obsitum. Pedes mediocres, pallide testacei, pube cinereo-albida adspersi; tibiis apice infuscatis; tarsis elongatis, fusco-et cinereo-variegatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 9. T. EPHIPPIUM.

Oblongus, rufo-piceus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro basi parum angustato, griseo-pubescente, thorace punctulato, dorso bifasciculato, postice striga transversa elevata, sub-recta instructo, elytris ferrugineo-variis, macula dorsali communi, nigro-fusco notatis.

Anthribus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 78.
Anthr. bilineatus? GERM. *in n. Annal. d. Wetter. Ges.* I. I. p. 119. nº 5.

Habitat in Kreminiec. Dom. BESSER. Parisiis; Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Statura *T. niveirostris*, sed dimidio fere minor. Caput latum, deflexum, planum, pube dilute grisea dense tectum; vertice maculis obsoletis fuscis notato; oculi laterales, semi-globosi, integri, obscure brunnei; rostrum vix latitudine capitis, sed illo fere longius, apicem versus nonnihil ampliatum, supra planum, colore et indumento capitis; mandibulæ validæ, piceæ, nitidæ. Antennæ thoracis basin attingunt, ferrugineæ, medio tenues, clavæ articulis magnis, sub-remotis. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, pone medium elevato-marginatus, basi etiam sub-truncatus, margine elevato, reflexo, angulis acutis; longe intra basin striga transversa, recta, notatus, supra in disco convexus, in medio dorsi utrinque fasciculo parvo e pilis fuscis obsitus, piceus, ferrugineo-variegatus, pube depressa grisea hinc inde maculatim condensata, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, griseo-pubescens. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris vix prominulis, lateribus parum ampliata apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis fere planis; fusco-picea, ferrugineo-variegata, pube depressa cinereo-albida inæqualiter adspersa, immixtis postice punctis obscure umbrinis; in dorso postico plaga magna communis, oblongo-ovata, transversim locata, nigro-fusca, ornata. Pygidium deflexum, rotundatum, griseo-pubescens. Corpus subtus obscure ferrugineum, subtiliter punctulatum, parce cinereo-pubescens. Pedes mediocres, dilutius ferruginei, pubescentes; femoribus basi obscurioribus; tibiæ omnes annulo umbrino cinctæ; tarsi subtus griseo-spongiosi. BHN.

* 10. T. UNDULATUS.

Oblongo-ovatus, ater, confertissime profundius punctatus, rostro basi angustato, thorace postice striga transversa, elevata, sub-recta, elytris strigis undulatis punctisque albido pubescentibus. — GHL.

Anthribus id. PANZ. *Ent. Germ.* p. 294. n° 9.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. pi 526. n° 6-7.

Patria : Germania, Vestrogothia.

11. T. PUDENS.

Oblongo-ovatus, niger, tomento tenui, cinereo supra variegatus, rostro longiore, lineari, lato, plano, thorace transverso, striga elevata mox supra basin locata, pygidio rotundato.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub nomine *Anthribus marchicus* Herbstii, ad conferendum communicatus.

Parvus *T. cincto* parum major et similis, sed distinctus, rostro longiore, thorace breviore ejusque striga elevata basin propius locata, pygidio apice rotundato, etc. Caput breve, latum, fere planum, confertim granulatum seu alutaceum, nigrum; oculi laterales, rotundati, brunnei, modice convexi. Rostrum vix capite angustius, sed paulo longius, lineare, supra planum, confertim alutaceum, nigrum, cinereo-tomentosum; antennæ vix thoracis basin attingunt, tenues, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine dimidio brevior, anterius parum angustior, apice truncatus, lateribus fere rectis, basi leviter sinuatus et mox supra basin striga transversa, alte elevata, similiter sinuata instructus; supra perparum convexus, confertissime subtiliter alutaceus, niger, tomento tenui cinereo inæqualiter adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albido-tomentosum. Elytra antice sub-truncata, margine non elevato, humeris fere rectangulis, callosis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, nigra, lineis interruptis, maculis punctisque sparsis cinereo-tomentosis variegata. Pygidium breve, rotundatum, nigrum. Corpus subtus subtilissime alutaceum, nigrum, tomento tenui cinereo vestitum. Pedes breviusculi, sub-tenues, femoribus nigris, tibiis tarsisque dilutius piceis, densius cinereo-albido-tomentosis. GHL.

* 12. T. SUBSIGNATUS.

Oblongus, tomento albido, argenteo micanti, dense tectus, antennis nigris, thorace confertim punctulato, antice constricto, postice striga transversa elevata obsita, elytris subtiliter punctato-striatis, pone medium fusco-fasciatis.

Habitat. . . . . Specimen unicum copalo inclusum. Mus. SCHH.

Longitudo *T. undulati*, sed nonnihil angustior. Corpus latum, deflexum, nigrum, confertissime punctulatum, tomento albido, argenteo micanti, densissime tectum; oculi laterales, modice prominuli, glauci; rostrum capite fere longius, eodemque parum angustius, latum, planum, colore et indumento capitis. Antennæ capite cum rostro parum longiores, filiformes, nigræ, clava majuscula ovata, tri-articulata. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox pone apicem compressus, angulis et lateribus deflexis, basi etiam sub-truncatus, angulis obtusis, supra parum convexus, niger, confertissime punctatus, totus albido-tomentosus; longe intra basin striga transversa recta, versus margines tantum antrorsum nonnihil arcuata. Scutellum parum rotundatum, elevatum, dense similiter tomentosum. Elytra antice thorace parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, regulariter sed parum profunde punctato-striata, nigra, tomento albido argenteo micanti dense tecta, pone medium strigis et maculis pluribus transversis, irregularibus, e squamulis fuscis, ornatus. Corpus subtus dense albido-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, albido-tomentosi. BHN.

STIRPS 2. — Rostrum breve, apice haud ampliatum.

* 13. T. BALTEATUS.

Oblongo-ovatus, niger, opacus, fusco-tomentosus, undique albido irroratus, fronte, rostro, pygidio elytrorumque fascia lata flexuosa dense albo-squamulosis, tibiis omnibus arcuatis.

Anthribus fasciatus KLUG, teste Dom. SCHUPPEL, *in Litteris.*

Patria: Insula Cuba. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et facies *T. albirostris*, sed distinctus, fascia alba elytrorum libera, apicem non attingente, tibiis omni-

bus arcuatis, etc. Caput latum, supra planum, punctatum, nigrum, fronte tota dense albo-squamulosa; oculi magni, semi-globosi, nigri; rostrum capite brevius, sed non angustius, planum, ruguloso-punctatum, nigrum, in medio longitudinaliter albo-squamulosum, lateribus nudum. Antennæ longitudine thoracis, funiculo tenui, piceo, clava lata, atra. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus ab apice ultra medium obliquis, rectis, dein angulatim versus basin inflexis; basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, ruguloso-punctatus, niger, opacus, tomento fusco vestitus et punctis albido-squamulosis undique irroratus; longe intra et supra basin striga transversa, alte elevata, sub-recta, ad margines antrorsum arcuata instructus. Scutellum minutum rotundatum albo-squamulosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus posterius nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra minus convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, tomento fusco, ad apicem sub-ochraceo vestita, punctisque sparsis albo-squamulosis irrorata; paulo pone medium fascia lata, transversa, utrinque sinuato-erosa, dense albo-squamulosa. Pygidium cordatum, dense albo-squamulosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis albidis irroratum. Pedes longiusculi, nigri, punctis albido-squamulosis variegati; tibiis omnibus arcuatis compressis.

Nomen *Anthribus* (*Macrocephalus*) *fasciatus*, antea a Dom. Olivier usitatum, quare mutandum? Ghl.

* 14. T. Niveirostris.

Oblongus, nigro-fuscus, antennis ferrugineis, rostro brevissimo, elytrorum apice anoque niveo-pilosis.—Ghl.

Anthribus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 409. n° 18.—*Suppl.* p. 160. n° 3-4.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 6. n° 5.
Macrocephalus id. Oliv. *Ent.* IV. 80. p. 8. n° 8. T. 1. f. 8. a. b.
Anthribus brevirostris. Panz. *Faun. Germ.* LVII. n° 9.
Curc. id. Marsh. *Ent. Br.* p. 296. n° 168.

Patria: Europa temperata, Suecia.

15. T. Sepicola.

Oblongus, nigro-fuscus, cinereo-varius, thorace striga postica, elevata, sub-recta, tuberculisque duobus nigris, elytris macula media nigra, sub-holosericea. Ghl.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 31.—*Ent.* T. I. II. p. 378. n° 9.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 526. n° 5-6.
HERBST. *Col.* VII. p. 166. n° 7. T. 106. f. 7. d.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 294. n° 8.
Macrocephalus id. OLIV. *Enc. méth.* VII. p. 607. n° 9.

Patria: Germania, OElandia.

* 16. T. CINCTUS.

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-pubescens, capite elongato, thorace striga postica, elevata, transversa arcuata. GHL.

Anthribus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 164. n° 6.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 7. n° 6.
Curc. id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 123. n° 116.
Amblycerus scriptus. THUNB. *in. n. Acta Ups.* VII. p. 122.
Anthribus marchicus. HERBST. *Col.* VII. p. 167. n° 9. T. 106. f. 8. e.?

Patria: Suecia australis.

GENUS 15. PHLOEOPHILUS. *Nob.*

Character generis. — Antennæ mediocres, in fovea oblonga, subtus flexa, medio laterum rostri insertæ; funiculo minus tenui, articulis sub-æqualibus; clava elongata, sub-cylindrica, articulis arcte connexis.

Rostrum sub-elongatum, basi angustatum, apice ampliatum, supra sulcatum.

Oculi oblongi, convexi.

Thorax lateribus pone medium rotundatus, antrorsum angustior, basi et longe ante basin striga elevata, duplici, transversa, utrinque antrorsum flexa, instructus.

Elytra oblonga, sub-cylindrica, supra valde convexa.

Descriptio. — *Corpus* mediocris magnitudinis, oblongo sub-ovatum, alatum.—*Antennæ* thoracis basin vix attingentes, minus tenues, in medio laterum rostri insertæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis 1-5 sub-clavatis, 6-8 sub-obconicis; clava elongata, sub-cylindrica, vix compressa, apice acuminata, articulis arcte conjunctis.—*Rostrum* capite paulo longius, basi angustatum, apice abrupte ampliatum, profunde triangulariter emarginatum, deflexum, supra basi sulcatum; fovea antennalis oblonga, subtus flexa, sub-scrobiformis. Mandibulæ exsertæ, arcuatæ, intus unidentatæ. — *Oculi* laterales, oblongi, convexi. — *Thorax* latitudine postica vix

longior, basi sub-bisinuatus, lateribus pone medium rotundatus, anterius manifeste angustior, apice truncatus, supra convexus, mox ante et iterum longe ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum flexa instructus. — *Scutellum* minutum, sub-rotundatum. — *Elytra* thoracis medio vix latiora, sed illo fere triplo longiora, sub-linearia, antice elevato-marginata, apice conjunctim rotundata, supra valde convexa; humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* deflexum, semi-orbiculatum.— *Pedes* validiusculi, longitudine sub-æquales; femoribus in medio modice incrassatis; tibiis teretibus, versus apicem sensim paulo crassioribus; tarsi mediocres.

TYPUS: *Phlœophilus agrestis.* Nob.

A φλοιὸς cortex, φιλῶ diligo.

Observ. — A genere *Tropideres*, cui habitu simile est hoc genus, præcipue antennarum funiculo paulo crassiore, illarum clava sub-cylindrica, parum compressa, oculis magis oblongis, ut et rostri thoracisque structura diversa, distinguitur.

* 1. P. AGRESTIS. *Schh.*

Oblongus, nigro-fuscus, convexus, rostro basi constricto, sulcato, fronte apiceque elytrorum fulvescenti-tomentosis, antennis ante clavam annulo albo-tomentoso cinctis, thorace inæquali, elytris punctato-striatis, atro-fasciculatis.

Habitat in Bengalia. Dom. WESTERMAN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Anthribi albini.* Caput magnum, deflexum, latum, pube densa depressa, fulvescenti tectum; oculi sat magni, oblongi, prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius, eodemque ad basin angustius, apicem versus ampliatum, supra in medio longitudinaliter elevatum, et in elevatione late sulcatum; t tum nigrum, profunde rugoso-punctatum. Antennæ piceæ, fusco-pubescentes, articulo 8 toto, 7 apice niveo-pubescentibus, clava elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax basi apiceque truncatus, antice dimidio angustior, coarctatus, lateribus pone medium rotundatus, posterius et basi tenue marginatus, longe intra basin striga transversa alte elevata, notatus; supra convexus, inæqualis, minus confertim rugoso-punctatus; totus niger, pube fulvescenti, hinc inde in macula condensata, adspersus. Scutellum minutum, punctiforme, nigrum. Elytra, thorace paulo latiora, sed illo triplo fere longiora, basi sub-truncata, elevato-marginata, humeris rotundatis, sub-elevatis, lateribus inflexa, apice obtuse rotundata, supra valde convexa, sat profunde remote, punctato-

striata, interstitiis sub-convexis; nigra, pube fusco-brunnea parce adspersa, apicem versus densiore fasciculisque numerosis atro-holosericeis in interstitiis sub-tessellata. Pygidium nigrum, punctatum, fusco-brunneo-pubescens. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, parce fulvescenti-pubescens. Pedes mediocres, nigro-picei, annulis niveo et brunneo-tomentosis, ornati; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

GENUS 16. PHÆNITHON. *Nob.* (1).

Character generis. — Antennæ breves, in fovea oblonga medio laterum rostri insertæ; funiculo minus tenui, articulis sub-obconicis, exterioribus gradatim brevioribus; clava lata, oblongo-ovata, compressa, articulis arcte connexis.

Rostrum breve, latiusculum, deflexum, supra planum.

Oculi laterales, sub-rotundati, leviter emarginati, magni.

Thorax subconicus, ante basin striga elevata, transversa, utrinque antrorsum adscendente notatus.

Scutellum distinctum, triangulare, majusculum.

Elytra oblonga, sublinearia, supra minus convexa.

STIRPS I. — Corpus sub-elongatum. Pygidium magnum, oblongum, sub-porrectum.

1. P. COSTATUS. ♂♀

Oblongus, niger, undique albido-guttatus, vitta dorsali ab ore ad elytrorum apicem fere ducta albida, in medio elytrorum interrupta, elytris uni-costatis.

Mas (?) *Anthribus curvipes.* * GERM. *Ins. spec.* I. p. 176. n° 222.
Femina (?) *Anthribus costatus.* * DEJ. *Catal. Col.* p. 78.

Habitat Cayennæ. Dom. Com. DEJEAN; in Brasilia. Dom. Com. MANNERHEIM. Mus. SCHH.

Magnitudo *Platyrhini latirostris.* Caput magnum, latum, cum rostro longitudine fere thoracis, oblongo-quadratum, nigrum, rugoso-punctatum, vitta media lineaque laterali sub oculis, sordide albidis; fronte verticeque leviter carinatis; oculi magni, ovati, prominuli, nigri. Antennæ capite cum rostro breviores, sub-tenues, nigræ, articulis tribus ultimis, magnis, compressis, in clavam subsolidam, elongatam coalitis. Thorax apice truncatus, anterius

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 37. Subgen. G.

angustior, versus basin sensim ampliatus, basi sub-truncatus, marginatus, paulo supra basin striga transversa, elevata, sub-sinuata, ad latera antrorsum arcuata, notatus; niger, supra modice convexus, longitudinaliter late sulcatus, vitta dorsali irregulari punctisque pluribus sordide albis, ornatus. Scutellum breve transversum, nigrum, albido-pubescens. Elytra basi apiceque singulatim rotundata, antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, pone humeros nonnihil ampliata, dein iterum perparum angustata, lateribus inflexa, thorace vix dimidio longiora, nigra, subtiliter punctato-striata, medio dorso omnino plaña, singula costa unica denudata; intra has costas, vitta sordide albida, nigro irrorata, in medio late interrupta et præterea punctis albis numerosis, adspersa. Pygidium nigrum, apice obtusatum, remote punctatum, confertim albo-maculatum. Corpus subtus nigrum, paulo nitidum, subtilissime punctulatum, guttulis crebris sordide albidis, adspersum. Pedes graciles, nigri, albo irrorati; tibiis anticis in uno sexu longitudine femorum sub-rectis, in altero elongatis, curvatis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi, articulo basali niveo. Bhn.

Mas differt a femina statura multo latiori, et tibiis anticis valde elongatis, curvatis.

* 2. P. Plagiatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra pube cervina maculatim dense irroratus, subtus confertim albo-guttatus, elytris subtilissime striato-punctatis, macula magna media, suturali, communi, rotunda, atro-holosericea.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Statura fere *Brachytarsi scabrosi*, sed quadruplo fere major. Caput magnum, deflexum, cum rostro longitudine thoracis, oblongo-quadratum, nigrum, rugoso-punctatum, rostro fronteque pube depressa, cervina tectis; oculi magni, ovati, prominuli, nigri. Antennæ thorace fere breviores, tenues, nigro piceæ, articulis tribus ultimis magnis, compressis, clavam sub-solidam, oblongam, formantibus. Thorax latitudine baseos brevior, antice posticeque truncatus, anterius nonnihil angustior, lateribus pone medium et basi marginatus, paulo ante basin striga transversa, elevata, sub-recta, notatus, supra convexus, niger, guttulis cervino-pubescentibus, confertissime irroratus. Scutellum sub-triangulare, dense griseo-albido pubescens. Elytra basi sub-truncata, elevato-marginata, antice thoracis basi vix latiora, humeris angulatis, sub-elevatis, lateribus inflexa, thorace dimidio longiora, apice ipso sin-

gulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, subtiliter striatim punctata, interstitiis subtilissime coriaceis; umbrino pubescentia, guttulis numerosis, crebris, cervinis tessellata, macula magna media, dorsali, communis, rotundata, atro-holosericea ornata. Corpus subtus nigrum, guttulis numerosis albidis et fulvescentibus, confertim adspersum. Pygidium corpori concolor, oblongo-triangulare, rugoso-punctatum, apice obtusatum. Pedes mediocres, picei, griseo-pubescentes; tarsis elongatis, articulo basali supra albido, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

* 3. P. Figuratus. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, capite vittis duabus, thorace tribus, media interrupta, elytris anterius plaga communi, valde sinuata, macula laterali apiceque pallido-tomentosis, tibiis testaceis.

Patria: Brasilia. A Dom. Westermann et Freyreiss communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo variat; majores longitudine *Platyrhini latirostris*, alii duplo minores; quoad faciem et signaturas cum *Gymnognatho ancora* multa communia habet hæc species. Caput majusculum, subconvexum, fere læve, nigrum, fronte leviter carinata, juxta oculos utrinque vitta lata, dense pallido-tomentosa, nitida, ad os usque etiam rostrum percurrente ornatum; oculi magni, convexi, nigri, antice anguste emarginati; rostrum latitudine capitis, sed dimidio brevius, planum, punctatum, nigrum, pallido bi-vittatum. Antennæ breves, nigræ, basi piceæ. Thorax subconicus, antice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, rectis; basi leviter sinuatus, et mox supra basin striga transversa, elevata, ad latera nonnihil adscendente instructus; supra modice convexus, vix alutaceus, niger, opacus, utrinque vitta intra-marginali, lata, recta, obliqua, pallido-tomentosa ornatus; in medio baseos præterea in masculo macula longa, conica, et versus apicem alia parva ejusdem coloris; in femina vero vitta media angusta, interrupta, antice abbreviata. Scutellum triangulare, dense pallido-tomentosum. Elytra antice sub-sinuata, margine in medio reflexo, thoracis basi non latiora, callo humerali elevato; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, obsolete, subtiliter punctato-striata, nigra, opaca; plaga magna, valde sinuata, pallido-tomentosa, basin totam et suturam ultra medium occupat, sutura ipsa tamen, præter basi, anguste nigra; in medio laterali utrinque præterea macula obliqua, angulata, libera, ejusdem coloris, et in apice plaga sub-lunata

ochraceo tincta. Pygidium subconicum, vel semi-ellipticum, nigrum, plerumque vittis tribus pallido-tomentosis ornatum. Corpus subtus nigrum, dense pallido-tomentosum, ventris medio et apice sub-nudis. Pedes mediocres, femoribus piceis, dense pallido-tomentosis, tibiis testaceis, tarsis piceis, sub-nudis. Ghl.

Stirps 2.—Corpus breviter ovatum. Pygidium mediocre, semi-rotundatum, sub-deflexum.

* 4. P. Cryptocephaloides. *Schh.*

Ovatus, niger, dense pallido-tomentosus, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace plaga magna ancoræformi, atro-holosericea notato, elytris subtilissime punctato-striatis, singulo maculis duabus basalibus fasciaque postica sinuata, atro-holosericeis, ornato.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Clythræ bicolori Oliv. magnitudine et statura non dissimilis. Caput deflexum, latum, rotundatum, cum rostro sub-quadratum, nigrum, silaceo-pubescens; vertice transversim ad basin, lineaque angusta, longitudinali, frontali, atro-holosericeis. Oculi sat magni, ovati, leviter emarginati, nigri. Antennæ vix longitudine capitis cum rostro, tenues, rufo-piceæ, clava compressa, sub-solida, obtusa, triarticulata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, basi bi-sinuatus, marginatus, paulo ante basin striga transversa, elevata, sinuata, nempe in medio angulum obtusum posterius emittente instructus; supra disco convexus, niger, pube silacea tectus, in dorso macula magna, ancoræformi, atro-holosericea, ad basin signum malleiforme, silaceo-pubescens, includente, ornatus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, elevato-marginata, antice thoracis basi vix latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace vix dimidio longiora, apice ipso singulatim rotundata, supra convexa, nigra, subtilissime punctato-striata, pube silacea tecta; in ipso humero macula sat magna, atro-holosericea, cum margine laterali convexa; interius versus scutellum altera, paulo minor, fere oblongo-quadrata, cum macula humerali ramulo angusto antice adfixa; postice fascia lata, transversa, medio fere abrupta, quasi e maculis duabus, sub-quadratis, constructa, etiam atro-holosericeis, ornata. Pygidium exsertum, longitudine capitis, apice angustatum, sub-emarginatum, silaceo-pubescens. Corpus subtus nigrum, undique dense silaceo-pubescens. Pedes mediocres, rufo-picei, pube silacea tecti; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

* 5. P. SEMIGRISEUS.

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense albo-tomentosus, capitis et rostri maxima parte, thoracis vittis sub-tribus elytrorumque plaga baseos dense cinereo-albido tomentosis, puncto uno alterove denudato, nigro notatis.—GHL.

Anthribus id. GERM. *Ins. sp.* I. p. 177. n° 294.

Patria : Brasilia.

* 6. P. MOEROSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, supra dense umbrino subtus albo-sericeo-tomentosus, antennis pedibusque piceis, vitta capitis lineisque tribus thoracis albidis, elytris subtiliter punctato-striatis, singulo maculis quatuor griseo-albidis, ornato.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Habitus et statura *P. figurati*, sed dimidio minor. Caput deflexum, latum, rotundatum, cum rostro fere quadratum, nigrum, umbrino-tomentosum, vitta media longitudinali, lata, albida notatum; oculi magni, ovati, leviter emarginati, prominuli, nigri. Antennæ vix longitudine thoracis, tenues, piceæ, articulis tribus ultimis dilatatis, compressis, in clavam sub-solidam coalitis. Thorax basi apiceque truncatus, latitudine baseos brevior, anterius angustior, ab apice basin versus sensim ampliatus, postice marginatus, paulo ante basin striga transversa, elevata, recta, ad latera antrorsum arcuata notatus; supra convexus, niger, dense umbrino-tomentosus, linea dorsali recta, utrinque vitta sat lata obliqua, margine basali, angustissimo, albidis. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra basi sub-truncata, elevato-marginata, antice thoracis basi fere angustiora, humeris angulatis, lateribus inflexa, thorace dimidio longiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, tomento denso umbrino tecta; in singulo elytro macula humerali, sat magna, fere ovata, cum alia suturali, mox pone scutellum locata, elongata, ramulo angusto antice convexa, in medio versus marginem lateralem, litura parva, transversa, et intra apicem fascia recta, communis, transversim posita, ramulo angusto cum macula suturali conjuncta; hæ omnes dilute cinereo-albidæ. Corpus subtus nigrum, dense albo-sericeo-pubescens. Pygidium corpore concolor, umbrino bi-maculatum. Pedes mediocres, picei, albido-pubescentes. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

GENUS 17. GYMNOGNATHUS. Nob. (1).

Character generis. — Antennæ mediocres, in fovea irregulari medio laterum rostri insertæ; funiculo sub-tenui, articulis sub-obconicis; clava oblongo-ovata, compressa, articulis parum discernendis.

Rostrum paulo elongatum, deflexum, supra in medio carinatum.

Oculi laterales, sub-rotundati, integri.

Thorax sub-conicus, longe ante basin striga elevata, ad latera antrorsum continuata notatus.

Scutellum distinctum, rotundatum.

Elytra elongata, sub-linearia, basi singulatim rotundata, supra minus convexa.

Pygidium oblongo-subquadratum, apice in uno sexu utrinque dentatum.

1. G. OPHIOPSIS.

Elongatus, niger, thorace longitudine fere elytrorum, lineis lateralibus dorsalique albis; elytris plaga dorsali fusca, alboque punctatis; antennis pedibusque gracilibus nigris.

Habitat ad Remedios Americæ australis. Dom. NISSER. Mus. Reg. ac. sc. Holmiensis.

Longitudo *Platyrhini latirostris*, sed multo angustior. Insectum facie singulari, ob thoracem una cum capite fere duplo longiore trunco. Antennæ nigræ, graciles. Caput cum rostro longitudine thoracis, nigrum, vertice brunneo, linea oculari alba; rostrum ante aculeos angustatum, versus os dilatatum, supra coriaceum vel sub-rugosum, carina dorsali manifesta, nigrum, parce albo-pubescens, summo apice emarginatum. Os nigrum, labro parvo lutescente, mandibulis validis, aliquantum porrectis, nigris, acutis; oculi ovati, nigri, parum prominuli. Thorax elongatus, conicus, basi apiceque truncatus, niger, lævis, certa luce brunneo-sericeus, lineis lateralibus sub-inferioribus, lineaque dorsali distinctiore albis. Versus thoracis basin linea transversalis elevata, ut in reliquis hujus generis, et pone illam rudimenta lateralia lineæ elevatæ obliquioris. Scutellum parvum, punctiforme, niveum. Elytra basi singulatim rotundata, apice sub-obtusa, parum convexa, dorso fere plana, nigra, tomento fusco-brunneo colorata, plaga dorsali

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 37. Subgen. II.

dilutiore, margine humerali punctisque discoidalibus (in singulo 3 vel 4) albis. Pygidium parvum, apice truncatum et obsolete bidentatum, colore elytrorum lineola dorsali alba. Corpus subtus nigrum, læve, subtilissime albo-sericeum, abdomine linea laterali alba, distincta. Pedes elongati, graciles, nigri, immaculati, femoribus in medio paulo crassioribus; tibiis linearibus; tarsis quam tibia longioribus, articulo basali reliquis simul sumptis manifeste longiore. DALMAN.

2. G. ANCORA.

Niger, griseo-vittatus, coleopteris macula ancoræformi grisea, puncto apicis coccineo. — GERM.

Anthribus ancora. GERM. *Ins. sp.* I. p. 177. nº 293.

VAR. β. Vittis griseis thoracis angustis, lateralibus interruptis; elytrorum maculis apicalibus transversis, externe tantum coccineo-tinctis, pedibus rufescentibus.

VAR. γ. Vittis griseis thoracis latis, integris, elytris pone vittam ancoræformem plaga grisea communi, cum litura apicali concolori convexa, notatis; pedibus rufescentibus.

VAR. δ. Rostro croceo-tomentoso; thoracis vittis angustis, integris; elytrorum plaga postice bifida, laciniis acutis; pone plagam macula triangularis, communis, libera et in ipso apice punctum oblongum, omnia cinereo-albido-tomentosa; ventris latera niveo-fasciata.

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH. Var. δ. Cayennæ. Mus. Dom. CHEVROLAT.

In var. β, vittæ griseo-tomentosæ thoracis angustæ, minus regulares, laterales in medio interruptæ; versus apicem cujusvis elytri litura oblique transversa, cum opposita in arcum convexa, griseo-tomentosa, externe tantum coccineo-tincta. Pygidium magnum, nigrum, apice bi-dentatum, vitta lata media griseo-tomentosa, antice linea abbreviata, nigra, divisa, notatum.—In var. γ, vitta media thoracis lata, integra; laterales antrorsum angustatæ. In elytris pone vittam communem ancoræformem, loco maculæ denudatæ, plaga communis angulata, griseo-tomentosa, cum lituris obliquis apicalibus utrinque conjuncta; his concoloribus, absque tinctura coccinei coloris. Pygidium nigrum, vittis duabus cuneiformibus griseo-tomentosis. Pedes in utraque varietate rufescentes. — In var. δ, præter notas in diagnosi indicatas, thorax subtus utrinque linea, pectus maculis tantum lateralibus

niveo-tomentosis notata, cum in prioribus tota dense vestita; pedes nigri, femoribus solis testaceis. Ghl.

* 3. G. Signatus. *Schh.*

Elongatus, niger, pube cinereo-albida variegatus, fronte tri-carinata, thorace quinque vittato, elytris albido-pubescentibus, macula humerali fasciisque tribus abbreviatis nigris, denudatis, pygidio bi-spinoso.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Anthribo ancora Germ. valde affinis, sed duplo minor; frons tri-carinata, elytrorum signaturæ aliæ et pygidium spinis duabus acutis armatum, unde distinctus videtur. Caput breve, latum, fere planum, punctatum, nigrum, pube albida tectum, fronte carinulis tribus nudis, ad basin rostri conniventibus, parum elevatis, notata; oculi magni, rotundati, nigro-brunnei; rostrum latitudine fere capitis et illo paulo longius, apice emarginatum, supra impressum, punctulatum, nigrum, dense albido-pubescens, carinula media, parum elevata, insignitum. Antennæ nigræ, clava brevi picea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius paulo angustior, apice truncatus, lateribus rectis, nonnihil obliquis, marginatis; basi profunde bi-sinuatus et intra basin striga elevata, fere recta, transversa, angulatim cum margine elevata laterali, convexa, instructus; supra modice convexus, punctulatus, niger, vittis quinque cinereo-albido pubescentibus ornatus, duabus utrinque lateralibus obliquis, media recta, postice latiore. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albido-pubescens. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi non latiora, humeris rotundatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sub-remote striatim punctata, nigra, pube depressa cinereo-albida tecta, relicta macula humerali ovata, fascia difformi, utrinque abbreviata ante medium, duabusque flexuosis, margini convexis, suturam non attingentibus, ante apicem, nigris, nudis. Pygidium quadrangulum, planum, punctulatum, nigrum, dense albido-pubescens, apice spinis duabus remotis, validis, acutis armatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube albida, lineatim magis condensata, vestitum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, albido-pubescentes, tarsis nigris, subtus atro-spongiosis. Ghl.

GENUS 18. PLATYRHINUS.

Platyrhinus CLAIRV., BILLB., LATR., SCHH. (1). — *Macrocephalus* OLIV. — *Anthribus* FABR., GYLLENH., GERM., LATR., ILLIG., GEOFFR. (2). — *Curculio* LINN., DE GEER, SCOPOLI.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ, medio rostri subtus in fovea profunda insertæ; articulis primis funiculi oblongis, obconicis, reliquis sub-rotundatis; clava distincte crassiore, vix compressa, articulis parum remotis.

Rostrum deflexum, oblongo-quadratum, apice sub-truncatum.

Oculi laterales, sub-rotundati, prominuli.

Thorax lateribus pone medium ampliato-subrotundatus, supra longe ante basin lateribusque posticis, striga elevata instructus.

Elytra aut oblonga, linearia, supra dorso depressa, aut breviora, antice latiora, sub-triangularia.

* 1. P. LATIROSTRIS.

Oblongus, niger, sub-depressus, rostro rugoso, fronte, elytrorum apice abdomineque cinereo-pilosis, thorace angulato, postice striga transversa elevata.—GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 408. n° 16. — *Ent. Syst.* I. II. p. 376. n° 2. — ID. in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* I. I. p. 220. n° 2.

HERBST. *Col.* VII. p. 160. n° 2. T. 106. f. 3.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 238. n° 2.—*Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 34. T. 91. f. 3.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 1. n° 1.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 159. n° 1.

PANZ. *Faun. Germ.* XV. 12.—*Ent. Syst.* p. 292. n° 2.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 232. n° 1.

CEDERH. *Faun. Ingr.* p. 312.

Dict. des sciences nat. II. p. 219. n° 4.

SCHNEID. *Mag.* I. p. 22. n° 2.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 176. n° 33.

OKENS *Naturg.* III. p. 773.

Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 118. n° 237. — *Sp. ins.* I. p. 193. n° 181. *Syst. ent.* p. 151. n° 128.

---

(1) Clairv. Ent. Helv. I. p. 112. Tab. 14. — Latr. Règne Anim. p. 307. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 590. — Thon Ent. arch. I. III. p. 64. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 34. Subgen. C.

(2) Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 238. — Illig. Mag. III. p. 99. n° 163.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 117. n° 111.

BONSD. *Curc. Suec.* p. 17. n° 2. T. 1. f. 2.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 132. n° 339. T. 5. f. 5.—ED. HELLW. p. 140. n° 339. T. 5. f. 5.

MARSH. *Ent. Br.* p. 295. n° 167.

VILL. *Ent.* I. p. 214. n° 173. T. 1. f. 24. et IV. p. 280. n 173.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1783. n° 360.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 7. n° 6. T. 1. f. 6.—*Enc. méth.* VII. p. 605. n° 2.

Platycerus costirostris. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 114. T. 14. f. 1. n° 2.

Curculio resinosus. SCOP. *Ent. Carn.* p. 24. n° 67.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1801. n° 502.

Sylpha oblonga. SULZ. *Gesch. der Ins.* p. 28. n° 17. T. 2. f. 17.

Sylpha flavifrons. FUESL. *Verz.* p. 6. n° 93.

Crioceris striata. MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 85. n° 940.

HARRER *Beschr.* I. p. 163. n° 264.

Cryptocephalus striatus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1725. n° 188.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 307. n° 3. T. 5. f. 2. *Anthribus.*

SCHÆFF. *Elem. Ent.* Tab. 18. *Anthribus. Id. Icon.* Tab. 89. f. 6.

FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 137. n° 4.

DONOV. *Brit. Ins.* T. 348. f. 1.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 2. P. SPICULOSUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, opacus, tomento cinereo sparsim variegatus, antennis obscure testaceis, thorace inæquali, maculis duabus ante scutellaribus pallido-tomentosis notato, elytris tuberculis numerosis acutis, atris, inæqualibus adspersis.

Anthribus aculeatus. FABR. *Syst. el.* II. p. 409. n° 20. ?

Patria : Brasilia. A. Dom. FREYREISS missus. Mus. SCHH.

Anthribo albino mediocri magnitudine sub-æqualis. Caput breve latum, sub-impressum, ruguloso-punctatum, nigrum, in vertice et juxta oculos tuberculis nonnullis instructum; oculi ovati, brunnei, in fronte sub-approximati; rostrum latitudine capitis et dimidio longius, supra inæquale, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, parce pallido-tomentosum. Antennæ breves, tenues, obscure testaceæ, parce pubescentes. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice nonnihil productus, lobo sub-emarginato, lateribus ultra medium obliquis, sub-rectis, dein angulum fere formantibus et introrsum flexis; basi sub-sinuatus, longe intra et supra basin striga transversa, alte elevata, ad latera antrorsum

continuata instructus, supra parum convexus, inæqualis, in medio impressus, undique confertim ruguloso-punctatus, niger, punctulis cinereo-tomentosis parce adspersus; in medio baseos, pone strigam elevatam macula major et mox ante illam alia minor, ambo pallido-tomentosæ. Scutellum rotundatum, dense pallido-tomentosum. Elytra antice sinuata, in ipsa basi depressa, thorace latiora, callo humerali alte elevato; lateribus posterius sensim angustata, sub-triangularia, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, subtiliter, remote et interrupte seriatim punctata, nigra, tuberculis numerosis atris, acuminatis, sub-seriatis adspersa, quarum duo anteriores in serie secunda a sutura reliquis majores. Pygidium semi-ellipticum, nigrum, pallido-tomentosum. Corpus subtus punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus tibiisque in medio fascia albidiore notatis.

Observatio. — Antennarum insertio et forma rostri ut in *P. latirostri*, habitus vero valde diversus, unde dubium oritur, an jure huic generi adnumerandus. GHL.

GENUS 19. STENOCERUS. *Nob.* (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenuissimæ, extrorsum pilosæ, in fovea oblonga medio laterum rostri insertæ; articulis primis duobus crassiusculis, 3-5 elongatis, clavatis, 6-8 successive multo brevioribus; clava elongata, abrupto-incrassata, sub-compressa, articulis valde remotis.

Rostrum deflexum, paulo elongatum, basi angustatum, apice ampliatum, complanatum, supra carinatum.

Oculi laterales, sub-oblongi, modice convexi.

Thorax transversus, anterius multo angustior, sub-depressus; mox ante basin lateribusque striga elevata, flexuosa notatus.

Elytra obovata, supra dorso depressa.

* 1. S. FULVITARSIS.

Oblongo-ovatus, niger, atro-maculatus, thorace transverso, antice angustato, lateribus bi-sinuato, elytrorum dorso antico maculatim tarsisque omnibus dense fulvescenti-tomentosis.—GHL.

Anthribus id. GERM. *Ins. sp.* I. p. 174. n° 288.

Patria : Brasilia.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 39. Subgen. K.

* 2. S. Frontalis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube flavescente variegatus, fronte brunnea, thorace inæquali, carinato, atro-lineato, lateribus posterius angulato, elytris obsolete cinereo atroque variis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Platyrhino latirostri vix longior, sed paulo latior; *Anthribo fulvitarsi* Germ. proximus, thorace lateribus non sinuato, aliter colorato, distinctus. Caput mediocre, in medio convexum, vix punctulatum, antice nigrum, postice rufo-brunneum; orbita oculorum lata, dense flavescenti-pubescens; oculi majusculi, ovati, convexi, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine capitis, planum, apice dilatatum, supra in medio carinatum, et utrinque elevatum, punctatum, nigrum, pube depressa flavescente in cavitatibus vestitum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, nigræ, extrorsum flavescenti-pilosæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice truncatus, margine elevato; lateribus integris, obliquis, marginatis, vix ampliatis, ante basin in angulum subacuminatum, elevatum excurrentibus; basi sub-bisinuatus, et intra basin striga transversa, elevata, flexuosa, cum angulo laterali connexa notatus; supra inæqualis, in medio carinatus, vittis depressis flavescenti-pubescentibus aliisque elevatioribus atro-holosericeis alternantibus ornatus. Scutellum ovatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra inæqualia, juxta suturam longitudinaliter depressa, ibique obsolete striata, antice leviter sulcata, interstitiis convexis, elevatis; nigra, opaca, vittis abbreviatis atro-holosericeis et cinereo-pubescentibus, obsoletis notata. Pygidium magnum, semi-ellipticum, obsolete punctatum, nigrum, fusco-pubescens. Thorax subtus niger, remote punctatus, plagis flavescenti-pubescentibus ornatus; pectus et abdomen nigra, vix punctata, fusco-pubescentia. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus medio crassioribus, subtus muticis, cinereo-pubescentibus, tarsis supra nudis, subtus brunneo spongiosis. Ghl.

* 3. S. Collaris. *Chevrolat.*

Elongatus, niger, variegatus, thorace subconico, lateribus late aurantiaco-tomentoso, elytrorum interstitiis confertim tuberculatis, pedibus niveo-fasciatis.

Habitat in insula Java. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Statura elongata, angusta *S. fulvitarsis* Germ., sed triplo minor et ultra. Caput sub-porrectum, elongatum, fere planum, confertim granulatum, nigrum, tomento obscure aurantiaco tectum; oculi laterales, oblongo-ovati, convexi, nigri, integri. Antennæ valde tenues, nigri, vix medium thoracis attingunt, articulis clavæ valde remotis. Thorax latitudine baseos multo longior, anterius dimidio angustior, subconicus, apice truncatus, lateribus obliquis, pone medium nonnihil ampliatis, basi leviter emarginatus, elevato-marginatus et longe intra basin striga elevata, arcuata notatus; supra parum convexus, in dorso fere planus, obsolete alutaceus, niger, utrinque vitta lata, obliqua, dense aurantio-tomentosa ornatus et in medio baseos macula parva albido-pubescente notatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, margine elevato, lateribus perparum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra minus convexa, obsoletius punctato-striata, nigra, interstitiis abrupte costatis, tuberculis atro-fasciculatis instructis, interjectis maculis albo-pubescentibus, unde quasi tessellata. Pygidium deflexum, cordatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, maculis niveo-pubescentibus ad latera ornatum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus basi fasciaque media lata, tibiisque fascia media dimidiata niveo-pubescentibus notatis. GYLL.

GENUS 20. BRACHYTARSUS. *Nob.* (1).

Paropes MEGERLE — *Curculio* DE GEER. — *Anthribus* auctor. ceter. (2).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ, medio rostri subtus in fovea transversa, intus flexa, insertæ; articulis duobus basalibus crassiusculis, sequentibus sub-turbinatis, æqualibus; clava ovata, compressa, articulis parum remotis.

Rostrum breve, latum, deflexum, lateribus sub-reflexum.

Oculi laterales, rotundati, valde prominuli, magni.

Thorax brevis, antrorsum cito angustior, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, angulis posticis acuminatis; supra convexus.

Elytra oblongo-subquadrata, convexa, apice obtuse rotundata.

Pedes validi; tarsi breviusculi.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 38. Subgen. F. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV, p. 590.

(2) Illig. Mag. III. p. 99. n° 16. *Anthribus* ..

* 1. B. SCABROSUS.

Ovatus, niger, elytris punctato-striatis, rufis, interstitiis alternis elevatioribus, fasciculis atro-holosericeis albidisque alternantibus tessellatis.— GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 27. — *Ent. Syst.* II. p. 377. n° 6.

LATR. *Gen. Crus. et Ins.* II. p. 239. n° 3. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 36.

HERBST. *Col.* VII. p. 164. n° 5. T. 106. f. 5. n° 6.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 8. n° 7.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 163. n° 4.

PANZ. *Faun. Germ.* XV. n° 15. — *Ent. Germ.* p. 293. n° 6.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 232. n° 2.

Dict. des sciences nat. II. p. 218. n° 1.

Bruchus id. FABR. *Mant.* I. p. 41. n° 7. — *Sp. ins.* I. p. 75. n° 5. *Syst. ent.* p. 64. n° 3.

HERBST. (Borowsky) *Naturg.* VI. p. 102. n° 2. T. 13. f. 2. — *Arch.* p. 28. n° 1. T. 20. f. 15.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 235. n° 1.

VILL. *Ent.* I. p. 172. n° 6 et IV. p. 265. n° 6.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1735. n° 11.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 14. n° 20. T. 2. f. 20. a. b. *Enc. méth.* VII. p. 606. n° 6.

Curculio id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 121. n° 114.

Anthribus fasciatus. FORST. *Cent. ins.* I. p. 9.

Anthribus marmoratus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 136. n° 1.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 106. n° 1. T. 5. f. 3. *Anthribus.*

VAR. β Elytris nigris, macula magna humerali, rufa, pedibus rufo nigroque variis. — GYLLENH. loc. cit. var. b.

Patria : Europa temperata et borealis.

* 2. B. VARIUS.

Ovatus, nigro-fuscus opacus, thorace cinereo lineato, elytris maculis cinereis sub-quadratis tessellatis.— GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 29.— *Ent. Syst.* I. II. p. 378. n° 8.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 10. n° 8. et IV. p. 528. n° 8.

PAYK. *Faun Suec.* III. p. 163. n° 5.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 294. n° 2.

PANZ. *Faun Germ.* XV. 16. — *Ent. Germ.* p. 293. n° 7.

HERBST. *Col.* VII. p. 165. n° 6. T. 106. f. 6. c.?

WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 232. n° 3.

DALM. (L. R. N.) *In Acta Holm.* 1824. p. 388. Metamorphosis detecta.

Bruchus id. FABR. *Mant.* I. p. 42. n° 14.

VILL. *Ent.* LINN. IV. p. 266.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1736. n° 18.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 16. n° 22. T. 2. f. 22. a. b. — *Enc. méth.* VII. p. 606. n° 8.

Anthribus variegatus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 136. n° 2.

Bruchus capsularius. SCRIBA *Journ.* p. 29. n° 25.

SCHRANK. *in Naturg.* XXIV. p. 70. n° 25.

Bruchus clathratus. HERBST. *Arch.* p. 158. n° 5.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1735. n° 12.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 307. n° 2. *Anthribus.*

Patria : Europa borealis et temperata.

* 3. B. TESSELLATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-fuscus, opacus, thorace longiore, elytris maculis cinereis sub-quadratis tessellatis, antennarum basi tibiisque testaceis.—BHN.

Anthribus id. BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 19. n° 19.

Anthribus nebulosus. DEJ. *Cat. Col.* p. 78.

Anthribus sepicola. DOM. ZIEGL. *in Litt.*

Patria : Styria.

* 4. B. STICTICUS.

Oblongus, ferrugineus, pube pallida adspersus, thorace apice rotundato producto, elytris subtiliter punctato-striatis, umbrino-maculatus.

Anthribus id. Dom. Com. DEJEAN *in Litt.*

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *B. varii,* sed duplo angustior. Caput deflexum, latum, planum, ferrugineum, pube umbrina tectum; oculi parum prominuli, sub-rotundati, nigri; rostrum vix longitudine capitis, supra planum, ferrugineum, pube pallida vestitum. Antennæ longitudine thoracis, tenues, testaceæ, clava magna, elongata, obscuriori, articulo ultimo acuminato. Thorax latitudine baseos longior, apice rotundatus, productus, a basi apicem versus sensim perparum angustatus, postice bi-sinuatus, elevato-marginatus,

supra valde convexus, obscure ferrugineus, pube pallida, hinc inde magis condensata, adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, piceum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, quam lata plus duplo longiora, humeris sub-prominulis, lateribus inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dilute ferruginea, subtiliter punctato-striata, pube dilute grisea tecta, in ipsa basi et mox pone medium non procul a sutura maculis sat magnis et præterea punctis plurimis umbrinis, adspersa. Pygidium rotundatum, obscure ferrugineum. Corpus subtus piceum, pube pallida tenue adspersum. Pedes rufo-testacei, pube cinerea obsiti; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

Genus 21. ARÆCERUS. *Nob.* (1).

Anthribus. Fabr., Germ., Herbst. — *Macrocephalus* Oliv. — *Bruchus* Fabr. — *Curculio* De Geer.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues, in pagina superiore rostri, juxta oculos libere insertæ; clava elongata, angusta, articulis remotis.

Rostrum breve, latum, deflexum, apice truncatum.

Oculi laterales, prominuli, rotundati.

Thorax brevis, transversus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, angulis posticis sub-acuminatis.

Elytra oblonga, convexa, apice obtuse rotundata.

Pedes validiusculi, tarsi longi.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin superantes, tenues, in rostri pagina superiore juxta marginem anteriorem oculorum insertæ, rectæ, 11 articulatæ: articulis duobus basalibus crassis, sequentibus tenuibus, sub-obconicis; clava elongata, angusta, tri-articulata: articulis oblongis, remotis. — *Rostrum* breve, latum, deflexum, apice truncatum, sub-marginatum; mandibulæ breves, falcatæ, apice acutæ. — *Oculi* laterales, prominuli, rotundati, haud emarginati. — *Thorax* longitudine latior, anterius multo angustior, angulis compressis, antice truncatus, postice bi-sinuatus, angulis sub-acuminatis, basi et lateribus postice elevato-marginalibus, supra convexus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* thoracis parte postica vix latiora et illo triplo longiora, apice obtuse rotundata,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 40. subgen. M. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 591.

supra convexa, anum haud occultantia. — *Pygidium* nudum, sub-triangulare. — *Pedes* validiusculi, mutici; femoribus sub-compressis, in medio crassioribus; tibiis sub-teretibus, rectis, apice truncatis; tarsis elongatis, articulo primo longo, basi sub-tenui, secundo dimidio breviori, tertio minuto, bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS.—*Anthribus Coffeæ.* FABR.

Ab ἀραιὸς tenuis, κέρας cornu.

Observatio. — Antennarum insertio libera in pagina superiore rostri, juxta marginem anteriorem oculorum, characterem genericum singularem præbet.

1. A. SIMULATUS. *Schh.*

Ovatus, convexus, fusco-niger, subtus cinereo-tomentosus, antennis pedibusque testaceis, thorace convexiore, vittis tribus, elytrorum sutura, vittis exterioribus punctisque sub-seriatis albido-tomentosis notatis.

Patria: Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. Reg. acad. scient. Holm.

Magnitudo et statura *A. coffeæ*, thorace convexiore, signaturis et pedum colore distinctus. Caput breve, latum, punctulatum, nigro-piceum, tomento cinereo-albido inæqualiter vestitum; oculi laterales, valde remoti, semi-globosi, brunnei; rostrum latitudine capitis, sed dimidio brevius, similiter coloratum et vestitum. Antennæ vix thoracis basin superant, testaceæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, posterius nonnihil ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, angulis acuminatis, margine alte elevato, ad latera antrorsum continuato; supra in disco convexus, pulvinatus, subtilissime alutaceus, niger, opacus, vittis tribus albido-tomentosis notatus, media angusta, lateralibus latis, nonnihil obliquis. Scutellum rotundatum, dense albido-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, margine elevato, thoracis basi fere angustiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, confertim punctato-striata, nigra, opaca, sutura anguste, vitta media disci lata et duabus exterioribus angustis albido-tomentosis notata; præterea puncta parva ejusmodi seriatim disposita, inter vittas observantur. Pygidium sub-triangulare, dense albido-tomentosum. Corpus subtus punctu-

latum, nigrum, æqualiter cinereo tomentosum. Pedes longiusculi, validi, toti testacei, cinereo-pubescentes. GHL.

* 2. A. COFFEÆ.

Ovatus, convexus, niger vel piceus, tomento cinereo variegatus; pedibus ferrugineis, femoribus medio nigro-piceis, elytrorum interstitiis alternis nigro cinereoque tessellatis.—GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 28.
Anthribus peregrinus. HERBST. *Col.* VII. p. 168. n° 10. T. 106. f. 9.
Curculio fasciculatus. DE GEER. *Ins.* V. p. 276. n° 10. T. 16. f. 2.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1805. n° 547.
Bruchus crassicornis. FABR. *Syst. el.* II. p. 399. n° 23. — *Ent. Syst. Suppl.* p. 159. n° 14-15. forte.
Bruchus cacao. FABR. *Syst. el.* II. p. 397. n° 6.—*Ent. Syst.* I. II. p. 370. n° 6. — *Mant.* I. p. 41. n° 8. — *Sp. ins.* I. p. 75. n° 6. — *Syst. ent.* p. 64. n° 4?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 199. n° 10?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1805. n° 547.
Macrocephalus cacao. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 15. n° 21. T. 2. f. 21. a. b.

Patria : India orientalis, Cap. Bonæ Spei, America merid.

Observatio. — Color variat, aut magis niger, aut supra ferrugineus vel piceus. Antennæ ferrugineæ, articulis tribus ultimis remotis nigris. Femora parum crassa, picea, basi apiceque ferruginea; tibia et tarsi ferruginei, in illæsis fusco-fasciati.

Larva nucleos coffeæ comedit, teste cl. Dom. Latreille.

* 3. A. FALLAX. *Dalm.*

Sub-ovatus, piceo-ferrugineus, fusco-umbrino-tomentosus, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace obsolete pallide trilineato, elytris punctato-striatis, confertim inordinate fulvescenti-tessellatis.

Habitat in insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

A. coffeæ statura simillimus sed dimidio minor, et aliter coloratus. Caput deflexum, latum, planum, cum rostro oblongo-triangulare, ferrugineum, dense albido pubescens; oculi globosi, nigro-brunnei. Antennæ ad thoracis basin pertingentes, tenues, pallide-testaceæ, clava obscuriore, elongata, angusta, tri-articulata, articulis remotis. Thoracis structura ut in præcedenti, omnino piceo ferrugineus, confertim rugoso-punctatus, umbrino-squamosus, linea utrinque laterali et alia dorsali, angusta, recta, e pube

griseo-albida ornatus. Scutellum minutum, rotundatum, albido-pubescens. Elytra basi sub-truncata, elevato-marginata, antice thoracis basi fere angustiora, sed illo vix triplo longiora, humeris sub-angulatis, apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, fusco-ferruginea, regulariter punctato-striata, tomento fusco-umbrino tecta; in ipso humero fere ad medium disci, pube fulvescenti obducta, deinde undique guttulis crebris, fulvescentibus, sine ordine adspersa. Pygidium sub-triangulare, rufo-ferrugineum. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, tenue griseo-pubescens. Pedes validi, pallide testacei; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 4. A. RHODOPUS. *Dalm.*

Sub-ovatus, fusco-ferrugineus, pube cinereo-albida undique tectus, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace basi leviter bi-sinuato, dorso obscuriore, elytris subtiliter punctato striatis.

Habitat in insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Præcedenti statura similis sed fere dimidio minor et vere distinctus. Corpus mediocre, deflexum, cum rostro oblongo-triangulare, ferrugineum, albido-pubescens; oculi mediocres, globosi, nigri. Antennæ longitudine capitis cum thorace, tenues, pallide testaceæ, articulis tribus ultimis sat magnis, clavam elongatam, angustam, formantibus. Thorax brevis transversus, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, lateribus ab apice sensim ampliatis, pone medium marginatis, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, angulis retrorsum productis, acutis, supra convexus, ferrugineus, creberrime rugoso-punctatus, pube depressa cinereo-albida tectus, dorso obscuriore, umbrino. Scutellum parvum, rotundatum, albido-pubescens. Elytra basi conjunctim subtruncata vel leviter tantum emarginata, elevato-marginata, antice thoracis basi fere angustiora, humeris angulatis, pone humero apicem versus sensim angustata, lateribus inflexa, thorace vix triplo longiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, fusco-ferruginea, pube depressa, cinereo-albida undique tecta, maculis obsoletis, dilute umbrinis, adspersa. Pygidium sub-triangulare, cinereo-pubescens. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, tenue dilute cinereo-pubescens. Pedes validi, pallide testacei, pube tenui albida, adspersi; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

GENUS 22. — XYLINADES. *Latr.* (1).

Subgenus *Phlœotragus.* SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 33.

Character generis. — Antennæ crassæ, sub-moniliformes, basi rostri in fovea profunda insertæ; clava oblongo-ovata, 3-articulata, articulis arcte connexis.

Rostrum breve, latum, sub-deflexum, apice profunde emarginatum.

Oculi laterales, rotundati, valde prominuli.

Thorax oblongus, sub-convexus, lateribus rotundatus, ante basin striga transversa, elevata, utrinque antrorsum continuata notatus.

Elytra elongata, sub-cylindrica, antice junctim sub-emarginata.

Pedes fortes; tibiæ angulatæ.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, elongatum, sub-lineare, parum convexum, robustum. — *Antennæ* thoracis basin superantes, basi rostri in fovea profunda insertæ, crassæ, rectæ, 11-articulatæ: articulis funiculi brevissime sub-obconicis, gradatim parum latioribus, sæpius in uno sexu (quam opinor esse masculum) subtus lanuginosæ; clava aut ovata, apice obtusa, sub-rotundata, aut oblonga, sub-compressa, acuminata, 3-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* sub-deflexum, capite brevius, apice profunde rotundato-emarginatum; mandibulæ exsertæ, arcuatæ, apice acutæ, intus dente valido, obtuso armatæ. — *Oculi* laterales, rotundati, interdum anterius leviter emarginati, valde prominuli, magni. — *Thorax* latitudine medii fere longior, antice posticeque truncatus, lateribus sub-æqualiter rotundatus, supra parum convexus, margine basali sub-elevato et ante basin striga elevata transversa, utrinque antrorsum continuata instructus. — *Scutellum* minutissimum, punctiforme. — *Elytra* thoracis parte postica paulo latiora et illo triplo longiora, sub-linearia, antice simultanæe sub-emarginata, margine haud elevato, lateribus recta, apice conjunctim rotundata. — *Pygidium* perpendiculare, semi-rotundatum. — *Pedes* mediocres, validi, sub-æquales; femoribus in medio incrassatis, sæpius subtus canaliculatis; tibiis angulosis, sæpius extus canaliculatis, apice truncatis; tarsi validi, sub-angustati.

TYPUS. — *Xylinades Westermanni.* Nob.

---

(1) Latr. Régne anim. p. 387. — *Id.* in Dict. Class d'Hist. Nat. XIV. p. 590.— Thon Ent. Arch. I. III. p. 64.

A ξύλον lignum, ἔδω edo.

Observ. — Generi *Phlœotrago* quoad habitualem formam simile est hoc genus, sed antennæ multo crassiores, fere moniliformes, clava tri-articulata distincte formata terminatæ, rostrumque brevius et latius, differentias evidentes præbent.

* 1. X. RUGOSUS. *Latr.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, pedibus piceis, capite thoraceque confertim rugosis, elytris undique seriatim tuberculatis, maculis lineisque pallido-squamulosis adspersis.

Patria: Insula Java. A Dom. Com. DEJEAN, sub hoc nomine, ut a clarissimo Dom. LATREILLE imposito, benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura elongata et fere magnitudo *Tenebrionis curvipedis.* Caput breve, latum, vertice punctato, fronte longitudinaliter valde rugosa; nigrum, sub-nitidum, vitta pallido-squamulosa utrinque juxta oculos notatum; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite paulo brevius et angustius, similiter rugosum et coloratum. Antennæ vix thoracis basin attingunt, crassæ, nigro-piceæ, nitidæ, subtus versus apicem nigro-lanuginosæ, clava apice cinereo-pubescente. Thorax latitudine medii fere longior, antice paulo angustior, apice truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi ipsa sub-truncatus, angulis rectis; intra et supra basin striga transversa, alte elevata, in medio sub-interrupta, versus latera antrorsum flexa et fere ad apicem thoracis continuata instructus; supra parum convexus, confertissime, rude rugosus et punctatus; niger, sub-nitidus, squamulis pallidis in medio baseos et intra angulos anticos adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice truncata, humeris rotundatis; pone humeros parum ampliata, apice obtusa, cum acumine parvo suturali; thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, loco striarum a basi ad apicem usque seriatim tuberculata, tuberculis semi-globosis, nitidis, anterius majoribus, interjectis punctis, certo situ magis conspicuis; nigra, maculis nonnullis lateralibus lineolisque brevibus disci pallido-squamulosis ornatis. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, basi emarginatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore ventreque subtiliter et disperse punctulatis, thorace vero confertim rude punctato. Pedes validi, picei, in cavitatibus squamositate pallida vestiti, tarsorum articulo tertio subtus fulvo-spongioso. GHL.

2. X. WESTERMANNI. ♂♀. *Schh.*

Elongatus, niger, squamositate grisea vel sub-ochracea vestitus, atro-maculatus et irroratus, thorace disperse tuberculato, elytris basi seriatim tuberculatis, posterius remote punctato sub-striatis, ventris lateribus nigro-maculatis.

Phlœotragus id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 33.

♂ VAR. β. Elytris distinctius albido atroque tessellatis, ventris lateribus fusco annulatis.

Phlœotragus affinis. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Patria : Insula Java. A Dom. WESTERMANN, DEHAAN et CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo valde variat; majores *Spondylo buprestoidi* sub-æquales, alii duplo, uno triplo minores et ultra. Caput breve, latum, parum convexum, disperse punctatum, nigrum, squamositate sub-ochracea vestitum, fronte leviter carinata; oculi semi-globosi, nigro-brunnei, antice leviter emarginati; rostrum capite paulo brevius et angustius, supra inæquale, inter antennas sulcis tribus brevibus exaratum, antice in medio sub-carinatum, similiter ac caput punctatum et vestitum. Antennæ thoracis basin nonnihil superant, crassæ, nigro-piceæ, nitidæ, clava fusiformi, apice albo-sericea; maris subtus nigro-lanuginosæ. Thorax latitudine medii paulo longior, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, longe intra et supra basin striga transversa, alte elevata, in medio sub-interrupta, lateribus ad apicem thoracis fere continuata instructus; supra minus convexus, tuberculis numerosis elevatis, majoribus et minoribus, nudis, nigris, nitidis adspersus, plerisque rotundatis, nonnullis vero transversim oblongis; niger, squamositate sub-ochracea in cavitatibus vestitus. Scutellum minutum, dense squamulosum. Elytra antice truncata, humeris rotundatis; lateribus inflexa, apice obtusa, cum mucrone parvo suturali; thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, posterius obsolete, sub-remote punctato-striata, anterius seriatim tuberculata, tuberculis parvis, semi-globosis, nigris, nitidis; nigra, squamositate cinerea vel sub-ochracea vestita, maculis punctisque atro-squamulosis variegata, quarum 3 vel 4, marginales et una in disco pone medium singuli elytri majores, evidentiores. Pygidium deflexum, semi-orbiculatum, impressum, marginibus elevatis, basi emarginatum, squamulosum, nigro irroratum. Corpus subtus disperse punctulatum, nigrum, squamositate densa

cinereo-ochracea vestitum, ventris lateribus utrinque maculis 3 vel 4, ovatis, nigris, denudatis notatis. Pedes validi, aut rufo, aut nigro-picei, squamositate ochracea inæqualiter vestiti, tarsorum articulo tertio tantum subtus fulvo-spongioso.

VAR. β. Differt elytrorum interstitiis distinctius atro albidoque tessellatis et ventris lateribus loco macularum annulis nigris notatis. GHL.

Dom. B. W. Westermann, Hafniensis, possessor elegantissimæ collectionis entomologicæ, quam unquam videre mihi contigit, et quam ipse maxima ex parte in Bengalia, pluribusque Indiæ locis, et Africa australi collegit, liceat mihi, nomine hujus insecti nomen inventoris servare. SCHH.

3. X. LANUGICORNIS. ♂♀ *Schh.*

Nigro-fuscus, tomento flavescente obductus et irroratus, thorace scabro transversim ruguloso.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Facies omnino *X. Westermanni* et nimis affinis; differt vero colore, thorace transversim rugoso, atque corporis investimento e pilis (nec ut in illo e squamulis) formato. — Antennæ nigræ, subtus longius pubescentes vel lanuginosæ, apice albo-sericeo, de cetero formæ et partium proportione ut in *X. Westermanni.* — Caput ut in illo, sed flavo irroratum. — Thorax forma et carinulis cum specie citata convenit, sed sat evidenter transversim rugulosus, præsertim versus latera. Elytra punctato-striata, basi granulosa, angulo apicali mucrone armato, nigro-fusca, flavo irrorata, vel irregulariter signata. Corpus subtus flavescenti-tomentosum, parce punctulatum, abdomine punctis lateralibus 3 vel 4 nigris, minutis. Pygidium corpore concolor, forma ut in *X. Westermanni.* Pedes quoque forma ut in illo, nigri, tenuissime flavo-pubescentes.

Hujus speciei alter sexus (♀?) fere dimidio minor, differt. Thoracis rugis minus distinctis, pedibus rufescentibus, et corpore castaneo ubi in præcedente nigrum. Antennæ nigræ, ejusdem formæ, sed aliquantum breviores et subtus omnino glabræ. Elytrorum mucro apicalis vix adest, sed pygidium omnino ut in præcedente.

DALM.

Incertæ species, mihi invisæ.

4. X. ATRICORNIS.

Cinereo nigroque varius, antennis atris apice albis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 405. n° 3.

Patria : Guinea.

5. X. NODICORNIS.

Griseus, nodis maculisque nigris. — WEB.

Anthribus id. WEB. *Obs. ent.* p. 92. n° 1.

Patria : Sumatra.

6. X. ACUTICORNIS.

Griseus, cinereo fuscoque varius, antennarum clava articulo ultimo acuto.— FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 405. n° 4.

Patria : Sumatra.

GENUS 23. EUCORYNUS. *Nob.* (1).

Anthribus FABR.

Character generis. — Antennæ validiusculæ, medio rostri in fovea profunda insertæ; clava elongata, compressa, apice rotundata, 4-articulata.

Caput convexum.

Rostrum breve, deflexum, apice truncatum.

Oculi laterales, rotundati, valde prominuli.

Thorax oblongus, sub-convexus, lateribus rotundatus, ante basin striga elevata, transversa, cum margine laterali connexa, insignitus.

Elytra elongata, sub-cylindrica, apice junctim rotundata.

* 1. E. CRASSICORNIS.

Niger, opacus, pube cinerea variegatus, thorace confertim punctato, elytris fascia postica interrupta, annulo antennarum ante clavam, femorum tibiarumque apice thoracisque punctis quatuor dorsalibus albido-tomentosis.. — GHL.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 407. n° 12.

Patria : Sumatra, Java.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 41. n° 5. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 590.

Ad divisionem ANTHRIBIDES *referendæ sunt, incerti generis, species mihi invisæ.*

1. GIGAS.

Griseus, atomis albis, antennis longissimis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 404. n° 2.

VAR. β. Paulo minor, elytris albo-maculatis. FABR. loco cit.

Patria: Guinea.

2. PUSTULATUS.

Ater, elytris sulcatis, ferrugineo-maculatis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 405. n° 6.

Patria: America meridionalis.

3. PUBICORNIS.

Fuscus, linea dorsali lata, cinerea, antennis pilosis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 406. n° 8.

Patria: America meridionalis.

4. BARBICORNIS.

Cinereus, elytris fusco-maculatis, antennis pilosis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 406. n° 9.

Patria: America meridionalis.

5. CLAVICORNIS.

Cinereo fuscoque varius, elytris planis, lævibus, antennis brevibus: clava ovata, compressa. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 407. n° 11.

Patria: America meridionalis.

6. PERFOLICORNIS.

Fusco cinereoque varius, elytris punctato-striatis, antennarum clava compressa. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 407. n° 13.

Patria: Sumatra.

7. TENUICORNIS.

Niger, antennis elongatis, tenuibus: clava ovata, compressa. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 107. n° 14.

Patria : America meridionalis.

8. SPINOSUS.

Cinereus, thorace elytrisque spinosis, antennarum clava compressa. FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p, 409. n° 19.

Patria : America meridionalis.

9. CYLINDRICOLLIS. (1).

Olivaceus, albo-lineatus, antennis longissimis, atris. — FABR.

Gnoma. id. FABR. *Syst. el.* II. p. 316. n° 2.
SCHH. *Synon. Ins.* III. p. 418. n° 3.

Patria : Sumatra.

10. PUBESCENS.

Obscure ferrugineus, griseo-pubescens, elytris apice griseis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 411. n° 30.—*Ent. Syst. suppl.* p. 161. n° 8-9.

Patria : Saxonia.

11. UNDATUS.

Niger, elytris fuscis : strigis undatis albis. — FABR.

Anthribus id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 378. n° 7.
HERBST. *Col.* VII. p. 167. n° 8.
Bruchus id. FABR. *Mant.* I. p. 41. n° 9.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 499. n° 12.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1735. n° 14.
Macrocephalus id. OLIV. *Enc. méth.* VII. p. 606. n° 7.

Patria : Africa.

12. VERRUCOSUS.

Niger, cinereo-pubescens, antennis piceis, elytris punctis plurimis albis nigrisque. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 6. n° 5. T. 1. f. 5. a. b.

Patria : . . . . . .

---

(1) Ad hanc divisionem pertinet, secundum Mus. Dom. T. Lund.

13. FASCIATUS.

Niger, rostro abdomineque albis, elytris fascia alba.— OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 9. n° 9. T. 1. f. 9.

Patria : America meridionalis, Georgia.

14. TUBÈRCULATUS.

Fusco, cinereoque varius, elytris tuberculis sex. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 10. n° 11. T. 1. f. 11.

Patria : Africa.

15. TRANSVERSUS.

Fusco-cinereus, thorace vittis tribus, elytris punctis maculaque transversa nigris. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 10. n° 12. T. 1. f. 12. a. b.

Patria : India orientalis.

16. MURINUS.

Fuscus, cinereo-varius, antennis thorace brevioribus, fuscis. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 12. n° 15. T. 2. f. 15. a.b.

Patria : India orientalis.

17. BIDENS.

Cinereus, rostro lato brevi, elytris basi bi-tuberculatis, apice bidentatis. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 13. n° 18. T. 2. f. 18. a. b.

Patria : Insula S. Domingo.

18. BIMACULATUS.

Niger, elytris macula postica alba. — OLIV.

Macrocephalus id. OLIV. *Ent.* IV. 80. p. 14. n° 19. T. 2. f. 19. a. b.

Patria : Americæ borealis Georgia.

19. ALBICORNIS.

Antennarum articulis tribus compressis, dilatatis, ultimo albo, fusco-tomentosus, griseo-maculatus, pedibus rufis, albo-annulatis. — GERM.

Anthribus id. GERM. *Ins. sp.* I. p. 175. n° 290.

Patria : Brasilia.

20. ALTERNANS.

Antennis gracilibus, fusco-tomentosus, elytris tessellatis, pedibus annulatis. — GERM.

Anthribus id. GERM. *Ins. sp.* I. p. 175. n° 291.

Patria : Brasilia.

21. ROSTRICHOIDES.

Rostro brevissimo, niger, elytris punctato-striatis, fuscis, ore, antennarum basi pedibusque rufescentibus, thorace convexo, alutaceo. MULL.

Anthribus id. GERM. *Mag.* IV. p. 188. n° 4.

Patria : Germania.

22. NIGELLUS.

Rostro breviore, subtus griseo-rufescens, supra nigricans, thorace elytrisque spinulosis. — SPARRM.

Curculio id. SPARRM. *In Acta Holm.* 1785. I. p. 57. n° 70. T. 3. f. 40.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 570. n° 55.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1795. n° 443.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

23. JAPONICUS.

Cinereus, punctis nigris albisque minutissimis. — THUNB.

Amblycerus id. THUNB. *In nov. Acta Ups.* VII. p. 122.

Patria : Japonia.

Divisio III. CAMAROTIDES.

Rostrum breve, latiusculum, deflexum. Antennæ clavatæ, 11-*articulatæ. Elytra hemisphærica, margine dilatata, abdomen tegentia. Pedes breves, basi distantes ; femora antica crassissima.*

GENUS 24. CAMAROTUS. *Germ.*

Character generis. — Antennæ breves, apice clavatæ, rostri lateribus insertæ.

Caput exsertum, oculis globosis, rostro brevi, lato, deflexo, coleoptera hemisphærica, basi truncata, thorace multo latiora, margine dilatata, abdomen tegentia.

Pedes breves, femoribus anticis crassissimis.

Descriptio. — *Corpus* sub-hemisphæricum, subtus planum, ala-

rum. *Antennæ* breves, articulis 1-2 crassis, 3-8 brevibus, angustis, teretibus, sensim crassioribus, ultimis tribus in clavam oblongo-ovalem, sub-solidam congestis, rostri brevioris, lati, deflexi, plani lateribus medio insertæ. *Caput* exsertum, oculis lateralibus, globosis, sub-prominulis, in rostrum desinens planum, scrobe profunda laterali recta. *Thorax* subconicus, convexiusculus, ante apicem utrinque leviter lateribus impressus, basi bi-sinuatus. *Scutellum* breve, semi-rotundum. *Coleoptera* thorace longiora, et basi thorace duplo latiora, truncata, humeris rectangulis, ab humero ad apicem circulatim rotundata, dorso convexa, margine dilatata, explanata, abdomen undique superantia. *Pedes* breves, validi, basi distantes, femoribus anticis valde incrassatis, trigonis, intus acute serratis, reliquis modice clavatis, tibiis sub-curvatis, latis, unco extus acuto armatis, apice bi-denticulatis, tarsis brevibus, latis, subtus pulvinatis, articulo penultimo valde dilatato, bilobo, ungue brevi bi-unguiculato.

A χαμαρωτὸς fornicatus. Germ.

1. C. Coccinelloides.

Ferrugineus, capite, abdomineque nigris, thorace vage punctato, lateribus croceo squamoso, elytris punctato-seriatis.

Habitat in America meridionali. Klug.

Animalculum singulare, forma fere *Coccinellæ* (*Chilorori*) minoris. Caput nigrum, subtilius punctatum, rostro punctato-rugoso, bi-sulcato, antennis flavis. Thorax longitudine plus duplo latior, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, et versus apicem valde angustatus, apice rursus sub-producto, et impressione parum distincta a margine laterali sejuncto, undique punctis latis, parum profundis, confluentibus obsitus, carinula lævi basali media ferrugineus, squamis croceis præsertim lateribus dense obtectus. Coleoptera ferruginea, punctato-striata, squamulis croceis parce ad basin densius obtecta. Abdomen nigrum, pedibus ferrugineis. Germ.

* 2. C. Cassidoides. *Schh.*

Ater, glaber, antennis testaceis, thorace confertissime ruguloso-punctato, elytris latissimis, sub-sulcatis, sulcis dorsalibus obsolete, lateralibus distinctius, sub-remote punctatis.

Patria: Brasilia; ad minas Geraes a Dom. Ménétriés captus et benevole donatus. Mus. Schh.

Facies fere *Cassidæ* et *C. morioni* magnitudine æqualis. Caput parvum, antice rugoso-punctatum, atrum, vertice elevatiore, sublævi; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum latitudine fere capitis et illo paulo longius, deflexum, supra ruguloso-punctatum, fere planum, marginibus elevatis; totum nigrum. Antennæ breves, testaceæ, pilosæ, clava nigricante. Thorax brevis, antice abrupte dimidio angustior quam basi, apice truncatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, versus latera granulatus, posterius in medio linea angusta, elevata notatus, totus ater, non nitidus. Scutellum breve, triangulare, atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi duplo latiora, lateribus explanata, apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, mediocriter sulcata, sulcis dorsalibus obsolete, lateralibus distinctius sub-remote punctatis, interstitiis planis, obsolete rugosis; tota atra, parum nitida. Corpus subtus tenuiter transversim strigosum, nigrum, magis nitidum. Pedes breves, validi, nigri, femoribus anticis maximis, trigonis, subtus serratis, tarsis omnibus brevibus, latis, subtus cinereo-albido-spongiosis. GHL.

Divisio IV. ATTELABIDES.

Rostrum sub-cylindricum, deflexum, sæpe filiforme, vel sæpius apice dilatatum. Caput pone oculos elongatum. Antennæ clavatæ, 11-12 *articulatæ. Elytra elongata, sub-quadrata. Pygidium nudum.*

GENUS 25. — APODERUS(1).

Apoderus OLIV., LATR., DEJ., STURM, BILLB. (2). — *Attelabus* LINN., FABR., GERM., GYLLENH., LATR., THUNB. (3). ILLIG., HERBST., PAYK., MARSH. — *Curculio* DE GEER, SCOPOLI. — *Rhinomacer* GEOFFR., LAICH., MULL. — *Bruchus* et *Involvulus* SCHRANK.

Character generis. — Antennæ validiusculæ, in fovea irregulari insertæ, 12-articulatæ, quorum quatuor ultimi crassiores, coarctati, clavam formantes.

Rostrum capite brevius, crassum, apice vix dilatatum.

---

(1) Ab ἀποδέρω excorio. — Observ. Dom. Billberg.

(2) Oliv. Ent. V. 81. p. 12. — Latr. Règne anim. p. 388. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 592. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 42. n° 6.

(3) Latr. Consid. génér. p. 219. n° 217. — Germ. in nov. Annal. de Wetter : Gesells. I. I. p. 121. n° 4. — Herbst. Col. VII. p. 141. Instr. Tab. R. fig 1-3. — Thunb. in nova Acta Ups. VII. p. 111.

Caput oblongum, posterius valde angustatum, collo tenui, thorace adnexum.

Thorax subconicus, antice valde angustatus, emarginatus et intra apicem constrictus.

Elytra oblongo-quadrata, antice truncata, apice singulatim rotunda, dehiscentia.

* 1. A. CORYLI.

Niger, glaber, thoracis margine postico, elytrisque crenato-striatis, totis rufis, rostro, capite thoraceque sulcatis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 12. nº 14. VAR. *pedibus nigris.*

Attelabus id. LINN. *Faun. Suec.* nº 638. — *Syst. nat.* I. II. p. 619. nº 1. — *Ed.* GMEL. I. IV. p. 1808. nº 1. — *Amoen. Acad.* V. Tab. 3. f. 171. — *In. Act.* p. 153.

FABR. *Syst. el.* II. p. 416. nº 1. — *Ent. Syst.* I. II. p. 384. nº 1. — *Mant.* I. p. 124. nº 1. — *Sp. ins.* I. p. 199. nº 1. — *Syst. ent.* p. 156. nº 1.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 16. nº 1.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 246. nº 1. A. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 83.

OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 278. nº 2.

HERBST. *Col.* VII. p. 143. nº 1. — *Archiv.* p. 86. nº 1.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 168. nº 1.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 294. nº 1.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 136. nº 348. — *Ed.* HELLW. I. p. 145. nº 348.

CEDERH. *Faun. Ing.* nº. 313.

VILL. *Ent.* I. p. 217. nº 1.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 234. nº 1.

Dict. des scienc. nat. III. p. 290. nº 1.

FISCH. *Naturg. v. Liol.* p. 134. nº 273.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 518. nº 1.

OKEN. *Naturg.* III. p. 772. nº 1.

BLUMENB. *Handb. Ed.* 7. p. 329. nº 1.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 182. nº 602.

PONTOPP. *Nachricht.* p. 205. nº 1. Tab. 16. fig.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 854. nº 1.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 243. nº 1. T. 4. f. 18.

GLEDITSCH. *Einleit.* I. p. 455. nº 12.

SCHMIEDL. *Einleit.* 222.

Curculio avellanæ. PAYK. *Mon. Curc.* p. 128. nº 121.

GRONOV. *Zooph.* p. 166. n° 571.

Acta Ups. 1736. p. 19. n° 4.

* VAR. β. Thorace supra rubro, macula antica oblonga nigra. — GYLLENH. *Faun. Suec.* loc. cit. var. b. *Curc. excoriato-ruber.* DE GEER. *Ins.* V. p. 246. n° 46. T. 8. f. 3.

* VAR. γ. Thorace supra rubro, macula obsoleta nigro-fusca, femoribus basi rufescentibus. GHL. *Ins. Suec.* loc. cit. var. c.

Attelabus coryli. HERBST (Borowsky) *Naturg.* VI. p. 117. n° 1. T. 15. f. 1.

Rhinomacer coryli. LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 241. n° 3.

Curculio collaris. SCOP. *Ent. Carn.* p. 25. n° 71.

Attelabus denigratus. GMEL et LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1809. n° 33.

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 56. f. 6.

LESKE *Mus.* p. 25. n° 505. *Attelabus.*

* VAR. δ. Thorace supra rufo-testaceo, immaculato, femoribus rufis, apice nigris. GHL. *Ins. Suec.* loc. cit. var. d.

Apoderus coryli. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 12. n° 14. *Attelabus* T. 1. f. 14. a. b.

Attelabus coryli. PANZ. *Faun. Germ.* C. Tab. 8.

CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 118. T. 15. f. 1. 2.

BECHST. et SCHARF. *Fortins.* I. p. 179. n° 1.

CUVIER. *Dyrhist.* II. p. 176. n° 6.

VOET. *Col. Ed.* PANZ. IV. p. 70. n° 1. T. 41. fig. a. 1.

Attelabus coryli, var. β. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 384. n° 1. — *Sp. ins.* I. p. 200. n° 1.

HERBST. *Col.* VII. p. 143. n° 1. T. 105. f. 5.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* I. p. 246. n° 1. B. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 83. T. 91. f. 6.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 169. n° 1.

Attelabus avellanæ. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 619. n° 2. — *Ed.* GMEL. I. IV. p. 1809. n° 2.

THUNB. *in Acta Ups. nov.* V. p. 96. n° 15.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 319. n° 1.

VILLERS. *Ent.* I. p. 218. n° 2.

Curculio avellanæ, var. β. PAYK. *Mon. Curc.* p. 129.

Rhinomacer avellanæ. MULL. *Zool. Dan. Fr.* p. 91. n° 1020.

Bruchus avellanæ. SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 102. n° 194.

Involvulus id. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 475. n° 504.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 273. n° 11. *Rhinomacer.*

SULZ. *Kennz. d. Ins.* Tab. 4. f. 25.

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 56. fig. 5.

Patria : Europa.

* 2. A. INTERMEDIUS.

Niger, nitidus, elytris rubris, subtilius, remote punctato-striatis, interstitiis lævibus, tibiis longiusculis, tenuibus, armatis. — GHL.

Attelabus id. ILLIG. *in* SCHNEID. *Mag.* V. p. 615. n° 19.
PANZ. *Faun. Germ.* XXV. 22. — *Ent. Germ.* p. 294. n° 2.
HERBST. *Col.* VII. p. 153. n° 14. T. 105. f. 8.
HELLER. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 146. n° 349.
Attelabus erythropterus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1809. n° 34.
LESKE *Mus.* p. 23. n° 506. *Attelabus.*

Patria: Germania, Curonia.

* VAR. β. Duplo minor et ultra.

Attelabus politus. GEBLER *in* HUMM. *Essais ent.* IV. p. 50. n° 12.

Patria: Sibiria. Mus. GEBLER et SCHH.

3. A. UNICOLOR (1).

Rufus, immaculatus, capite postice vix attenuato.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 17. n° 23. *Attelabus* Tab. 1. f. 23.

Patria: India orientalis.

4. A. CYGNEUS (1).

Rufus, pectore femoribusque atris, capite postice attenuato, cylindrico, longitudine corporis. — FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 417. n° 2.

Patria: Sumatra.

5. A. LONGICOLLIS (1).

Rufus, collo elongato, cylindrico, nigro, elytris punctis impressis striatis.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 18. n° 25. Tab. 1. f. 25.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* I. p. 417. n° 3.

Patria: India orientalis.

6. A. DROMAS (1).

Fusco-sanguineus, antennis nodosis, capite foveato.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 14. n° 17. *Attelabus* T. 1. f. 17.

Patria: Madagascar.

---

(1) Mihi invisus

* 7. A. SCUTELLARIS.

Rufus, nitidus, antennarum clava, oculis, scutello genibusque nigris, capite elongato, obconico, elytris subtilius, remote punctato-sub-striatis.

A. camelus. [OLIV. *Ent.* V. 81. p. 15. n° 19. *Attelabus* T. 1. f. 19. var. ?

* VAR. β. Duplo fere major, saturatius rufo-castaneus, pygidio etiam nigro, pectore piceo.

Patria : India orientalis. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus SCHH.

A. coryli paulo major, longior. Caput elongatum, obconicum, convexum, læve, rufum, nitidum, fronte retusa, tenuiter canaliculata ; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum breve, apice dilatatum, supra ad antennarum insertionem calloso-elevatum, rufum, ore infuscato. Antennæ capite parum longiores, pallide rufæ, articulis quatuor ultimis crassioribus, nigris. Thorax subconicus, anterius valde attenuatus, apice in medio emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus obliquis, rectis, basi sinuato-emarginatus, longe ante basin striga profunda, transversa impressus, lobo postico elevatiore; supra convexus, lævis, rufus, nitidus, in medio obsolete canaliculatus. Scutellum breve, latum, apice sub-emarginatum, nigrum, nitidum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra posterius convexa, versus basin impressa, sub-remote seriatim punctata, vix striata, nisi interne juxta suturam, seriebus posterius evanescentibus; rufa, nitida, glabra. Alæ longæ, nigricantes. Pygidium semi-orbiculare, punctatum, rufum, apice infuscatum. Corpus subtus vix punctatum, rufum, nitidum, pectoris suturis nigro-piceis, lineis duabus sericeo-tomentosis notatis. Pedes elongati, rufi, nitidi, femoribus clavatis, lævibus, basi apiceque nigris, tibiis arcuatis, scabris, basi nigris, tarsorum articulo tertio dilatato, bilobo, infuscato, unguiculari longo, tenui, clavato.

VAR. β. Magnitudine duplo majori, colore saturatiore, pygidio fusco et pectore magis piceo tantum differt. GHL.

* 8. A. Rufus.

Glaber, rufus, capite postice valde attenuato, basi ruguloso, thorace conico, antice striga simplici constricto, elytris fortius punctato-striatis.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 18. n° 24. *Attelabus* T. 1. f. 24.
Attelabus rufus. Fabr. *Syst. el.* II. p. 418. n° 6.
* Var. б. Obscurus rufo-castaneus, tibiis, tarsisque dilutioribus.

Patria: Indiæ orientalis insulæ; e Java, a Dom. Dehaan benevole communicatus; e Sumatra, ex Musæo Dom. T. Lund. Mus. Schh.

A. coryli paulo minor. Caput obconicum, thorace fere longius, posterius valde attenuatum, basi rugulosum, anterius læve, glabrum, rufum, nitidum; oculi laterales, semi-globosi, glauci; rostrum capite triplo brevius, crassum, apice ampliatum, basi supra canaliculatum, totum rufum. Antennæ breviusculæ, rufæ, scapi apice et clava infuscatis. Thorax conicus, latitudine baseos fere longior, antice triplo angustior, apice profunde emarginatus, margine elevato, calloso, nigricante; intra apicem striga simplici transversa impressus; lateribus obliquis, rectis; basi truncatus, longe intra basin profunde transversim impressus, lobo postico elevatiore, strigoso; supra in dorso parum convexus, antice vero tuberculo rotundato, pulvinato instructus, totus rufus, lævis, nitidus. Scutellum brevissimum, latum, postice obtuse rotundatum, basi rufum, apice nigro marginatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, in dorso antico impressa, sat profunde, remote punctato-striata, interstitiis secundo et quarto a sutura antice convexis, elevatis, ceteris planis, lævibus; tota rufa, nitida, glabra. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, rufum. Thorax subtus et pectus rugoso- punctata, saturatius rufo-brunnea; venter lævis, nitidus, dilute rufus. Pedes longiusculi, validi, dilute rufi, nitidi, femoribus posterioribus extrorsum brunneis.

Var. b. Differt tantum colore totius corporis saturatius rufo-castaneo, tibiis tarsisque modo dilute rufis. Ghl.

* 9. A. Fuscicornis.

Ferrugineus, nitidus, antennis (basi excepta) tarsisque nigro-fuscis, capite breviter obconico, elytris distincte punctato-striatis. — Ghl.

Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 419. n° 14. — *Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 6.

Herbst. *Col.* VII. p. 151. n° 10.

Patria : Senegalia, Sierra Leona.

* 10. A. Gemmatus.

Ferrugineus, elytris tuberculis nigris sparsis. — Fabr.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 14. n° 16. *Attelabus* T. 1. f. 16.

Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 418. n° 8. — *Ent. Sys.* I. II. p. 385. n° 5. — *Mant.* I. p. 124. n° 4.

Herbst. *Col.* VII. p. 148. n° 6. T. 105. f. 10.

Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 279. n° 7.

Thunb. *Diss. nov. Ins. spec.* III. p. 68. Tab. fig. 80.

Germ. *in N. Wetter. Annal.* I. I. p. 121. n° 3.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1809. n° 14.

Patria : Bengalia, Cap. Bonæ Spei.

* 11. A. Notatus.

Obscure ferrugineus, elytris basi maculis sex elevatis flavis, pedibus flavis.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 19. n° 26. *Attelabus* T. 1. f. 26.

Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 418. n° 9. — *Ent. Syst.* I. II. p. 385. n° 6.

Herbst. *Col.* VII. p. 149. n° 7.

Patria : India orientalis.

* 12. A. Quadripunctatus. *Dehaan.*

Glaber, rufus, capite breviore, postice minus attenuato, lævi, thorace conico, antice striga duplici constricto, elytrorum striis posterius evanescentibus, singulo linea angusta pone scutellum maculaque transversa disci nigris notatis.

Var. β. Obscurius rufo-castaneus.

Patria : Insula Java. A. Dom. Dehaan, sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura, color et affinitas summa *A. rufi* ; differre tamen videtur capite breviori, postice minus attenuato, lævi, thorace antice striga duplici constricto, elytrorum striis postice evanescentibus et elytris nigro-maculatis. Caput ob-conicum, longitudine thoracis, posterius modice angustatum, basi profunde sed

anguste constrictum, totum læve, glabrum, nitidum, rufum; oculi semi-globosi, glauci vel brunnei; rostrum brevissimum, crassum, apice ampliatum, supra canaliculatum, rufum. Antennæ capite breviores rufæ, clava fuscescente. Thorax conicus, latitudine baseos vix longior, antice triplo angustior, apice profunde emarginatus, margine elevato; intra apicem striga duplici constrictus; lateribus obliquis, rectis; basi truncatus, longe intra basin striga simplici profunda impressus, lobo postico elevatiore, striga tenui insculpto; supra in disco æqualiter convexus, pulvinatus, lævis, nitidus, rufus. Scutellum latum, apice rotundatum, concolor. Elytrorum forma omnino ut in *A. rufo*, ut et interstitia striarum, sed puncta striarum minora, posterius fere evanescentia; rufa, nitida, glabra; in basi suturæ, pone scutellum lineola brevis, impressa, nigra utrinque et in disco singuli elytri macula angusta, transversa ejusdem coloris. Pygidium, corpus subtus et pedes ut in *A. rufo*.

VAR. β. Colore saturatiore, rufo-castaneo tantum differt. GHL.

13. A. BIGUTTATUS (1).

Ater, nitidus, elytris puncto medio flavo. — FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 4.

Patria: Sumatra.

14. A. TRANQUEBARICUS (1).

Sanguineus, elytris punctato-striatis, basi fasciaque media fuscis.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 15. n° 18. *Attelabus* T. 1. f. 18.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 10. *Suppl.* p. 162. n° 6-7.

Patria: Tranquebaria.

15. A. SANGUINEUS (1).

Sanguineus, antennis elytrorumque basi nigris.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 16. n° 20. *Attelabus.* T. 1. f. 20.

Patria: Africa.

16. A. PECTORALIS (1).

Niger, elytris, thorace tibiisque rubris.—THUNB.

Attelabus id. THUNB. *in N. Acta Ups.* VII. p. 124.

Patria: Cap. Bonæ Spei.

---

(1) Mihi invisus.

* 17. A. MELANOPTERUS.

Rubidus, capite elytrisque nigris, his foveolato-sulcatis.

WIEDEM. *Zool. Mag.* I. III. p. 174. n° 24.

Patria : Java.

18. A. NIGRIPENNIS (1).

Ferrugineus, elytris lævissimis, atris.—FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 419. n° 13. — *Ent. Syst.* I. II. p. 386. n° 8.

HERBST. *Col.* VII. p. 151. n° 9.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

19. A. HÆMORRHOIDALIS (1).

Sanguineus, elytris lævibus, cyaneis, apice rubris.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 16. n° 21. *Attelabus* T. 1. f. 21.

Patria : Africa.

20. A. HUMERALIS (1).

Niger, nitidus, abdomine basique elytrorum flavis.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 17. n° 22. *Attelabus* T. 1. f. 22.

Patria : India orientalis.

21. A. RUFICOLLIS (1).

Rufus, capitis vertice nigro, elytris cæruleis, nitidis.—FABR.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 13. n° 15. *Attelabus* T. 1. f. 15.

Attelabus id. FABR. *Mant. ins.* I. p. 124. n° 8.—*Sp. ins.* I. p. 200. n° 4.

OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 280. n° 11.

VILLERS. *Ent.* I. p. 222. n° 12. et IV. p. 295. n° 12.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1810. n° 17.

Patria : Sibiria.

* 22. A. ECHINATUS. *Schh.*

Cereo-flavescens, glaber, antennarum basi, oculis, capitis thoracisque maculis, spina solitaria scutelli spinisque decem elytrorum atris, femoribus annulo apicali fusco notatis.

---

(1) Mihi invisus.

Patria: India orientalis, Nepal. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *A. coryli; A. hystrici* simillimus et valde affinis, sed duplo major, color elytrorum alius, etc. Caput breviter obconicum, valde convexum, inflatum, læve, cereo-flavescens, fronte sub-retusa; posterius lineis duabus latioribus nigris, nitidis et tertia interjacente fusca notatum; anterius foveolis duabus nigris impressum; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum capite multo brevius et angustius, crassum, concolor, supra ad antennarum insertionem callis duobus nigris instructum, ore fusco. Antennæ capite paulo longiores, basi nigræ, extrorsum flavescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice plus duplo angustior, apice emarginatus, margine elevato, reflexo, intra apicem profunde constrictus, lateribus subito ampliatus, basi sub-sinuatus, supra valde inæqualis, longe ante basin striga transversa insculptus, cereo-flavescens, anterius foveis duabus nigris impressus, pone medium tuberculis duobus subconicis ejusdem coloris instructus et in utroque latere macula nigra notatus. Scutellum latum, breviter triangulare, cereum, spina seu tuberculo conico, atro, nitido instructum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus dein rectis; apice singulatim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra in dorso sub-plana, foveis oblongis, inæqualibus, minus regulariter seriatis impressa, interstitiis omnibus elevatis, angustis, unde elytra quasi cancellata vel reticulata; cereo-flavescentia, glabra; singulo spinis quinque atris instructo, quarum prima in humero, longa, acuta, extrorsum flexa; secunda versus apicem, prope marginem, brevior, conica; in medio disci tertia, longa, erecta, acuta; ante et pone illam, in eadem serie reliquæ duæ, minores, conicæ, tuberculiformes; margo interior apicis etiam niger. Alæ longæ, fuscæ. Pygidium deflexum, breviter triangulare, punctatum, flavum. Corpus subtus convexum, obsolete punctatum, flavo-testaceum, pectoris lateribus plaga inæquali nigra et lineolis duabus sericeo-tomentosis notatis. Pedes longi, pallide flavi, femoribus clavatis, nitidis, versus apicem annulo fusco cinctis, tibiis tenuibus arcuatis tarsisque tenuiter pubescentibus. GHL.

* 23. A. HYSTRIX.

Pallide ferrugineus, glaber, antennis (clava excepta), maculis capitis, spina scutelli elytrisque nigris, his spinis decem acutis armatis, femoribus annulo apicali fusco cinctis. — GHL.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 419. n° 15.

Patria : Sumatra, Java.

* 24. A. SPINOSUS.

Ferrugineus, nigro-variegatus, tomento et squamulis metallico-nitidis, supra dense, subtus parcius vestitus, vertice sulcato, thorace bi-tuberculato, elytris spinis duodecim erectis, acutis, nigris armatis.— GHL.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 420. n° 20. — *Ent. Syst.* I. II. p. 386. n° 10.

HERBST. *Col.* VII. p. 152. n° 11.

Patria : Cap. Bonæ Spei.—Specimen nostrum e Sierra Leona.

A. INDICUS (1).

Ferrugineus, capite, elytrorum basi fasciaque media cyaneis.—THUNB.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 420. n° 21.—*Ent. Syst.* I. II. p. 386. n° 11.—*Mant.* I. p. 124. n° 5.

THUNB. *Diss. nov. Ins. Sp.* III. p. 68. Tab. fig. 81.

OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 279. n° 8.

HERBST. *Col.* VII. p. 152. n° 12.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1309. n° 15.

Patria : India orientalis.

GENUS 26. ATTELABUS.

Attelabus. LINN., FABR. *et plures* (2).—*Rhynchites* ILLIG.—*Curculio* DE GEER, SCOPOLI.—*Rhinomacer* LAICHART., GEOFFR., FOURCR.—*Chyphus* THUNB. (3).—*Bruchus* et *involvulus* SCHRANCK.

Character generis. — Antennæ validiusculæ, in fovea profunda insertæ, 11-articulatæ, quorum tres ultimi crassiores, coarctati, perfoliati, clavam formantes.

Rostrum capite brevius, apice valde incrassatum.

Caput oblongum, posterius non angustatum, absque collo distincto, thoraci insertum.

Thorax sub-quadratus, antice tamen paulo angustior, basi apiceque truncatus, supra convexus.

---

(1) An hujus generis? potius *Agra* vel *Odacantha*.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 43. n° 7. — Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 245. 272. II. — Consid. Génér. p. 219. n° 218. — Règne Anim. p. 388. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 492. — Duméril. Zool. Anal. p. 226. n° 5. — Illig. Mag. III. p. 102. n° 167. II.

(3) Thunb. in nov. Acta Ups. VII. p. 110.

Elytra sub-quadrata, antice truncata, apice singulatim rotundata, dehiscentia.

* 1. A. CURCULIONIDES.

Niger, glaber, thorace, elytris antennarumque basi rufis, capite cylindrico, elytris subtilissime punctato-striatis, interstitiis disperse punctatis.—GHL.

LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 619. n° 5. — *Ed.* GMEL. I. IV. p. 1809. n 3.

FABR. *Syst. el.* II. p. p. 420. n° 22.—*Ent. Syst.* I. II. p. 386. n° 12. — *Mant.* I. p. 124. n° 6. — *Sp. ins.* I. p. 200. n° 3. — *Syst. ent.* p. 157. n° 2.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 5. n° 1. T. 1. f. 1. a. b. — *Enc. méth.* IV. p. 279. n° 9.

HERBST. *Col.* VII. p. 142. n° 2. T. 105. f. 6.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 18. n° 2.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 247. n° 2. — *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 84.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 169. n° 2.

GERM. *in neu. Wetter. Annal.* I. I. p. 122. n° 4.

PANZ. *Faun. Germ. C.* Tab. 9.—*Ent. Germ.* p. 295. n° 3.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 136. n° 349.—*Ed.* HELLW. p. 146. n° 349.

MARSH. *Ent. Br.* p. 320. n° 2.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 234. n° 2.

VILLERS. *Ent.* I. p. 218. n° 3.

PREYSL. *Bohem. Ins.* p. 11. n° 7.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 520. n° 2.

HERBST. (Borowski). *Naturg.* VI. p. 117. n° 2.

RAZOUM. *Hist. nat.* I. p. 149. n° 48.

Dict. des sciences nat. III. p. 290. n° 2.

OKENS. *Naturg.* III. p. 772. n° 2.

SULZ. *Gesch. des Ins.* p. 41. n° 1. T. 4. f. 12.

Chyphus id. THUNB. *in nov. Acta Ups.* VII. p. 110. et p. 124.

Bruchus id. SCHRANK. *Ent. Ins. Austr.* p. 102. n° 193.

Rhinomacer id. LAICH. *Tyr. Ins.* I. p, 242. n° 4.

——— *coccineus.* FOURCR. *Ent. Paris.* I. p. 115. n° 10.

——— *coryli.* MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 91. n° 1019.

Curculio nitens. PAYK. *Mon. Curc.* p. 130. n° 122.

SCOP. *Ent. Carn.* p. 25. n° 72.

Involvulus curculioniformis. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 475. n° 502.

Geoffr. *Ins.* I. p. 273. n° 10. *Rhinomacer.*
Barb. *Gen. Ins.* Tab. 5. f. 13. n° 14.
Schæff. *Icon.* Tab. 75. f. 8. et Tab. 56. f. 7.
Harrer. *Beschr.* n° 305.
Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 244. n° 3.
Donov. *Brit. Ins.* Tab. 149.
Mart. *Engl. Ent.* Tab. 23. f. 6.

Patria : Europa temperata et australis.

* 2. A. Analis.

Cyaneo-niger, glaber, thorace, scutello, elytris abdomineque postice rubris, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis impunctatis. —Ghl.

Illig. *in Schneid. Mag.* V. p. 616. n° 20.
Germ. *in neu. Wetter. Annal.* I. I. p. 122. n° 5.
Weber. *Obs. ent.* I. p. 92. n° 1.
Herbst. *Col.* VII. p. 154. n° 15. T. 105. f. 9.?
Rhynchillus id. Illig. *Mag.* VI. p. 323.

Patria : America borealis.

* 3. A. Nigripes. *Dejean.*

Rufus, nitidus, glaber, capite, antennis, pectore, pygidio pedibusque atris, thorace transverso, punctulato, elytris remote seriatim punctatis, femoribus anticis majoribus dentatis.

Patria : America borealis. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Parvus, *Rhynchitis populi* minor. Caput oblongum, sub-læve, atrum, nitidum, fronte inter oculos anguste canaliculata; oculi magni, semiglobosi, brunnei; rostrum brevissimum, crassum, concolor. Antennæ breves, pilosæ, nigræ, clava oblonga, cinereopubescente. Thorax transversus, antice paulo angustior, late emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi leviter sinuatus, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, rufus, nitidus, glaber. Scutellum majusculum, semi-ovale, convexum, punctulatum, concolor. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, in dorso pone scutellum impressa, remote, seriatim punctata, rufa, nitida, glabra. Pygidium orbiculatum, convexum, confertim punctatum, nigrum, basi rufum. Thorax subtus et venter rufa, nitida, glabra, obsoletius punctata; pectus fortiter punctatum

et ventris basis atra. Pedes longiusculi, validi, atri, femoribus clavatis, nitidis, anticis multo majoribus, subtus dente valido armatis, tibiis subrectis, scabris, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. GHL.

4. A. CANALICULATUS (1).

Niger, thorace elytrisque rubris, lævibus, capite canaliculato.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 7. n° 3. T. 1. f. 3.

Patria : Ins. St. Domingo.

5. A. VARIOLOSUS.

Niger, supra glaber, subtus parce cinereo-tomentosus, thorace elytrisque rufis, his rude, remote sub-seriatim punctatis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 420. n° 23.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 6. n° 2. T. 1. f. 2.

Patria : Barbaria.

6. A. FOVEOLATUS. *Chevrolat.*

Glaber, supra piceus, subtus ferrugineus, antennis pedibusque rufis, thorace sub-depresso, confertim ruguloso-punctato, tri-foveolato, elytris rude, remote punctato-sulcatis.

Patria : America meridionalis. A. Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

A. curculionoidi paulo brevior, sed non angustior, in elytris magis convexus. Caput rotundatum, parum convexum, obsolete punctatum, piceum, fronte sulcis duobus profundis inter oculos insculpta, interstitio elevato lineola leviter impressa notato ; oculi majusculi, rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo brevius et angustius, crassum, punctatum, dilutius rufo-piceum. Antennæ breves, sub-tenues, rufo-testaceæ. Thorax latitudine multo brevior, anterius paulo angustior, apice late emarginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, obtuso; supra perparum convexus, inæqualis, confertim ruguloso-punctatus, foveisque tribus rotundis impressus, anterioribus in disco paribus, tertia ante medium baseos; totus supra saturate piceus. Scutellum magnum, latum, punctulatum, piceum, apice

---

(1) Mihi invisus.

rotundatum. Elytra ampla, antice sinuata et rotundata, producta, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, præsertim posterius; apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, late et profunde sulcata, præsertim versus suturam; sulcis rude, remote punctatis, interstitiis convexis, lævibus; dilutius rufo-picea, sub-nitida, Pygidium breve, latum, apice rotundatum, confertim punctatum, ferrugineum. Corpus subtus punctatum, rufo-ferrugineum, sub-nitidum. Pedes validi, dilute rufi, femoribus crassis, clavatis, nitidis, muticis, tibiis sub-arcuatis, scabris, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. GHL.

* 7. A. VARIABILIS. *Schh.*

Niger, glaber, antennis basi piceis, thorace brevi, punctulato, elytris leviter punctato-striatis, interstitiis punctulatis, femoribus subtus crenato-denticulatis.

A. Elytris cupreo-aureis nitidissimis.

Attel. ignitus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 44.

VAR. β. Elytris virescenti-æneis fulgidissimis, femoribus nigro-cærulescentibus.

* VAR. γ. Elytris viridibus, nitidissimis, parum æneo-micantibus.

* VAR. δ. Elytris nigris, violaceo-micantibus.

A. atratus. FABR. *Syst. el.* II. p. 419. n° 17.

A. ater. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 8. n° 6. T. 1. f. 6. — *Enc. meth.* IV. p. 278. n° 4.

Patria : Brasilia, Cayenna. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo *A. curculionoidis,* sed brevior. Caput deflexum, sub-quadratum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, fronte sulcis duobus profundis inter oculos insculpta, interstitio elevato, angusto, antice acuminato, supra lineola tenui impressa notata, distinctis; oculi majusculi, rotundati, glauci, modice convexi; rostrum brevissimum, crassum, convexum, punctatun, nigrum. Antennæ capite parum longiores, nigræ, basi subtus rufo-piceæ. Thorax latitudine brevior, anterius paulo angustior, apice leviter emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra parum convexus, sub-disperse punctulatus, plerumque foveis duabus dorsalibus obsoletis impressus, niger, nitidus. Scutellum magnum, latum, apice obtusum, læve, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique ampliata, humeris elevatis; apice singulatim obtuse

rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, anguste, leviter et sub-remote punctato-striata, interstitiis latis, planis, obsolete, disperse punctulatis: in A, cupreo-aurea, nitidissima. Pygidium breve, apice rotundatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum. Femora crassa, nigra, interdum cæruleo-micantia, subtus canaliculata, duplici serie crenato-denticulata; tibiæ arcuatæ, nigræ, interne crenulatæ; tarsi basi angustati, articulo tertio valde ampliato, bilobo, subtus cinereo-spongioso.

Varietates colore elytrorum tantum differunt, secundum diagnoses.

Observ.—Attelabus cyanipennis. FABR. *Syst. el.* II. p. 420. n° 18. Forte etiam hujus speciei varietas, nobis adhuc ignota. GHL.

* 8. A. BIPUSTULATUS.

Ater, glaber, parum convexus, elytris remote punctato-striatis, plaga magna humerali rufa, femoribus anticis dente acuto armatis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 5. — *Ent. Syst.* I. II. p. 385. n° 5.— *Mant.* I. p. 124. n° 2. — *Sp. ins.* I. p. 202. n° 2. — *Gen. ins. Mant.* p. 229. n° 2-3.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 10. n° 11. T. 1. f. 11.—*Enc. méth.* IV. p. 278. n° 3.

HERBST. *Col.* VII. p. 147. n° 4. T. 105. f. 7.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1809. n° 11.

Rhynchites id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 323.

Patria : America borealis.

* 9. A. NITIDUS.

Niger, nitidus, glaber, parum convexus, elytrorum striis obsolete punctatis, posterius evanescentibus, femoribus muticis. — GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 420. n° 19.

Rhynchites id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 323.

Patria : America meridionalis.

* 10. A. RHOIS. *Knoch.*

Ferrugineus, opacus, tomento sericeo, metallico-micante inæqualiter vestitus, pedibus dilutius testaceis, capite thoraceque canaliculatis, elytris anterius profunde punctato-striatis, interstitiis disperse punctatis. — GHL.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 21. n° 20.

A. serripes. Dom. GERMAR *in Litt.*
A. holosericeus. Dom. Com. DEJEAN *in Litt.*
A. badius. Dom. SAY *in Litt.*

Patria : America borealis.

* 11. A. EXARATUS.

Atro-cæruleus, sub-glaber, thorace transversim strigoso, elytris confertissime et sat profunde punctato-striatis.—BHN.

Rhynchites id. BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 23. n° 23.
A. striatus. Dom. KLUG. *in Litt.*

Patria : Cap. Bonæ Spei.

12. A. RUFICOLLIS. ♂♀

Ater, glaber, nitidus, thorace transverso, supra flavo-testaceo, elytris subtilissime punctato-striatis, humeris alte elevatis, angulatis, femoribus in uno sexu dente valido armatis, in altera muticis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 419. n° 16.

Patria : Cayenna.

* 13. A. MELANCORYPHUS.

Rufo-testaceus, nitidus, glaber, capite canaliculato, medio atro, elytris subtiliter, remote striato-punctatis, femoribus omnibus dentatis.—GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 185. n° 308.
A. melanocephalus. DEJ. *Catal. Col.* p. 80.

Patria : Brasilia.

14. A. ANGULATUS (1).

Ferrugineus, coleoptris angulatis, disco nigro.—FABR.

FABR. *Syst. el.* II. p. 421. n° 24.—*Ent. Syst.* I. II. p. 387. n° 13.—*Mant.* I. p. 124. n° 7.
OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 470. n° 10.
HERBST. *Col.* VII. p. 153. n° 13.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1816. n° 16.

Patria : Cayenna.

---

(1) Mihi invisus.

* 15. A. BISPINOSUS.

Rufo-testaceus, nitidus, oculis genibusque omnibus late nigris; elytris punctato-striatis, singulo spina laterali antica valida, maculaque postica nigris.

Habitat in ins. Java. Mus. GHL., et SCHH.

A. curculionoide paulo major, præsertim longior. Caput porrectum, elongatum, rufo-testaceum, nitidum, postice impunctatum, oculis globosis, glaucis; juxta singulum oculum sulcus profundus, in verticem continuatus, ibique e striga transversa, arcuata, impressa, terminatus; area anterior inter oculos subtiliter ruguloso-punctata et canaliculata; rostrum capite brevius, crassum, latum, convexum, profunde punctatum, concolor, ore infuscato. Antennæ crassiusculæ, thorace breviores, pallidius testaceæ, clava valde elongata. Thorax antice paulo angustior, sub-truncatus, lateribus parum rotundatus, basi vix sinuatus, supra convexus, rufo-testaceus, nitidus, lævis, politus; mox ante basin striga transversa, recta, profunde impressa, margines non attingens, et ante apicem alia, obsoleta. Scutellum breve, transversum, quadrangulum, læve, concolor. Elytra magna, oblongo-quadrangula, antice thorace latiora, humeris elevatis, sub-carinatis, lateribus inflexa, sinuata, apice singulatim rotundata, supra convexa, pallidius testacea, nitida, leviter striata, striis e punctis remotis, impressis; in cujusvis elytri latere antico, pone carinulam humeralem, spina valde crassa, conica vel turrita, acuta, nonnihil extrorsum et retrorsum inclinata, tota atra, et ante apicem macula minor, ovata, ejusdem coloris. Corpus subtus rufo-testaceum, nitidum, lateribus pectoris rugoso-punctatis, ventre sub-lævi. Pedes validi, rufo-testacei, femorum apice late tibiarumque basi anguste nigris, tibiis rectis, interne crenulatis, ciliatis. GHL.

16. A. MELANURUS (1).

Rufus, elytris striato-punctatis, apice nigris.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 10. n° 10. T. 1. f. 10.

Patria : Insula Java.

(A. PENSYLVANICUS.)

Genus *casnonia* certe. — *Casnonia pensylvanica.*

---

(1) Mihi invisus.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* I. p. 196. n° 3. T. 7. f. 1.

Attelabus id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 620. n° 5. — *Ed.* GMEL. I. IV. p. 1810. n° 5.

FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 7. — *Ent. Syst.* I. II. p. 385. n° 4. — *Mant.* I. p. 124. n° 3.

OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 279. n° 5.

HERBST. *Col.* VII. p. 148. n° 5.

Odacantha id. HERBST. *Col.* X. p. 221. n° 2. T. 173. f. 12.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 133. n° 7.

GREX EUSCELUS. *Germ.*

Adumbratio.—*Caput* valde elongatum, sub-cylindricum.—*Pedes* antici maximi elongati; tibiis in masculis apice unco terminali simplici, in feminis unco duplici armatis.—Ceterum ut in *Attelabis* genuinis.

A εὖ bene, σκέλος crus.

17. A. LONGIMANUS (1).

Piceus, elytris apice retusis, pedibus anticis elongatis, femoribus unidentatis.—FABR.

FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 11.— *Ent. Syst.* I. II. p. 385. n° 7.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 7. n° 4. T. 1. f. 4. a. b. — *Enc. méth.* IV. p. 278. n° 1.

HERBST. *Col.* VII. p. 149. n° 8.

Patria : Cayenna.

18. A. SCUTELLATUS. ♂♀. *Dejean.*

Nigro-æneus, sub-nitidus, glaber, antennis (clava excepta), scutello pedibusque posterioribus pallidis, thorace transversim rugoso, elytris lacunosis, femoribus anticis maximis nigro-æneis, basi pallidis.

Mas. *Antennis dimidio corpore longioribus, tenuibus; pedibus anticis longissimis, femoribus subtus bidentatis, interiore longiore, arcuato, reflexo.*

Femina. *Antennis mediocribus; femoribus anticis subtus ad apicem dente unico, recto, valido armatis.*

Patria : Insula Cuba. Dom. Prof. ESCHSCHOLTZ. A Dom. Com. MANNERHEIM et Dom. Prof. GERMAR benevole communicatus. Mus. SCHH.

---

(1) Mihi invisus.

Magnitudo et statura *A. dentipedis*, cujus *var.* β, etiam colore similis. Caput elongatum, sub-cylindricum, obsolete punctulatum, nigro-æneum, nitidum, fronte foveola oblonga impressa; maris caput longius et angustius quam feminæ; oculi magni, semi-globosi, brunnei; rostrum capite brevius, crassum, inæquale, apice dilatatum, nigrum. Antennæ maris dimidio corpore longiores, feminæ vix thoracis basin superantes, in utroque tenues, pallidæ, scapo et clava nigricantibus. Thorax transversus, anterius angustior, apice emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra fere planus, transversim rude rugosus, nigro-æneus, sub-nitidus, glaber. Scutellum magnum, semi-globosum, pallide flavum, læve, nitidum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; pone humeros tuberculo laterali elevato, conico instructa, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra fere plana, lacunis vel scrobiculis profundis, in antica parte majoribus, difformibus, posterius minoribus, rotundatis, sub-seriatis insculpta, nigro-ænea, glabra. Pygidium semi-orbiculare, punctatum, concolor. Corpus subtus nigro-æneum, nitidum, pectore punctato, ventre sub-lævi. Pedes antici maris toto corpore longiores, femoribus crasse clavatis, extrorsum nigro-æneis, nitidis, basi dimidiato-flavis; subtus bidentatis, dente exteriore valido, conico, acuto, interiore duplo longiore, tenui, flexuoso, apice recurvo; tibiæ ejusdem paris tenues, arcuatæ, flavæ, basi apiceque nigræ; tarsi dilatati, pallidi. Pedes antici feminæ multo breviores, femoribus crassis, clavatis, subtus dente apicali tantum armatis, ceterum æqualiter coloratis et constructis. Pedes quatuor posteriores in utroque sexu mediocres, toti pallide flavi. GHL.

19. A. CRIBRARIUS (1).

Fusco-ferrugineus, thorace elytrisque variolosis, pedibus anticis elongatis, femoribus tridentatis.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 8. n° 5. T. 1. f. 5.

Patria : Insula St. Domingo.

20. A. BRACHIATUS. *. *Schh.*

Nigro-piceus, glaber, elytra inæqualia, obsolete, non crebre striato-punctata, postice callosa sub-retusa, pedibus anticis valde elongatis, femoribus clavatis, tridentatis.

---

(1) Mihi invisus.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 21. nº 21.

Patria : Cayenna.

21. A. AMPLECTENS. *Schh.*

Rufus, thorace lineis tribus, elytrisque nigris, his macula rotundata fulva utrinque, fascia postica communi apiceque rufis, pedibus anticis longissimis.

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. AMIRALIS LAZAREFF. Mus. MANNERH.

Magnitudo et statura depressa fere *Apoderi coryli.* Caput rufum, nitidum, leviter canaliculatum, supra oculos nonnihil infuscatum; oculi globosi, grisei, nigro-punctati; rostrum rufum, sub-punctatum, ore nigro. Antennæ longitudine capitis cum rostro, rufæ pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo longior, inæqualis, vel foveis tribus magnis impressus medio sub-canaliculatus et postice transversim late marginatus, rufus nitidus, impunctatus, linea media et duabus lateralibus longitudinaliter positis, anterius angustatis, nigris. Scutellum semi-circulare, rufum, nitidum. Elytra thorace paulo latiora, sub-quadrata, dorso depressa, nigra, ad basin nonnihil rufescentia, paulo ante medium macula magna rotundata fulva utrinque et versus apicem fascia transversa contigua marginem non attingente, apiceque ipso rufis; supra striata vel fere reticulata e punctis magnis rotundatis excavatis, in macula fulva nonnihil, et in striis per fasciam posticam omnino evanescentibus. Corpus subtus rufum, nitidum, pectore fortius punctato. Pedes rufi, nitidi, antici longitudine corporis, femoribus bidentatis, dente exteriore sub-bifido, tibiis arcuatis intus crenulatis; intermedii et postici breves, tenues, femoribus unidentatis.

MANNERHEIM.

22. A. DENTIPES. ♂

Piceo-ferrugineus, glaber, antennis pedibusque dilutioribus, capite thoraceque transversim rugulosis, elytris regulariter fovosis, pone humerum tuberculo conico armatis, femoribus anticis maximis, inflatis, subtus versus apicem valide bi-dentatis. — GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 419. nº 12.—*Ent. Syst.* Suppl. p. 163. nº 7-8.
VAR. β. Capite thorace femoribusque anticis æneo-micantibus.
A. (*Euscelus*) *anserinus.* Dom. GERM. *in Litt.*

Patria : Americæ meridionalis insulæ.

23. A. ANGULOSUS. ♂. *Chevrolat.*

Piceo-ferrugineus, metallico-micans, glaber, thorace rugoso, elytris irregulariter lacunosis, femoribus anticis maximis, inflatis, subtus sub-tridentatis.

Habitat in insula Cuba, teste Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

A. dentipedi Fabricii similis et affinis, sed elytrorum lacunæ majores, pauciores, irregulares, spina nulla pone humerum et femora antica aliter dentata. Caput elongatum, angustum, cylindricum, subtiliter transversim strigosum, piceum, æneo-micans, fronte inter oculos fovea oblonga impressa; rostrum basi paulo angustius, apice valde incrassatum; oculi laterales, magni, convexi, rotundati, picei. Antennæ fusco-ferrugineæ, apice obscuriores. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, supra parum convexus, valde inæqualis, intra basin et apicem striga transversa impressus et in disco rugis tuberculisque inæqualibus obsitus, piceus, æneo-micans. Scutellum majusculum, rotundatum, elevatum, læve, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, lacunis majusculis, profundis, antice difformibus, posterius oblongis, sub-seriatis, confertim insculpta; picea, nitida, glabra. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, profunde, inæqualiter punctatum. Pedes antici toto corpore fere longiores, femoribus maximis, inflatis, piceis, nitidis, lævibus, subtus in medio interne dente valido, sub-arcuato, acuto, cum ei externe opposito, parvo, obtuso et juxta apicem tertio, valido, conico, armatis; tibiæ ejusdem paris longissimæ, valde arcuatæ, ferrugineæ. Pedes posteriores parvi, ferruginei, femoribus medio piceis. GHL.

24. A. ARMATUS. ♂. *Mannerheim.*

Niger, glaber, æneo-micans, thorace transversim rugoso, elytris sub-seriatim lacunosis, pone humerum utrinque spina longa, acuta, valida armatis, femoribus anticis magnis, subtus valide bi-dentatis.

A. spinifex. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 9. n° 7. T. 1. f. 7. var. forte.

Patria : Insula St. Domingo. A Dom. Com. MANNERHEIM benigne missus. Mus. SCHH.

A. dentipedi, var. β, simillimus et valde affinis, sed duplo minor et spina elytrorum magna, elongata, acuta, unde distinctus

videtur; an ejus mas? Caput oblongum, sub-cylindricum, obsoletius punctatum, nigro-sub-æneum, nitidum; fronte inter oculos canaliculata; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite duplo brevius, crassum, apice dilatatum, inæquale, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, articulis funiculi basi obscure ferrugineis. Thorax latitudine vix brevior, antice sub-emarginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-sinuatus, supra fere planus, rude transversim rugosus, nigro-sub-æneus, nitidus. Scutellum majusculum, triangulare, convexum, læve, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, callo humerali oblongo, elevato; pone callum spina longa, valida, acuta, conica, extrorsum vergente armata, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra fere plana, lacunis profundis, in disco majoribus, difformibus, antice posticeque minoribus, rotundatis, sub-serratis insculpta; nigro-sub-ænea, nitida. Pygidium semi-orbiculatum, elevato-marginatum, confertim punctatum, concolor. Corpus subtus nigrum, nitidum, anterius rude punctatum, ventre obsoletius et subtilius punctulato. Pedes antici magni, valde elongati, femoribus crasse clavatis, nigro-æneis, subtus dentibus duobus acutis armatis, tibiis linearibus arcuatis, nigris, interne denticulatis. Pedes posteriores mediocres, nigro-picei, femoribus æneo-micantibus. Ghl.

25. A. Hamatus (1).

Rufescens, elytris basi uni-dentatis, femoribus anticis bi-spinosis spina postica arcuata.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 9. nº 8. T. 1. f. 8.

Patria : Surinam.

26. A. Fornicatus (1).

Fusco-rufescens, elytris variolosis, spina laterali incurva, fornicata.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 9. nº 9. T. 1. f. 9.

Patria : St. Domingo.

27. A. Aureolus. ♂. *Klug.*

Rufo-ferrugineus, glaber, capite, antennis vittisque duabus thoracis nigris, elytris dilutioribus, basi maculaque laterali pallido-fenestratis, femoribus anticis magnis, subtus bi-dentatis.

Patria : Insula Cuba. Dom. Prof. Germar. Mus. Schh.

(1) Mihi invisus.

Parvus, oblongus; *Rhynchiti æquato* minor, angustior. Caput oblongum, sub-cylindricum, fere læve, nigrum, nitidum, fronte inter oculos leviter canaliculata; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite brevius, crassum, apice dilatatum, nigrum, rugulosum. Antennæ longiusculæ, sub-tenues, nigræ. Thorax transversus, antice sub-truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus angulum posticum utrinque spina acuta, retrorsum vergente armatus, basi sub-sinuatus, supra parum convexus, in medio sulco transverso impressus, vix punctulatus, rufo-ferrugineus, nitidus, vittis duabus dorsalibus nigris notatus. Scutellum breve, triangulare, latum, acuminatum, testaceum, læve. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; in ipsa basi foveolis duabus in singulo impressa, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, ante medium dorsi transversim impressa, punctis obsoletis, remotis, seriatim digestis, inæqualiter notata, plaga magna, transversa baseos et macula ovata intra medium marginis singuli elytri lævibus, pallido-pellucidis; superficiæ reliqua testacea, nitida. Pygidium sub-orbiculare, convexum, punctatum, testaceum. Corpus subtus rufo-testaceum, nitidum, obsolete punctulatum. Pedes antici magni, elongati, femoribus crasse clavatis, nigro-brunneis, basi ferrugineis, subtus dentibus duobus armatis, anteriore majore, recurvo, tibiis ejusdem paris longissimis, arcuatis, nigris, intus denticulatis, tarsis dilatatis, piceis. Pedes quatuor posteriores breviusculi, testacei, genubus nigricantibus. GHL.

GENUS 27. RHYNCHITES.

Rhynchites. HERBST, LATR., GYLLENH, OLIV., GERM., THUNB., ILLIG. (1). DEJEAN, BILLB. — *Attelabus.* FABR. — *Mechoris.* BILLB. — *Rhinomacer.* LAICH., CLAIRV. — *Involvulus.* SCHRANK. — *Curculio.* LINN. et alii.

Character generis. — Antennæ sub-tenues, in fovea elongata, lineari, recta, sæpius scrobiformi insertæ, 11-articulatæ, quorum tres ultimi remoti, sub-perfoliati, clavam formantes.

Rostrum aut elongatum, filiforme, aut breve crassiusculum, in paucis ad apicem dilatatum.

---

(1) Herbst. Col. VII. p. 123. Fabr. Instr. Q. fig. 9. 10. 11. — Oliv. Ent. V. 81. p. 19. — Latr. Consid. génér. p. 219. n° 219. *Id.* Regne Anim. p. 358. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 583 et p. 592. — Illig. Mag. VI. p. 323. — Germ. in N. Wetter. Annal. I. 1, p. 122 n° 1. — Thunb. in N. Acta Ups. VII. p. 108. — Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 295. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 44. n° 8.

Rhynchites a ῥύγχος rostrum.

Caput elongatum, postice vero non angustatum; collo crasso thoraci adnexum.

Thorax latitudine medii vix longior, anterius nullo angustior, basi apiceque sub-truncatus et intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus.

Elytra ampla, apice singulatim rotundata; humeri obtuse rotundati.

* 1. R. COELESTINUS. *Schh.*

Cœruleus, subtus et lateribus dense cinereo-pubescens, undique confertissime punctulatus, rostro carinato, striato, nigro, glabro, longitudine corporis.

Rhynchites azureus. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 23. n° 32. *Attelabus.* Tab. 2. f. 32?

——*javanicus.* THUNB. *Nov. Acta Ups.* VII. p. 117?

Mechoris azurea. BILLB. *Enum. Ins.* p. 39.

Habitat in insula Sumatra. Dom. GROONDAHL. Mus. SCHH.

Secundum specimen nostrum, gigas in hoc genere, *R. Hungarico* triplo major. Caput sub-quadratum, vertice seu collo convexo, subtiliter strigoso, cœruleo, nitido, fronte depressa, granulata pubescente, cœrulea, opaca; oculi laterales, semi-globosi, majusculi, glauci; rostrum longitudine fere totius corporis, filiforme, arcuatum, supra carinatum, basi et lateribus sulcatum, undique punctulatum, nigrum, glabrum. Antennæ breves, tenues, nigræ, pilosæ, clava, fusco-pubescente. Thorax latitudine fere longior, antice dimidio angustior, apice truncatus et longe intra apicem transversim late impressus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi leviter sinuatus, margine elevato; supra modice convexus, in medio dorsi carinula angusta, utrinque abbreviata instructus, undique confertissime punctulatus, breve, cœruleus, subtus et lateribus dense cinereo-pubescens. Scutellum breve, punctatum, concolor, apice emarginatum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis confertissime punctulatis; obscure cœrulea, lateribus et apice dense, sub-determinate, in disco parce cinereo-pubescentia. Corpus subtus adhuc subtilius punctulatum, cœruleum, opacum, densius cinereo-pubescens. Pedes elongati, validi, confertissime punctulati, dense pubescentes, nigro-cœrulei, tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Observ. Forte femina major *Rhynchitis azurei* Cl. Olivieri, quamvis ille minor et rostrum brevius; *Rhynchites javanicus* Thunbergi, secundum descriptionem aliter coloratus, quare synonymon dubium. GHL.

2. R. BICOLOR. ♂♀

Pubescens, niger, supra ruber, rostro mediocri, parum arcuato, thorace punctulato, antice non reflexo, elytris striatim punctatis, interstitiis confertim disperse punctulatis. GHL.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 23. n° 31. *Attelabus.* T. 2. f. 31.
HERBST. *Col.* VII. p. 131. n° 6. T. 104. f. 6.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 422. n° 30. — *Ent. Syst.* I. II. p. 388. n° 18.
Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 99. n° 32. — *Sp. ins.* I. p. 166. n° 25. — *Syst. ent.* p. 131. n° 18.
OLIV. *Enc. méth.* p. 480. n° 41.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1753. n° 157.

Patria: America borealis.

3. R. HUNGARICUS. ♂♀

Villosus, ater, thorace obsoletius punctato, rufo, antice constricto, reflexo, elytris striato-punctatis, rufis, interstitiis sub-seriatim punctatis, sutura antice latius, limboque laterali anguste nigris, rostro longo, arcuato. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 22. n° 30. *Attelabus* T. 2 f. 3.
HERBST. *Col.* VII. p. 129. n° 4. T. 104. f. 4.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 422. n° 31. — *Ent. Syst.* I. II. p. 388. n° 19.
Curculio id. HERBST. *Arch.* p. 71. n° 22. T. 24. f. 10.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1754. n° 167.
Mechoris. id. BILLB. *Enum. Ins.* p. 39.
Involvulus marginatus. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 476. n° 503.

Patria: Hungaria.

4. R. COERULEOCEPHALUS. ♂♀

Pubescens, cœruleus, thorace punctulato, testaceo, antice non reflexo, elytris testaceis, striato-punctatis, interstitiis vix punctulatis, rostro mediocri, recto. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 26. n° 37. *Attelabus.* T. 2. f. 37.
HERBST. *Col.* VII. p. 130. n° 5. T. 104. f. 5.
BILLB. *Enum. Ins.* p. 39

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 34. — *Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 21.

PANZ. *Faun. Germ.* XCIV. n° 6. — *Ent. Germ.* p. 296. n° 9.

Dict. des scienc. nat. III. p. 291. n° 4.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 235. n° 7.

Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 99. n° 33.

SCHALL. *In Acta Holm.* I. p. 282.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 481. n° 44.

VILL. *Ent.* IV. p. 284.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1753. 158.

Curculio cyanocephalus. HERBST. *Arch.* p. 72. n° 23. T. 24. f. 11.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 498. n° 120.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1754. n° 168.

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 26. f. 4.

HARRER. *Beschr.* n° 306.

Patria: Europa temperata.

5. R. ÆQUATUS. ♂♀

Obscure æneus, punctatissimus, fusco-pubescens, elytris rubris, profunde punctato-striatis, thorace canaliculato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 25. n° 5.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 24. n° 33. *Attelabus.* T. 2. f. 33.

HERBST. *Col.* VII. p 132. n° 8. T. 104. f. 8.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 422. n° 32. — *Ent. Syst.* I. II. p. 388. n° 20.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 173. n° 6. α et β.

PANZ. *Faun. Germ.* XX. 8. — *Ent. Germ.* p. 296. n° 8.

Dict. des scienc. nat. III. p. 292. n° 3.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 235. n° 6.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 316.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 305. n° 32.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 9. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1744. n° 9.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 130. n° 126. α et β.

RAZOUM. *Hist. nat.* I. p. 147. n° 41.

VILL. *Ent.* I. p. 175. n° 6.

Involvulus id. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 476. n° 505.

Attelabus purpureus. OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 281. n° 17.

GEOFF. *Ins.* I. p. 270. n° 4. *Rhinomacer.*

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 171. f. 3. α. β.

HARRER. *Beschr.* n° 286.

♂♀ VAR. β. Antennarum medio pedibusque rufis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* loc. cit. var. β.

Curculio æquatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 238. n° 1.

Attelabus bicolor. ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* I. p. 24. n 111. et II. app. p. 131 ? — Ed. HELLER. I. p. 383. n° 111.?

DONOV. *Brit. Ins.* Tab. 101. f. 1. 2.

Patria : Europa borealis et temperata.

6. R. CUPREUS. ♂♀

Supra obscure æneus, opacus, tenue griseo-pubescens, subtus obscurior, elytris sub-quadratis, profunde punctato-striatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 24. n° 4.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 35. — *Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 22.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 173. n° 5.

PANZ. *Ent. Ger.* p. 296. n° 10.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 235. n° 8.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 389.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 405. n° 35.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 593. — *Syst. nat.* I. II. p. 608. n° 21. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1748. n° 21.

FABR. *Mant.* I. p. 100. n° 34. — *Sp. ins.* I. p. 166. n° 26. — *Syst. ent.* p. 131. n° 20.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 135. n° 125.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 481. n° 45.

MARSH. *Ent. Br.* p. 239. n° 4.

VILL. *Ent.* I. p. 179. n° 17.

Rhynchites punctatus. HERBST. *Col.* VII. p. 131. n° 1. T. 104. 5. 7. a. ♂ forte.

Attelabus æneus. LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 89. n° 11.

Involvulus metallicus. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 477. n°. 506.

♀ VAR. β. Fusco-cupreus, elytris femoribusque purpurascenti-cupreis.

GYLLENH. loc. cit. var. β.

R. cupreus. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 28. n° 41. T. 2. f. 41.

HERBST. *Col.* VII. p. 138. n° 14. T. 105. f. 2. a.?

PANZ. *Faun. Germ.* XX. n° 9.

Curculio purpureus. LINN. *Faun. Suec.* Ed I. p. 157. n° 457. Ed. II. n° 585. — *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 14. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1785. n° 14.

FABR. *Mant.* I. p. 102. n° 64. — *Sp. ins.* I. p. 169. n° 48.
BERGST. *Nomencl.* I. p. 16. n° 12. T. 2. f. 12.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 298. n° 23.
VILL. *Ent.* I. p. 176. n° 11.
Attelabus purpureus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 391. n° 34.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 237. n° 14.
Apion purpureum. HERBST. *Col.* VII. p. 121. n° 23.
♀ VAR. δ. Thorace nigro-cœrulescente.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 529. n° 4. var. c.

Patria : Europa borealis et temperata.

7. R. ÆNEUS. ♀. *Knoch.*

Virescenti-æneus, griseo-pilosus, thorace inæquali, antennis nigris, pedibus piceis.

BOHEM. *In Acta Mosq.* VI. p. 22. n° 22.

Patria : America borealis.

8. R. OBSCURUS. ♂♀. *Megerle.*

Oblongo-ovatus, pubescens, obscure æneus, rostro longissimo, tenui, sub-recto, thorace brevi, confertissime punctulato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis impunctatis.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 191.
R. punctatus. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 29. n° 42. *Attelabus.* T. 2 f. 2. forte.
VAR. β. Corpore toto cœruleo-virescente.

Habitat in Germania, Gallia. Mus. SCHH. et GHL.

R. minuto parum major. Caput sub-quadratum, convexum, punctatum, viridi-æneum, parce pubescens; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum dimidio corpore longius, tenue, fere rectum, subtiliter striatum et punctatum, basi æneum, extrorsum nigro-violaceum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, nigræ, clava brevi, coarctata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, confertissime punctulatus, obscure æneus, pubescens. Scutellum thoraci concolor, apice obtusum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, sub-angulatis, lateribus pone medium ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra pone scutellum transversim impressa

posterius convexa, sat profunde striata et in striis punctis magnis, profundis, sub-remotis impressa; ænea, magis nitida, pube longiore fusca adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctatum, virescens. Corpus subtus punctulatum, virescens, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, cinereo-pubescentes, femoribus parum crassis, viridi-æneis, tibiis tarsisque nigris, his subtus albido-spongiosis.

VAR. β. Differt tantum colore totius corporis coeruleo-virescente. GHL.

* 9. R. ÆRATUS. *Say.*

Oblongus, angustior, glaber, supra cupreo subtus virescenti-æneus, antennis tibiisque fusco-piceis, thorace convexo, punctatissimo, elytris crenato-striatis, rostro longo; basi carinato.

Patria: America borealis. A Dom. Prof. SAY, sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, statura *R. nani*, et minimis ejus æqualis. Caput sub-globosum, obsoletius punctulatum, cupreo-æneum; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, perpendiculare, sub-depressum, supra basi carinatum, obsolete punctulatum, fusco-æneum. Antennæ breves, piceæ, clava majuscula, nigra. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, longe intra apicem obsolete transversim impressus, lateribus nonnihil ampliatus, supra convexus, confertissime rugoso-punctatus, cupreo-æneus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, angulatis, lateribus posterius ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in dorso anteriore impressa, posterius convexa, distincte striata, et in striis punctis sub-transversis impressa, unde quasi crenata videntur; tota cupreo-ænea. Corpus subtus convexus, punctatum, virescenti-æneum, magis nitidum. Pedes mediocres, femoribus punctulatis, viridi-æneis, nitidis, tibiis tarsisque nigro-piceis. GHL.

10. R. PLANIROSTRIS. ♂♀

Oblongo-ovatus, niger, longius pubescens, rostro elongato, striato, basi carinato, apice dilatato, capite thoraceque vix punctatis, elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis planis lævibus.

Attelabus planirostris FABR. *Syst. el.* II. p. 425. n° 49. forte.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 307. n° 49.
R. æthiops. CREUTZER. *In Litt.*
—— *niger.* (Megerle) DEJEAN. *Cat. Col.* p. 80.
Curculio crassi[illegible] [illegible] V. p. 565. n° 22.?

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1759. n° 565.?
Leske. *Mus.* p. 19. n° 393.?

Habitat in Austria, Tauria, Volhynia. Mus. Schh.

R. Betulæ paulo minor. Caput sub-quadratum, convexum, postice subtilissime strigosum, fronte obsolete, remote punctulata; nigrum, sub-nitidum, fusco-pubescens; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue arcuatum, basi supra carinatum, lateribus striatum, apice nonnihil ampliatum et deplanatum, punctatum, nigrum, fusco-pubescens. Antennæ validiusculæ, nigræ, dense cinereo-pubescentes. Thorax latitudine media vix brevior, anterius paulo angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, supra in disco modice convexus, obsolete, subtiliter rugulosus, niger, sub-nitidus, dense fusco-pubescens. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus pone medium nonnihil latiora, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra pone scutellum leviter impressa, posterius convexa, parum profunde striata, et in striis sub-remote punctata, interstitiis planis, lævibus; nigra, pube longa, erecta, fusca, adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctatum, nigrum. Corpus subtus nigrum, parce pubescens, anterius confertim punctatum, ventre magis lævi, nitido. Pedes validi, nigri, pubescentes, femoribus medio crassioribus, muticis, tarsis elongatis, subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

11. R. Piceus.

Ovatus, piceus, lævis, antennis pedibusque dilutioribus, thorace sub-conico, punctato-rugoso, elytris transversim rugulosis, punctato-sulcatis.

Germar. *Ins. spec.* I. p. 187. n° 311.

Patria: Brasilia.

12. R. Rugosus. ♂♀

Subtus cupreo-auratus, supra viridi-sericeus, thorace, elytrisque rugoso-punctatis.

Habitat in betulis Sibiriæ australis. Mus. Schh. et Gebler.

Supra viridi-æneus, nitidus; rostrum, latera elytrorum, corpus subtus et pedes cupreo-aurati. Caput oblongum, depressum, dense punctatum, fronte impressa, rugosa; oculi fusci, parum promi-

nuli; rostrum capite longius, planum, rugosum, apice dilatatum. Antennarum structura ut in *R. Betuleti*. Thorax antice truncatus, lateribus dilatatus, postice sub-sinuatus, supra modice convexus, dense ruguloso-punctatus, ad basin et apicem transversim impressus. Scutellum punctulatum. Elytra thorace latiora et triplo fere longiora; humeris prominulis, postice paulo latiora, apice singulatim rotundata, supra plana, postice valde declivia, dense rugoso-punctata, punctis magnis, confuse striatim dispositis. Pygidium dense punctatum. Corpus subtus, ruguloso-punctulatum, auratum, tenue griseo-pubescens; pedes graciles, mutici. — Femina differt: thorace, latiore rugosiore et spina antrorsum porrecta armato.

Observatio. — Summa affinitas *R. Betuleti;* differt thorace profundius punctato et feminæ latiore, convexo, elytris multo rugosioribus. Specimina Europæ *R. Betuleti* primo intuitu a *R. rugoso* discernenda; at specimina sibirica difficilius. GEBLER.

* 13. R. GIGANTEUS. *Megerle.*

Cupreo-æneus, parce pubescens, capite elongato, rostro longo, arcuato, thorace lateribus ampliato, antennis versus apicem rostri insertis, tarsisque nigro-violaceo-æneis.

Habitat ad Odessa. Dom. BESSER. Mus. SCHH.

Specimen nostrum forte femineum. *R. aurato* Scop. et affinibus simillimus, sed maximis illorum adhuc major et in pluribus diversus. Caput oblongo-quadrangulum, fronte parum convexa, confertim punctato, vertice convexiore, transversim strigoso; cupreo-æneum, sub-nitidum; oculi sub-ovati, convexi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, valde arcuatum, rugoso-punctatum, basi carinatum, cupreo-æneum, apice violaceo-tinctum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, breviusculæ, validæ, pilosæ, nigro-æneæ, clava atra. Thorax latitudine media non longior, anterius multo angustior, apice truncatus et intra apicem constrictus, rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, confertim ruguloso-punctatus, obscurius cupreo-æneus, parce pubescens. Scutellum latum, depressum, nigro-virescens, punctulatum, pubescens, apice obtuse rotundatum. Elytra ampla, apice singulatim rotundata, margine interiore elevato; thoracis basi fere dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, obsoletius striatim punctata, confertissime ruguloso-punctata, cupreo-ænea, sub-nitida, densius pubescentia. Corpus subtus confertim punc-

tulatum, cupreo-æneum, nitidum, densius cinereo-pubescens. Pedes longiusculi, validi, punctulati, pubescentes, cupreo-ænei, tarsis dilatatis, violaceo-æneis, subtus brunneo-spongiosis. GHL.

14. R. AURATUS. ♂♀. *Scop.*

Virescenti vel aureo-cupreus, longius pubescens, rostri apice, antennis tarsisque nigris; capite elongato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis confertissime punctato-sub-rugosis. GHL.

Mas. *Antennis in medio rostri insertis, thorace mutico.*

Femina. *Antennis apicem rostri propius insertis, thorace antice utrinque spina porrecta, acuta armato.*

Curculio auratus. SCOP. *Ent. Carn.* p. 26. n° 77.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1757. n° 195.
R. Bacchus. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 20. n° 27. *Attelabus.* T. 2. f. 27. a. b. c.
GYLLENH. *Ins. Suec.* II. p. 23. n° 3. ♂ — Var. β. ♀
LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 248. n° 1. — *Dict. Class. d'Hist. Nat.* p. 584.
HERBST. *Col.* VII. p. 124. n° 1. T. 104. f. 1.
FABR. *Syst. el.* II. p. 421. n° 27. Variat sexu.
Attelabus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 172. n° 4. ♂
PANZ. *Faun. Germ.* XX. n° 5. ♀ — *Brit. Rev.* I. p. 123.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 85.
OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 281. n° 16.
Dict. des scienc. nat. III. p. 291. n° 5.
CUVIER. *Dyrhist.* II. p. 176. n° 7.
VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 47. n° 6. T. 54. f. 6. ♀
Curculio id. CUVIER. *Règne anim.* III. p. 325.
Rhynchites rubens. (Meg.) DEJEAN. *Cat. Col.* p. 80.
Curculio aurifer. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 563. n° 18.
FRISCH. *Ins.* XII. p. 17. n° 12. pl. 2. T. 8.

Patria: Europa temperata et meridionalis, Sibiria.

15. R. BACCHUS. ♂♀. *Linn.*

Auratus, pubescens, rostro thorace longiore, tenui, nigro-violaceo, capite brevi, oculis globoso-prominulis, thorace inermi (maris) subconico aut (feminæ) sub-globoso, dorso profunde punctato. GERM.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 421. n° 27. — *Ent. Syst.* I. II. p. 387. n° 15.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 234. n° 3.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 245. n° 5.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 38. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1752. n° 38.

FABR. *Mant.* I. p. 99. n° 29. — *Sp. ins.* I. p. 165. n° 22. — *Syst. ent.* p. 130. n° 15.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 133. n° 124.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 153. n° 5.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 112. n° 286. — Ed. HELLER. p. 119. n° 286.

SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 105. n° 199.

SCOP. *Ann.* V. *Hist. nat.* p. 90. n° 42.

OKEN. *Naturg.* III. p. 773.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 234. n° 798.

SULZ. *Gesch. d. Ins.* p. 38. n° 4. T. 4. f. 4.

HERBST. (Borowsky) *Naturg.* VI. p. 109. n° 5.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 240. n° 6.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 467. n° 10.

VILL. *Ent.* I. p. 184. n° 33.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. p. 226. n° 38.

BLUMENB. *Handb.* Ed. 7. p. 328. n° 5.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 850. n° 4.

Rhinomacer id. LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 238. n° 1.

Involvulus id. SCHRANK. *Faun. Boica.* p. 474. n° 497.

Rhynchites laetus. GERM. *Ins. spec.* I. p. 186. n° 309.

Curculio purpureus. DE GEER. *Ins.* V. p. 250. n° 38.

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 37. fig. 13.

HARRER. *Beschr.* I. p. 189. n° 308.

DONOV. *Brit. ins.* Tab. 34. f. 1.

Patria: Europa temperata et meridionalis.

16. R. RECTIROSTRIS. ♂

Virescenti-cupreo-aureus, longius pubescens, rostro sub-recto, antice dimidiato-nigro, antennis medio rostri insertis, tarsisque nigro-æneis, thorace parum dilatato, punctatissimo, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis confertim rugoso-punctatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Parisiis. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *R. aurati* Scopoli, sed rostrum fere rectum, antice dimidiato-nigrum, antennæ in medio rostri insertæ et thorax in utroque sexu muticus. Caput sub-qua-

dratum, fronte parum convexa, rude rugoso-punctata, vertice transversim strigoso; viridi-aureum, nitidum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum feminæ longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius, in utroque fere rectum, deflexum, rugoso-punctatum, a basi ad medium viridi-aureum, dein nigrum, ad latera aureo-conspersum, apice nonnihil dilatatum. Antennæ utriusque sexus in medio rostri insertæ, sub-tenues, pilosæ, nigræ, cupreo-tinctæ. Thorax latitudine vix brevior, apice paulo angustior, truncatus, lateribus perparum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctato-rugosus, viridi-aureo-cupreus, nitidus, lateribus et subtus albido-pubescens. Scutellum semi-orbiculatum, viride, punctulatum, pubescens. Elytra antice singulatim rotundata, margine juxta scutellum elevato, thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, ante medium transversim impressa, punctis majusculis, remotis, obsoletius striata, interstitiis confertim rugoso-punctatis; virescenti-aureo-cuprea, nitida, cinereo-pubescentia. Corpus subtus virescenti-aureo-cupreum, nitidum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, aut viridi-ænei, aut cupreo-aurei, punctati, cinereo-pubescentes, tarsis nigricantibus; subtus albido-spongiosis. GHL.

17. R. POPULI. ♂♀

Supra viridi-æneus nitidus, glaber, rostro, pedibus corporeque subtus cæruleo-violaceis, fronte profundius canaliculata; femina: thorace utrinque spina porrecta armato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 21. n° 2. et var. 6.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 20. n° 28. *Attelabus.* T. 2. f. 28.
HERBST. *Col.* VII. p. 128. n° 3. T. 104. f. 3.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 196. n° 2.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 422. n° 29. — *Ent. Syst.* I. II. p. 388. n° 17.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 171. n° 3. var. γ.
PANZ. *Faun. Germ.* XX. n° 7. — *Ent. Germ.* p. 295. n° 7.
OLIV. *Enc. méth.* VII. p. 28. n° 15.
Dict. des. scienc. nat. III. p. 292. n° 6.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 315.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 235. n° 5.
SCHRANK. *In Naturg.* XXIV. p. 70. n° 26.
SCRIBA. *Journ.* p. 29. n° 26.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 606. — *Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 40. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1752. n° 40.

FABR. *Mant.* I. p. 99. n° 31. — *Sp. ins.* I. p. 166. n° 24. — *Syst. ent.* p. 131. n° 17.

DE GEER. *Ins.* V. p. 249. n° 37.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 132. n° 123. var. γ.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 241. n° 9.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 471. n° 12.

BECHST. et SCHARFENB. *Forst.* I. p. 156. n° 7.

VILLERS. *Ent.* I. p. 185. n° 35.

Rhinomacer id. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 110. n° 2. T. 13. f. 3-4.

MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 90. n° 1012.

Involvulus id. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 475. n° 499.

GEOFF. *Ins.* I. p. 270. n° 3. *Rhinomacer.*

SCHÆFF. *Icon.* Tab. 104. f. 4. et T. 56. f. 8.

HARRER. *Beschr.* n° 309.

GLEDITSCH. *Einleit.* I. p. 454. n° 10. et p. 343. n° 13.

♂♀ VAR. б. Dimidio minor, thorace elytrisque supra rubro-cupreis.

GYLLENH. loc. cit. var. c.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 296. n° 2. var. б.

Patria: Europa borealis et temperata, Sibiria.

18. R. BETULETI. ♂♀

Supra viridi-sericeus, nitidus, glaber, corpore, pedibus rostroque viridi-aureis, fronte parum impressa; femina: thorace utrinque spina porrecta, acuta armato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 19. n° 1. et var. б.

HERBST. *Col.* VII. p. 126. n° 2. T. 104. f. 2.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 295. n° 1.

DEJEAN. *Cat. Col.* p. 80.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 421. n° 28. — *Ent. Syst.* I. II. p. 387. n° 16.

PANZ. *Faun. Germ.* XX. n° 6. — *Ent. Germ.* p. 295. n° 6.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 314.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 235. n° 4.

Dict. des scienc. nat. III. p. 292. n° 7.

CUVIER. *Dyrhist.* II. p. 176. n° 8.

FISCH. *Naturg. v. Livl.* p. 134. n° 274.

Curculio betulæ. LINN. *Faun. Suec.* n° 605. — *Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 39. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1752. n° 39.

Fabr. *Mant.* I. p. 99. n° 30. — *Sp. ins.* I. p. 165. n° 23. — *Syst. Ent.* p. 130. n° 16.

De Geer. *Ins.* V. p. 248. n° 5. T. 7. f. 25-26.

Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 112. n° 287. — Ed. Heller. p. 119. n° 287.

Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 469. n° 11.

Schrank. *Enum. Ins.* p. 104. n° 197.

Bechst. et Scharfenb. *Forstins.* I. p. 155. n° 6.

Villers. *Ent.* I. p. 185. n° 34.

Sulz. *Gesch. d. Ins.* p. 38. n° 3. T. 4. f. 3.

Gleditsch. *Einleit.* I. p. 439. n° 12.

Poda. *Mus Græc.* p. 27. n° 3.

Rhynchites Betulæ. Oliv. *Ent.* V. 81. p. 21. n° 29. *Attelabus.* T. 2. f. 29. a.

Attelabus id. Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 280. n° 14.

Rhinomacer id. Laich. *Tyr. Ins.* I. p. 239. n° 2.

Attelabus populi. a. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 170. n° 3.

Curculio id. Payk. *Mon. Curc.* p. 131. n° 123.

Rhinomacer viridis. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 113. n° 2.

Rhinomacer alni. Mull. *Zool. dan. Pr.* p. 91. n° 1022.

Involvulus id. Schrank. *Faun. Boica.* I. p. 474. n° 498.

Geoffr. *Ins.* I. p. 270. n° 1. *Rhinomacer.*

Donov. *Brit. Ins.* Tab. 74.

Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 226. n° 39.

♂♀ Var. β. Supra coeruleo-violaceus, subtus cum pedibus rostroque viridi-sericeus.

Gyllenh. *Ins. Suec.* loc. cit. var. c.

Oliv. *Ent.* loc. cit. Tab. 2. f. 29. b.

Zetterst. *Enum. Ins. Lapp.* I. p. 296.. n° 1. var. b.?

Curculio Betulæ, var. violacea. Donov. *Brit. ins.* Tab. 74.

Curculio nitens. Marsh. *Ent. Br.* p. 242. n° 10.

Schæff. *Icon.* Tab. 6. f. 4.

Harrer *Beschr.* p. 190. n° 310.

♂♀ Var. γ. Totus supra et infra cœruleo-violaceus. — Gyllenh. loc. cit. var. d.

Attelabus Betuleti, var. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 387. n° 16.

Curculio Betulæ, var. Fabr. *Sp. ins.* I. p. 166. n° 23.

Attelabus populi, var. β. Payk *Faun. Suec.* III. p. 171.

Curculio id. Payk. *Mon. Curc.* p. 132.

Curculio violaceus. Scop. *Ent. Carn.* p. 26. n° 78.

Schrank. *Enum. ins.* p. 104. n° 198.

Poda. *Mus. Græc.* p. 22.

Rhinomacer bi-spinus. MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 91. n° 1023.
Curculio id. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1804. n° 526.
Rhinomacer uni-spinus. MULL. loc. cit. n° 1024.
Rhinomacer inermis. MULL. loc. cit. n° 1025.
Curculio id. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1804. n° 527.

Patria : Europa borealis, temperata et meridionalis.

19. R. PARELLINUS. ♀. *Schh.*

Oblongo-ovatus, pubescens, cœruleo-vineus, rostro longiore, arcuato, thorace punctatissimo, sub-carinato, elytrorum interstitiis confertim vage punctulatis.

Habitat in Sibiria, Persia et Caucaso. Dom. STEVEN et GEBLER. Mus. SCHH.

R. sericei. Herbst, quoad staturam, colorem et pubescentiam similis, sed paulo minor, rostro longiore, arcuato, thorace profundius punctato, leviter carinato et elytrorum interstitiis confertim punctulatis, distinctus. Caput convexum, fronte sub-retusa; profunde punctatum, vertice leviter transversim strigoso; cœruleum, pubescens; oculi laterales, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, filiforme, valde arcuatum, supra basi carinatum, undique punctatum, nigro-cœruleum, parce pubescens. Antennæ in medio rostri insertæ, breviusculæ, nigro-cœruleæ, clava magna, fusco-pubescente. Thorax latitudine media parum brevior, anterius paulo angustior, truncatus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra valde convexus, fere pulvinatus, confertim et sat profunde rugoso-punctatus, in medio leviter carinatus, pubescens, cœruleus. Scutellum mediocre, concolor, apice obtusum. Elytra ampla, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, basi singulatim rotundata, lateribus inflexa, apice etiam singulatim rotundata, dehiscentia, thorace quintuplo longiora, supra convexa, punctato-sub-striata, punctis majusculis, remotis, interstitiis confertim vage punctulatis; cœruleo-sub-virescentia, pube fusca adspersa. Pygidium transversum, apice rotundatum, confertim punctatum, cœruleum. Corpus subtus cœruleo-virescens, thorace pectoreque profunde punctatis, ventre magis nitido, subtilius punctulato, parum pubescente. Pedes longiusculi, validi, pubescentes, femoribus cœruleo-virentibus, punctatis, tibiis tarsisque nigricantibus, tarsorum articulo tertio bilobo, subtus albo-spongioso. GYH.

* 20. R. Pubescens.

Oblongus, cœruleus, pubescens, rostro longiore, sub-recto, supra carinato, thorace punctulato, lateribus rotundato, elytris punctato-sub-striatis, interstitiis obsolete sub-seriatim punctulatis.

Herbst. *Col.* VII. p. 139. n° 16. Tab. 105. f. 3.
Oliv. *Ent.* V. 81. p. 24. n° 34. *Attelabus* Tab. 2. f. 34.
Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 421. n° 25. — *Ent. Syst.* I. II. p. 387. n° 14.—*Mant.* I. p. 124. n° 9. —*Sp. ins.* I. p. 200. n° 5.
Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 280. n° 12.
Dict. des sciences nat. III. p. 292. n° 8.
Illig. *Mag.* VI. p. 305. n° 25.
Germ. *in Wetter. Annal.* II. p. 123. n° 5?
Panz. *Ent. Germ.* p. 295. n° 4.
Villers. *Ent.* I. p. 222. n. 13. et IV. p. 296. n° 13.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1810. n° 18.
Curculio id. Fabr. *Syst. ent.* p. 131. n° 19.
Marsh. *Ent. Br.* p. 240. n° 7.
Rhynchites virescens. Thunb. *Nov. Acta Ups.* VII. p. 117. forte.

Patria : Europa temperata.

R. sericeo longior, sed non latior, rostro longiore, aliter insculpto, capite breviore, elytrorum striis obsoletioribus, remotius punctatis, interstitiis parce, obsolete punctatis, distinctus. Caput transversim quadrangulum, parum convexum, punctulatum, vertice transversim strigoso; cœruleum, nitidum, fusco-pubescens; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite longius, rectum, protensum, punctatum, supra carinatum, carina anterius latiore, plana; lateribus pone antennas canaliculatum, nigrum, basi cœruleo tinctum. Antennæ in medio rostri insertæ, sub-tenues, nigræ, pilosæ, clava oblonga, cinereo-pubescente. Thorax latitudine fere brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, confertim subtilius punctulatus, cœruleus, nitidus, pubescens. Scutellum breve, latum, truncatum, concolor. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, ante medium transversim impressa, obsoletissime striata, striis punctis sub-remotis impressis, interstitiis planis, obsolete et remote sub-seriatim punctulatis; cœrulea, nitida, fusco-pubescentia. Corpus subtus cœruleum, nitidum, pectore densius, ventre subtilius

et remotius punctulatis, parum pubescentibus. Pedes elongati, pubescentes, femoribus clavatis cœruleis, nitidis, tibiis nigricantibus, scabris, tarsis dilatatis nigris, subtus cinereo-spongiosis.
Ghl.

* 21. R. Cavifrons. *Chevrolat.*

Oblongus, cœruleo-virescens, longius pubescens, rostro sub-recto, basi carinato, capite longiore, fronte impressa, thorace punctato, lateribus rotundato, elytris punctato-sub-striatis, interstitiis obsolete sub-seriatim punctulatis.

Patria: Gallia, Parisiis. A Dom. Chevrolat hoc nomine amice communicatus. Mus. Schh.

R. pubescenti simillimus et valde affinis, capite longiore, fronte impressa et rostro basi tantum carinato unice fere distinctus. Caput oblongo-quadratum, punctulatum, postice transverse strigosum, cœruleo-virescens, pubescentia longiori, erecta, fusca adspersum; fronte inter oculos impressa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite longius, sub-rectum, validum, supra inæquale, basi carinula brevi, supra plana instructum, inter antennas sulco brevi impressum, cæterum colore, punctura et indumento capitis. Antennæ thoracis basin fere attingunt, pilosæ, nigræ. Thorax latitudine medii paulo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra modice convexus, pulvinatus, confertim punctatus, cœruleo-virescens, pube longa, fusca vestitus. Scutellum breve, apice truncatum, concolor. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, ante medium dorsi transversim impressa, punctato-sub-striata, interstitiis obsolete seriatim punctulatis; cœruleo-virescentia, fusco-pubescentia. Corpus subtus cœruleo-virescens, nitidum, pectore confertim, ventre vix punctulatis, albido-pubescentibus. Pedes elongati, validi, cinereo-pubescentes, femoribus sub-clavatis, cœruleo-virentibus, tibiis scabris, nigricantibus, tarsis dilatatis nigris, subtus albido-spongiosis. Ghl.

22. R. Sericeus. *.

Oblongo-ovatus, pubescens, cyaneo-virens, rostro brevi, supra bi-carinato, thorace longiore, remotius punctato, elytrorum interstitiis vage punctulatis, dorsalibus antice sub-costatis.

Herbst. *Col.* VII. p. 135. n° 12. T. 104. f. 12.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 305. Not. sub *Attelabo pubescente.*

Attelabus pubescens. LATR. *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 90. forte.

Rhynchites azureus. DEJ. *Cat. Col.* p. 80. Teste Dom. CHEVROLAT. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 191.

Habitat in Germania. HERBST. In Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH. et GHL.

R. pubescenti et *parellino* simillimus et affinis, ab utroque tamen rostro breviori, aliter insculpto, et a *R. parellino* præterea thorace longiore, remotius et subtilius punctato, distinctus. Caput magnum, oblongum, punctatum, pubescens, cœruleo-virens, vertice seu collari angustiori, subtilissime transversim strigoso; oculi majusculi, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum vix capite longius, crassum, sub-rectum, parce punctatum, pubescens, magis virens, supra carinulis duabus, antice abbreviatis, utrinque conniventibus, instructum. Antennæ vix medium thoracis attingunt, crassiusculæ, nigræ, fusco-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine medii vix brevior, anterius multo angustior, apice truncatus et intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra parum convexus, sub-remote et minus profunde punctatus, cyaneo-sub-virescens, pilis erectis fuscis adspersus; in medio dorsi linea obsoleta impunctata, vix elevata. Scutellum punctatum, concolor, apice obtusum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus inflexa, non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis vage punctulatis et sub-rugosis, dorsalibus, præsertim anterius sub-costatis; tota cœrulea vel sub-cyanea, pubescentia. Pygidium subconicum, punctatum, pubescens, aut cœruleum, aut virens. Corpus subtus cœruleo-virescens, nitidum, obsolete punctulatum, parce pubescens, pectoris lateribus profundius punctatis. Pedes longiusculi, validi, pubescentes, femoribus punctatis cœruleo-virentibus, tibiis cœrulescenti-nigris, tarsis nigro-fuscis, subtus cinereo-spongiosis. GHL.

* 23. R. MEXICANUS. *Chevrolat.*

Oblongus, ater, pubescens, rostro recto, protenso, basi carinato, thorace longiore, confertim rugoso-punctato, elytris cœrulescentibus, distincte punctato-striatis, interstitiis seriatim punctatis.

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT sub hac denominatione benevole missus. Mus. SCHH.

R. pubescenti, sericeo, parellino et *cavifronti*, quoad magnitudinem, staturam et pubescentiam similis, distinctus tamen notis in diagnosi indicatis. Caput oblongo-quadratum, parum convexum, disperse punctatum, nigrum, nitidum, fusco-pubescens, vertice subtiliter strigoso; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite dimidio longius, porrectum, vix arcuatum, versus apicem ampliatum, supra a basi ultra medium carinatum, punctatum, nigrum, pubescens. Thorax latitudine paulo longior, anterius nonnihil angustior, basi apiceque truncatus, lateribus parum ampliatus, supra minus convexus, confertim rugoso-punctatus, ater, nitidus, fusco-pubescens, posterius in medio tenuiter canaliculatus. Scutellum breve, truncatum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, rectangulatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, distincte striata et in striis confertim punctata, interstitiis planis, evidenter, remote seriatim punctatis; nigro-cœrulea, sub-nitida, pubescentia breviore, erecta, fusca vestita. Pygidium semi-ellipticum, punctatum, cœrulescens. Corpus subtus atrum, nitidum, inæqualiter punctatum, parce pubescens. Pedes elongati, atri, fusco-pubescentes. GHL.

* 24. R. OLIVACEUS. *Schh.*

Oblongus, cœrulescenti-olivaceus, parcius pubescens, rostro brevi, basi carinato, capite thoraceque obsoletius punctulatis, elytris punctato-sub-striatis, interstitiis obsoletissime seriatim punctulatis.

Patria : Galliæ meridionalis Alpes inferiores. Dom. von WINTHEIM. Mus. SCHH.

R. sericeo valde affinis, paulo angustior, sculptura rostri, punctura subtiliore et colore tamen distinctus videtur. Caput latum, quadratum, parum convexum, obsoletius punctulatum, postice subtiliter strigosum, nigro-cœrulescens; oculi magni, semi-globosi, brunnei; rostrum capite vix longius, validum, porrectum, punctatum, supra a basi fere ad antennarum insertionem carinatum, nigrum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, nigræ, pilosæ, clava valde elongata, articulis discretis, ultimo acuto. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, supra modice convexus, obsoletius punctulatus, fusco-virescens seu olivaceus, parce pubescens. Scutellum apice obtusum, concolor. Elytra ampla, antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-elevatis, angulatis; lateribus non ampliata,

apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra minus convexa, in dorso anteriori impressa, punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime et remote seriatim punctulatis; fusco-virentia seu olivacea, parce pubescentia. Corpus subtus punctulatum, cœruleo-sub-virescens, vix pubescens. Pedes longiusculi, cœruleo-virescentes, parce pubescentes, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

* 25. R. Comatus.

Oblongus, cœruleus, densius pilosus, rostro breviusculo, recto, subcarinato, capite magno, quadrangulo, thorace longiore, evidenter confertim punctato, elytris punctato-sub-striatis, interstitiis subremote seriatim punctatis.

Dej. *Cat. Col.* p. 80.

Patria : Gallia, Parisiis. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Statura oblonga *R. pubescentis,* sed triplo minor et ultra; *R. conico* æqualis et similis, sed rostrum rectum, antennæ longiores, etc. Caput magnum, oblongum, antice latius, minus dense punctatum, vertice transversim strigoso; cœruleum, nitidum, longius pubescens; oculi maximi, semi-globosi, brunnei; rostrum vix longitudine capitis, rectum, rugoso-punctatum, versus basin leviter carinatum, capiti concolor. Antennæ in medio rostri insertæ, thoracis basin fere superant, nigræ, pubescentes, clava valde elongata. Thorax latitudine longior, antice fere dimidio angustior, non constrictus, basi apiceque truncatus, lateribus modice ampliatus, supra parum convexus, obsolete canaliculatus, confertim evidenter punctatus, cœruleus, nitidus, longius pubescens. Scutellum latum, punctulatum, concolor, apice obtusum. Elytra ampla, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-elevatis, angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra posterius convexa, in dorso antico fere plana, remote punctato-striata, interstitiis etiam remote seriatim punctatis; cœrulea, nitida, pubescentia. Corpus subtus confertim punctulatum, cœruleo-virescens. Pedes longiusculi, validi, pubescentes, punctati et scabri, cœruleo-virescentes, tarsis dilatatis nigris, subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

* 26. R. Cyanicolor.

Oblongus, cœruleus, densius pubescens, rostro recto, punctato, nigro, capite lato, transverso, thorace profundius, sub-disperse punctato, elytris punctato-sub-striatis, interstitiis remote seriatim punctatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

R. comato valde affinis, sed fere duplo major; rostrum paulo longius, nigrum, caput brevius, thorax disperse punctatus, unde diversus videtur. Caput longitudine latius, transversim quadrangulum, convexum, disperse punctatum, vertice anguste strigoso; cœruleum, nitidum, pubescens; oculi magni, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis, validum, rectum, confertim punctatum, vix carinatum, nigrum. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus modice ampliatus, supra convexus, posterius obsolete canaliculatus, sat profunde sed disperse punctatus, cœruleus, nitidus, pubescens. Scutellum breve, latum, apice rotundatum, concolor. Elytra ampla, thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rectangulis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, ante medium dorsi, transversim impressa, punctato-sub-striata, interstitiis planis, seriatim remote punctatis; cyaneo-cœrulea, nitida, pube longa fusca adspersa. Corpus subtus obsolete punctatum, cœruleum, nitidum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, pubescentes, femoribus punctulatis cœruleis, tibiis obscure virescentibus, scabris, tarsis dilatatis, nigris, subtus albido-spongiosis. GHL.

* 27. R. TRISTIS.

Ovatus, niger, fusco hirtus, thorace discoideo, confertim rugoso-punctato, canaliculato, coleopteris cyaneis, profunde punctato-sulcatis, interstitiis convexis, punctulatis. — (Secundum specimen a Dom. SCHNEIDER communicatum.)—GERM.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 38.—*Ent. Syst.* IV. App. p. 454. n° 23-24.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 306. n° 38.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 276. n° 12.

Rhynchites thoracocircularis. KNOCH. *in Litt.*

Observ. Magnitudo *Rhynchitis populi.*

Patria : Germania.

28. R. MEGACEPHALUS.

Oblongus, æneo-niger, sub-pubescens, capite thorace latiore, thorace oblongo, lateribus rotundato, coleopteris oblongo-quadratis, cyaneis, punctato-sulcatis, interstitiis seriatim punctatis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 187. n° 312.

Rhynchites alliariæ. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 26. n° 6.

Attelabus id. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 175. n° 8.

Rhynchites Mannerheimi. Hummel. *Essais ent.* III. p. 45. n° 3. T. 1. f. 4. a. b. et IV. p. 4.

Patria : Saxonia, Petropolis, Suecia australis.

* 29. R. Hirtus.

Oblongus, niger, pilosus, rostro longiore, supra anterius bi-sulcato, thorace disperse punctato, elytris profunde punctato striatis, cœrulescentibus, interstitiis obsolete et remote seriatim punctulatis.—Ghl.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 26. n° 36. *Attelabus* T. 2. f. 36.

Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 421. n° 26.

Observ. — *R. conico* similis, sed paulo minor, rostrum longius, aliter insculptum, thorax disperse, inæqualiter punctatus, color alius, etc.

Patria : Carolina.

30. R. Conicus. ♂♀

Oblongo-ovatus, pubescens, cyaneo-virens, rostro mediocri, subcarinato, thorace angusto, subconico, rugoso-punctato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis.

Illig. *Mag.* VI. p. 306. n° 47.

Germ. *Faun. Ins. Eur.* XIII. Tab. 13.

Attelabus alliariæ. Fabr. *Syst. el.* II. p. 425. n° 47.—*Ent. Syst.* I. II. p. 390. n° 27.

Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 281. n° 18.

Panz. *Ent. Germ.* p. 297. n° 16.

Walcken. *Faun. Paris.* I. p. 236. n° 10.

Rhynchites id. Oliv. *Ent.* V. 81. p. 25. n° 35. *Attelabus* T. 2. f. 35.

Curculio id. Herbst. *Arch.* p. 70. n° 10.

Schrank. *Enum. Ins.* p, 105. n° 200.

Involvulus id. Schrank. *Faun. Boica.* I. p. 484. n° 520.

Curculio cœruleus. De Geer. *Ins.* V. p. 251. n° 39.

Rhinomacer id. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 154. n° 5.

Curculio nanus. Marsh. *Ent. Br.* p. 238. n° 3.

Attelabus pubescens. Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 137. n° 350.—*Ed.* Hellw. p. 146. n° 350.

Curculio Icosandriæ. Scop. *Ent. Carn.* p. 28. n° 85.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1757. n° 196.

Geoffr. *Ins.* I. p. 271. n° 5. *Rhinomacer.*

Patria: Europa temperata.

R. sericeo similis, sed triplo minor, rostrum longius, magis tenue, carinula simplici, obsoleta instructum, thorax angustior, etc. Caput majusculum, quadratum, sub-convexum, profunde punctatum, cyaneum aut virescens, pilis longis, erectis, fuscis adspersum; oculi majusculi, semi-globosi, brunnei; rostrum sub-tenue punctatum, supra obsolete carinatum, nigrum, maris longitudine capitis, feminæ dimidio longius, magis nitidum. Antennæ nigræ, clava magna, elongata, fusco-pubescente. Thorax angustus, latitudine baseos longior, antrorsum angustior, subconicus, apice truncatus, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi sub-sinuatus, supra parum convexus, sat profunde et sub-remote rugoso-punctatus, in medio dorsi carinula obsoleta, utrinque abbreviata instructus; cyaneus vel cœruleo-virens, longius fusco-pubescens. Scutellum sub-triangulare, nigro-cœruleum, pubescens. Elytra ampla, antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, antice pone scutellum impressa, profunde punctato-striata, interstitio singulo serie punctorum minutissimorum notato; cyanea vel cœrulea, sub-nitida, pilis longis, erectis, fuscis adspersa. Pygidium semi-orbiculatum, convexum, punctatum, cœruleum, pubescens. Corpus subtus cœruleo-virescens, punctatum, parce pubescens. Pedes validi, pubescentes, femoribus medio crassioribus, cœruleo-virentibus, tibiis tarsisque nigris, his dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

Observ. — Ad jam descriptam speciem pertinet *R. alliariæ*. Fabr. teste Dom. Illiger et *Curculio nanus* Marsh. teste Dom. Kirby, ut et *Curculio cœruleus* De Geer; *Curculio alliariæ* Cl. Linnæi vero, monente Dom. Illig. potius ad *R. nanum* referendus; *Attelabus alliariæ* Paykull. et *R. alliariæ* Gyll. Ins. Suec. longe alius est, et idem cum *R. megacephalo* Germ. *Ins. sp.* I. p. 187. n° 312. videtur. GHL.

31. R. PAUXILLUS. ♂ ♀

Ovatus, cyaneus, fusco-hirtus, oculi globosi, prominuli, thorace sub-cylindrico, rude punctato, canaliculato, coleopteris profunde punctato-sulcatis, interstitiis angustis, convexis.

GERM. *Ins. sp.* I. p. 186. n° 310.

Curculio alliariæ. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 113. n° 289. — *Ed.* HELLW. p. 120. n° 289.

Attelabus cœruleus. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 36.?—*Ent. Syst.* suppl. p. 163. n° 22-23.?

Rhynchites germanicus. HERBST. *Col.* VII. p. 134. n° 10. T. 104. f. 10. d. forte.

Involvulus sulcidorsum. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 477. n° 507.?

Patria : Germania, Tauria.

32. R. MINUTUS. ♂ ♀

Ovatus, virescenti-cœruleus, sub-nitidus, pubescens, thorace punctatissimo, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis impunctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 27. n° 7.
HERBST. *Col.* VII. p. 135. n° 11. T. 104. f. 11. e.
Rhynchites arcuatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 80.
VAR. β. Elytris virescentibus.
Rhynchites viridis. MEGERLE *in Litt.*

Patria : Germania, Suecia, Iberia.

* 33. R. FRAGARIÆ.

Oblongo-ovatus, tenue pubescens, thorace oblongo, fusco-æneo, confertissime punctato, lateribus vix ampliato, elytris cœruleis, profunde punctato-sulcatis, interstitiis angustis, convexis.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 191.
VAR. β. Elytris virescentibus.
Curculio æneo-virens. MARSH. *Ent. Br.* p. 239. n° 5. Teste Dom. KIRBY.

Habitat in Germania, Anglia, Gallia. Mus. SCHH. et GHL.

R. minuto proximus, et magnitudine æqualis, thorace lateribus vix ampliato præcipue distinctus. Caput sub-quadratum, confertim punctatum, obscure æneo-virescens, tenue pubescens; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, modice arcuatum, supra fornicatum, obsolete carinatum, punctatum et rugulosum, nigrum, parce pubescens. Antennæ thoracis medium superant, nigræ, pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine longior, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus obliquis, vix vel perparum ampliatis; basi truncatus, supra modice convexus, æqualis, confertissime punctulatus, obscure æneo-virescens, pube brevi, tenui fusca adspersus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris elevatis, angulatis, lateribus vix ampliata, apice singulatim rotun-

data, thorace triplo longiora, supra posterius convexa, pone scutellum transversim impressa, profunde sulcata et in sulcis confertim rude punctata, interstitiis convexis, transversim rugulosis; aut obscure cœrulea, aut ut in var. β, virescentia, pube brevi, tenui, fusca adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctatum, obscure virescens. Corpus subtus nigro-cœrulescens vel virescens, punctulatum, tenue pubescens. Pedes mediocres, nigri, pubescentes, femoribus medio crassioribus, antrorsum virescentibus, tarsis elongatis, subtus albido-spongiosis. GHL.

* 34. R. LONGULUS. *Schh.*

Elongatus, niger, pubescens, rostro longo, tenui, arcuato, striis duabus punctatis exarato, thorace cylindrico, confertim punctulato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis planis, obsoletissime punctulatis.

Patria : Insula Java. Dom. MELLENBORG. Mus. SCHH.

Parvus, *Apione modesto* Germ. vix major. Caput majusculum, oblongum, nigrum, anterius punctatum, vertice tumido, transversim strigoso; oculi rotundati, brunnei, minus prominuli; rostrum dimidio corpore fere longius, sub-tenue, arcuatum, supra utrinque stria punctata exaratum, basi carinatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, breves, nigræ, funiculo tenui, clava magna, oblonga. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, supra convexus, confertim punctulatus, parce pubescens. Scutellum sub-triangulare, concolor. Elytra ampla, antice sub-truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rectangulis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, profunde punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime sub-seriatim punctulatis; nigra, nitida, parum pubescentia. Corpus subtus convexum, nigrum, obsoletius subtiliter punctulatum, parum pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pubescentes, femoribus clavatis, nitidis, tibiis rectis, scabris, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. GHL.

35. R. NANUS. Gyll.

Oblongus, angustior, cœruleo-virescens, glaber, thorace profunde punctato, elytris sub-cylindricis, punctato-striatis, interstitiis impunctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 28. n° 8.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 297. n° 4.

THUNB. *in nov. Acta Ups.* VII. p. 117.
Attelabus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 176. n° 9.
Curculio id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 136. n° 97.
Curculio alliariæ. LINN. *Faun. Suec.* n° 580. (*Ed.* 1. n° 468.)
Syst. nat. I. II. p. 606. n° 4.—*Ed.* GMEL. I. IV. p. 1742. n° 4.
FABR. *Mant.* I. p. 101. n° 53.—*Spec. ins.* I. p. 168. n° 40.—*Syst. ent.* p. 132. n° 27.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 238. n° 2.
VILLERS. *Ent.* I. p. 173. n° 1.

Observ. — In nonnullis, præsertim feminis, thoracis latera pone medium evidentius ampliata, unde thorax subconicus apparet; talis est *R. cyaneus* STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 191, ab ipso communicatus.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 36. R. POLITUS. *Stev.*

Oblongus, angustior, nigro-cœrulescens, thorace profunde punctato, elytris sub-cylindricis, vage punctatis.

BOHEM. *in Acta Mosq.* VI. p. 24. n° 24.

Patria : Tauria.

37. R. COLLARIS.

Oblongus, hirtus, niger, thorace canaliculato, rufo, elytris punctato-sulcatis, interstitiis seriatim punctatis.

Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 410 n° 26.
Salpingus id. ILLIG. *Mag.* IV. p. 132. n° 25.
Rhinomacer id. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.
Rhynchites ruficollis. GERM. *Ins. spec.* I. p. 188. n° 313.
♀ VAR. β. Idem ut α, sed elytra nigro-cœrulea.
Rhynchites collaris. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 28. n° 40. T. 2. f. 40.
♂ VAR. γ. Interdum macula frontali, antennarum basi, pectore femoribusque (genibus exceptis) rufo-testaceis.
VAR. δ. Idem ut var. γ, sed elytra nigra (1).
Rhynchites angustatus. HERBST. *Col.* VII. p. 140. n° 17. T. 105. f. 4. B.
♂ VAR. ε. Nigro-cœruleus, macula frontali rufa.

Patria : America borealis.

---

(1) Mihi invisus, sed verisimile etiam huc pertinet

38. R. NIGRIPENNIS (1).

Rufus, elytris striatis, nigris, antennarum apice tibiisque fuscis.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 27. n° 39. T. 2. f. 39.
Anthribus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 410. n° 25.
Rhinosimus id. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 233.

Patria : Carolina.

* 39. R. BETULÆ.

Ovatus, ater, nitidus, tenuissime pubescens, rostro brevi depresso, capite magno, collo angustiori thoraci adnexo.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 29. n° 9.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 296. n° 3.
Attelabus id. PANZ. *Faun. Germ.* XX. 15.
BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 180. n° 2.
Platyrhynchus id. THUNB. *in nov. Acta Ups.* VII. p. 110. et p. 123.
Curculio populi. SCOP. *Ent. Carni.* p. 25. n° 74.
Curculio populneus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1801. n° 499.
* VAR. β. Femoribus posticis crassissimis saltatoriis, forte mas.
GYLLENH. loc. cit. var. b.
Attelabus betulæ. FABR. *Syst. el.* II. p. 427. n° 61. — *Ent. Syst.* I. II. p. 392. n° 37. — *Mant.* I. p. 124. n° 10. — *Spec. ins.* I. p. 201. n° 6. — *Syst. ent.* p. 157. n° 3.
LINN. *Faun. Suec.* n° 640. — *Syst. nat.* I. II. p. 620. n° 7. — *Ed.* GMEL. I. IV. p. 1810. n° 7.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 174. n° 7.
MARSH. *Ent. Br.* p. 321. n° 3.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 321.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 298. n° 26.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 237. n° 16.
VILLERS. *Ent.* I. p. 219. n° 5.
PREYSLER, MEYERS *Aups. Boehm. Naturg.* III. p. 220. n° 18.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 521. n° 3.
STROM, *Danske vid. Selsk. Skrift.* II. p. 59. n° 33.
VOET. *Col. ed.* PANZ. IV. p. 47. n° 5. T. 34. f. 5.
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 245. n° 7.
GLEDITSCH. *Einleit.* I. p. 439. n° 13.
Rhynchites id. HERBST. *Col.* VII. p. 133. n° 9. T. 104. f. 9. c.

---

(1) Forte modo varietas : pallidior præcedente ; mihi invisus.

Curculio id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 127. n° 120.
Rhinomacer id. MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 91. n° 1021.
Bruchus id. SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 101. n° 192.
Involvulus id. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 475. n° 500.
Attelabus femoratus. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 11. n° 12. T. 1. f. 12. — *Enc. méth.* IV. p. 280. n° 13.
Curculio excoriato-niger. DE GEER. *Ins.* V. p. 259. n° 47.
Curculio fagi. SCOP. *Ent. Carn.* p. 25. n° 73.

Patria : Europa borealis, temperata et meridionalis.

Species dubiæ.

40. R. NEBULOSUS.

Ater, obscurus, elytris obsolete fasciatis.—THUNB.

Platyrhynchus id. THUNB. *in nov. Acta Ups.* VII. p. 123.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

41. R. FEMORALIS.

Ater, elytrorum striis simplicissimis, femoribus rufis.—FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 33.

Patria : America meridionalis.

42. R. QUADRIPUSTULATUS.

Ater, thorace scabro, puncto antico, elytris striatis, maculis duabus rufis.—FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 424. n° 42.

Patria : America meridionalis.

43. R. MELAS.

Angustus, nigerrimus, tenuissime punctatus.

Curculio id. HERBST. *Arch.* VII. p. 166. n° 94.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1755. n° 179.

Patria : Austria.

44. R. RHEDI.

Thorace punctis elevatis scabro, elytris striatis, virescentibus.—SCHRANK.

Curculio id. SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 106. n° 203.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 565. n° 21.
VILLERS. *Ent.* I. p. 189. n° 62. et IV. p. 270. n° 62.

Patria : Austria.

45. R. FULGIDUS.

Ovatus, striatim punctatus, supra ruber, infra cupreus, antennis, proboscide pedibusque nigris.—FOURCR.

Rhinomacer id. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 116. n° 13.
GEOFFR. *Ins.* I. Suppl. p. 533. n° 13.

Patria : Gallia.

46. R. CRACCÆ (1).

Niger, obscurus, elytris striatis, obscure cœruleis, rostro apice depresso.—FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 425. n° 51. — *Ent. Syst.* I. II. p. 390. n° 28.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 307. n° 51.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 297. n° 17.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 318.

Patria : Holsatia.

47. R. CYANEUS (2).

Ater, elytris cyaneis, nitidulis. FABR.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 426. n° 53. — *Ent. Syst.* I. II. p. 391. n° 30.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 319.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 308.
Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 101. n° 55.—*Spec. ins.* I. p. 168. n° 41. —*Syst. ent.* p. 132. n° 28.

Patria : Europa.

GENUS 28. PTEROCOLUS. *Nobis.*

Attelabus FABR., OLIV.—*Rhynchites* ILLIG.

Character generis. — Antennæ validiusculæ, in fovea oblonga, lata, non profunda insertæ, 11-articulatæ; clava magna, subcompressa, tri-articulata ; articuli primi perfoliati, ultimo obtuso.

Rostrum breviusculum, cylindricum, sub-rectum.

Caput mediocre, postice non angustatum.

Thorax amplus, postice rotundatus, subtus in utroque latere fovea magna, lata, oblonga impressus.

---

(1) An *Rhynchites* ? — vel idem forte ac *Apion Craccæ*.
(2) *Rhynchites* forte, teste cl. Illiger

Elytra sub-quadrata, apice intus ad suturam conjunctim profundissime emarginata.

Pygidium latum, apertum.

Descriptio.—*Corpus* minoris magnitudinis, sub-rhombicum, durum, alatum.—*Antennæ* non fractæ, sub-arcuatæ, mediocres, prope basin lateralem rostri insertæ, 11-articulatæ; articulis duobus basalibus longiusculis, crassiusculis, sub-cylindricis, 3-6 obconicis, 7 et 8 brevioribus et latioribus, tribus apicalibus adhuc multo latioribus, clavam ovalem sub-compressam formantibus, 9 et 10 perfoliatis, ultimo obtuso.—*Rostrum* deflexum, longitudine capitis, cylindricum, parum arcuatum; fovea antennali oblonga, lata, minus profunda.—*Caput* pone oculos paulo elongatum, non vero angustatum, supra convexum.—*Oculi* laterales, majusculi, rotundati, modice prominuli, in fronte sub-approximati.—*Thorax* longitudine latior, antice angustior, truncatus, angulis compressis, lateribus sub-rotundatus, anguste marginatus, posterius latior, basi valde rotundatus, supra parum convexus, subtus in utroque latere fovea magna, lata, oblonga, ob receptionem femorum anticorum impressus, pone gulam late emarginatus.—*Scutellum* obtuse trigonum, apice truncatum. — *Elytra* thoracis basi multo latiora, ejusque latitudine sesqui-longiora, sub-quadrata, antice conjunctim profunde emarginata, thoracem ambientia, apice singulatim rotundata, intus ad suturam conjunctim profundissime triangulariter emarginata; angulis humeralibus elevatis, sub-rotundatis, lamina sub-trigona e substantia pectoris assurgente auctis.—*Abdominis* pars postica aperta; pygidium semi-rotundatum. — *Pedes* validi, basi distantes; femoribus in medio valde incrassatis, sub-compressis, muticis; tibiis rectis, a basi sensim crassioribus, anticis apice muticis, posterioribus apice interiore mucrone perpendiculari armatis; tarsis angustatis, setosis, articulo 1° longiusculo, versus apicem valde incrassato, 2° oblongo, trigono, 3° dilatato, profunde bilobo, subtus spongioso, ultimum sub-includente, 4° clavato, bi-unguiculato.

Typus : — *Attelabus ovatus.* FABR., OLIV.

A πτερὸν ala, κόλος truncatus, mutilus, curtus.

Observatio. — Obiter intuenti, facies quodammodo specierum generis *Spermophagi.* Thorax postice valde rotundatus et elytra apice conjunctim late et profunde triangulariter emarginata, abdominis partem magnam posteriorem non tegentia, insolitum et singularem habitum huic generi præbent.

* 1. P. OVATUS.

Breviter ovatus, cœruleo-violaceus, tenuiter pubescens, rostro, antennis, tibiis tarsisque nigris, thorace sub-rhombico, depresso, confertissime punctato, elytris brevibus sulcatis, sulcis latis, confertim disperse punctulatis, interstitiis costatis. — GHL.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 426. n° 55.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 11. n° 13. T. 1. f. 13.
Rhynchites id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 323. et p. 308. n° 55.
DEJ. *Cat. Col.* p. 80.

Patria : Carolina.

Divisio V. RHINOMACERIDES (1).

Rostrum elongatum, aut deflexum, aut porrectum, apice in plerisque dilatatum, in aliis vero cylindricum. Caput breve, transversum : oculi magni, rotundati, valde prominuli. Antennæ 11, 12 *articulatæ, aut clavatæ, aut extrorsum sensim crassiores. Elytra oblonga, sub-linearia, abdomen obtegentia.*

GENUS 29. DIODYRHYNCHUS. *Germ.*

Doydirhynchus DEJ. — *Doidyrhynchus* MEG., STURM. — *Rhynchites* OLIV.

Character generis. — Antennæ longæ, ante medium rostri insertæ, 12-articulatæ; articulis 9-11 crassioribus, remotis, clavam formantibus, 12° minuto, acuminato.

Rostrum longum, sub-tenue, teres, ad apicem dilatatum, parum arcuatum, sub-inflexum.

Elytra oblonga, sublinearia, apice singulatim obtuse rotundata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, alatum. — *Antennæ* thoracis basin superantes, ante medium laterum rostri insertæ, rectæ, reflexæ, 12-articulatæ; articulis 1-8 sub-obconicis, gracilibus, sub-æqualibus, 9-11 turbinatis, crassis, remotis, clavam ovalem formantibus, 12° minuto, acuminato, præcedenti inserto. — *Rostrum* sub-inflexum, dimidii corporis longitudine, sub-tenue, teres, ad apicem paulo dilatatum, modice arcuatum; fovea antennali ante medium incipiente recta, versus basin rostri evanescente. — *Caput* breve, latiusculum, convexum. — *Oculi* laterales, parvi, rotundati, sat prominuli. — *Thorax* longitudine paulo latior, lateribus postice

---

(1) Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 591.

rotundatus et versus apicem sensim angustatus, margine antico elevato, late emarginato; basi truncatus, supra parum convexus, infra pone gulam late sed leviter emarginatus.—*Scutellum* parvum, sub-rotundatum. — *Elytra* thoracis basi manifeste latiora et latitudine duplo longiora, sub-linearia, antice simultanæe emarginata, apice singulatim obtuse rotundata, anum occultantia, supra convexa; humeris obtuse angulatis, antrorsum prominulis. — *Pedes* validiusculi, longitudine mediocres, sub-æquales; femoribus in medio incrassatis, sub-compressis; tibiis compressis, a basi sensim latioribus, apice truncatis, unco horizontali minuto, acuto, intus instructis; tarsis longiusculis, articulis 1-2 triangularibus, 3° brevi, lato, usque ad basin fisso, laciniis magnis, ellipticis, unguiculari brevi, sub-obconico, bi-unguiculato.

Typus : — *Diodyrhynchus austriacus, var.* β.

Observ. — Quoad habitum speciebus pluribus generis *Rhynchitis* simillimum, sed accessio articuli duodecimi antennarum distinctionem postulat.

1. D. AUSTRIACUS. *Megerle.*

Elongatus, niger, griseo-pilosus, antennis rufis, pedibus fuscis, thorace sub-discoideo, coleopteris cylindricis.

Rhynchites id. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 27. n° 38. *Attelabus* T. 2. f. 38.
Doydirhynchus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 79.
Doidyrhynchus id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 132.

Habitat in Austria, Saxonia.

Rhinomacero lepturoide paulo minor, sed latior. Caput breve, ovatum, convexum, punctatum, pubescens. Rostrum dimidii corporis longitudine, tenue, parum arcuatum, basi rugoso-sulcatum, apice dilatatum, scrobe lateribus medio incipiente, recta, ante basin rostri jam obliterata. Oculi parvi, globosi, prominuli, laterales. Antennæ rostri medio lateribus insertæ, reflexæ, thoracis basin superant. Thorax longitudine parum latior, lateribus postice rotundatus et versus apicem sensim angustatus, antice leviter emarginatus et margine antico elevatus, postice truncatus, supra parum convexus, punctulatus, et pilis depressis longioribus griseis parce vestitus. Scutellum parvum, rotundatum. Coleoptera thorace paulo latiora, latitudine duplo longiora, cylindrica, apice obtuse rotundata, anum obtegentia, supra convexa, confertim punctata, pilis longioribus, decumbentibus, griseis vestita. Corpus subtus punctulatum, pilosulum. Pedes mediocres, femoribus sub-clavatis, tibiis

rectis, versus apicem sensim incrassatis et truncatis. Color griseo-niger, vestimento cano; antennæ rufæ, clava obscuriori, pedes nigri, tibiis tarsisque fuscis.

VAR. β. Ferrugineus, griseo-pilosus, pectore nigro.
Doidyrhynchus castaneus. MEGERLE *in Litt.*

Habitat in Germaniæ meridionalis pinis; in Germania septentrionali nondum captus; e Odenbaci a cel. Muller copiose lectus.

Præcedenti simillimus, et forsan ejus varietas, colore tantummodo diverse videtur. GERMAR.

GENUS 30. RHINOMACER.

Rhinomacer FABR., OLIV., LATR., DEJ., BILLB. (1). *Rhynchites* GYLLENH.—*Anthribus* LATR., OLIV., PAYK., OKEN.—*Attelabus* ILLIG.

Character generis. — Antennæ longæ, in medio laterum rostri insertæ, 12-articulatæ; articulis tribus ultimis crassioribus, valde remotis, clavam angustam formantibus.

Rostrum elongatum, deflexum, basi angustum, teres, apice rotundato-dilatatum.

Elytra elongata, sub-linearia, supra modice convexa.

* 1. R. ATTELABOÏDES.

Oblongus, niger, dense cinereo-villosus, antennis longioribus pedibusque testaceis, elytris vage punctatis. — GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 428. n° 3. — *Ent. Syst.* I. II. p. 393. n° 2.— *Mant.* I. p. 123. n° 2.
OLIV. *Ent.* V. 87. p. 459. n° 2. T. 1. f. 2.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 137. n° 3. et p. 213.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1808. n° 2.
Rhynchites Rhinomacer. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 30. n° 10.
Anthribus id. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 237. n 1. et IV. add. p. 381. — *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 76.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 168. n° 8.
OKENS. *Naturg.* III. p. 773. n° 3.
Curculio id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 126. n° 119.
* VAR. β. Niger, flavo-cinerascenti villosus.
PAYK. *Faun. Suec.* loc. cit. var. β. — *Mon. Curc.* loc. cit. var. β.

Patria : Europa borealis, etiam in Gallia meridionali.

---

(1) Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 124. Nob. — Latr. Règne anim. p. 388 — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 561 — Thon Ent. Arch. I. III. p. 64 Schh. — Curc. et Disp. Meth. p. 45 n° 9.

* 2. R. LEPTUROÏDES.

Oblongus, niger, dense cinereo-villosus, antennis pedibusque concoloribus, elytris vage, crebre, subtiliter punctulatis. — BHN.

OLIV. *Ent.* V. 87. p. 459. n° 1. T. 1. f. 1. a. b. c.
PANZ. *Faun. Germ.* XCVIII. n° 8.
Attelabus id. ILLIG. *Mag.* IV. p. 137. n° 4.

Patria : Germania, Gallia.

GENUS 31. AULETES. *Nobis.*

Tubicenus. DEJEAN, LATREILLE (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, prope basin laterum rostri insertæ; 11-articulatæ; clava elongata, lineari, distincta, articuli parum remoti.

Rostrum rectum, sub-deflexum, cylindricum.

Elytra oblonga, convexa, humeri obtuse angulati.

* 1. A. TUBICEN. *Schh.*

Oblongus, fusco-æneus, cinereo-villosus, antennarum medio femorumque basi testaceis, elytris postice vage, anterius seriatim punctatis.

BOHEM. *In Acta Mosq.* VI. p. 25. n° 25.
Tubicenus Rhynchitoïdes. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 79.

Patria : Dalmatia.

GENUS 32. RHINOTIA. *Kirby* (2).

Character generis. — Labrum rostro postice connatum, minutissimum, emarginatum.

Labium minutissimum, cuneiforme.

Mandibulæ validæ, apice tridentatæ.

Maxillæ apertæ.

Palpi brevissimi, conici.

Mentum sub-transversum, convexum.

Antennæ extrorsum crassiores; articulo extimo ovato, lanceolato.

---

(1) Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 591. — Schh. Curc. et Disp. Meth. p. 46. n° 10.

(2) Kirby in Linn. Soc. Trans. XII. p. 426. — Latr. Règne anim. p. 390. — Id in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 591. — Thon Ent. Arch. I. III. p. 65.

Rhinotia : An a ῥὶν nasus et οὖς, ὠτὸς auris, ob rostrum auriculatum ?

Corpus angustatum, lineare.

Thorax globoso-conicus. KIRBY.

1. R. HÆMOPTERA.

Lineari-elongata, atra, obscura, subtus albido-pilosa, thorace sub-conico, velutino, vitta laterali utrinque, linea dorsali maculisque duabus posticis fulvo-aureo-pilosis ornato, elytris punctatissimis, fulvo-aureo-pilosis, sutura nigricante. — GHL.

Habitat in Australasia.

Corpus angustum, lineare, atrum, obscuriusculum, subtus parce albido-pilosum. Caput deflexum, punctulatum, medio constrictum, postice convexum. Rostrum teres, capitis thoracisque longitudine, punctulatum, apice nitidum. Antennæ rostro pone medium insidentes, thorace longiores, basi attenuatæ, glabræ, alias pilosissimæ: articulo primo clavato, sub-arcuato, crassiori, secundo brevi, obconico, tertio sequentibus vix longiori, sub-clavato, proximis duobus magnitudine crescentibus obconicis, reliquis æqualibus, sub-obconicis, extimo ovato-lanceolato. Oculi hemisphærici, supra pilis rufis, subtus albidis cincti. Thorax sub-conicus, antice constrictus, piloso-velutinus; utrinque vitta laterali intus sub-repanda, linea dorsali, maculisque duabus posticis, piloso-fulvo-aureis. Elytra punctatissima, pilosa, fulvo-aurea, sutura nigricanti. Tibiæ apice bi-calcaratæ. Tarsi pulvinati. Unguiculi simplices.

VAR. β. Thorace utrinque macula magna triangulari sanguinea, linea dorsali maculisque posticis nullis. Alias simillima. An eadem?

KIRBY in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 427. n° 64. T. 22. f. 7.

2. R. LYCIFORMIS.

Holosericea, atra, thoracis vitta laterali, elytrorum fascia obliqua dentata, media, strigaque adnexa costali aureo-tomentosis, elytris apice mucronatis.

Habitat in Brasilia.

Rostro incluso pollicem fere longa. Rostrum thorace vix brevius, tenerum, punctatum, deflexum, parum curvatum. Antennæ dimidio corporis parum breviores, infractæ, basi rostri insertæ: articulo 1° breviusculo, clavato; 2° breviore, turbinato; 3° antecedentibus simul punctis vix breviore, compresso, latiore; 4-10° subæqualibus, compressis, sub-quadratis; 11° angustiore, cylindrico; 12° brevi, acuto, angusto. Caput sub-quadratum, prominens, ros-

tro duplo latius, antice subito angustatum, fere truncatum, oculis globosis, distantibus, prominentibus; supra planum, medio obsolete impressum. Thorax longitudine paulo latior, lateribus rotundatus, apice tubulatus, postice leviter bi-sinuatus, subtus integer, dorso parum convexus, obsolete canaliculatus. Scutellum minutum, impressum. Coleoptera basi thorace vix latiora, humeris oblique rotundatis, thorace plus quadruplo longiora, apicem versus sensim latiora, et ibi rursus angustata, pone suturam mucronata, margine laterali deflexo, in medio profunde sinuato, postice abdomen superante. Pedes mediocres, sub-æquales, femoribus medio crassioribus, muticis; tibiis curvatis, intus denticulatis, apice truncatis, dente inflexo armatis; tarsis latis, subtus spongiosis; articulo primo majore, latiore, tertio profunde bilobo, ungue clavato, acute bi-unguiculato.

Corpus totum tomento atro-holosericeo denso tectum, abdomine solummodo, nudiusculo punctato. Orbita oculorum, thoracis vitta utrinque lateralis, coxæ anticæ et vitta coleopterorum communis denticulata, lunata, retrorsum spectans ad suturam et ad costam lateralem in lineam longitudinalem ampliata, tomento aureo colorata sunt. GERMAR.

GENUS 33. BELUS. *Nobis* (1).

Orthorhynchus MAC LEAY. — *Lixus* FABR.

Character generis. — Antennæ mediocres, sub-tenues, extrorsum paulo crassiores, 11-articulatæ : articulis distantibus, ultimo acuto.

Rostrum cylindricum, sub-porrectum, paululum arcuatum.

Scutellum breve, transversum.

Elytra longissima, sub-linearia, antice singulatim angulato-producta, apice acuminata, recurvata.

* 1. B. SEMIPUNCTATUS.

Lineari-elongatus, niger, squamulis cinereo-albidis variegatus, antennis, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis, thorace canaliculato, albido-lineato, elytris confertim sub-seriato-punctatis, elevato-lineatis, albido-punctatis, apice acuminatis. — GHL.

Lixus id. LATR. *Syst. el.* II. p. 500. n° 11.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 241. 242. T. 12. f. 141.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 73. n° 29. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 591.

Curculio id. FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 416. n° 99. — *Sp. ins.* I. p. 177. n° 61. — *Sys. ent.* p. 135. n° 43.

HERBST. *Col.* VI. p. 61. n° 25. T. 63. f. 2.

OLIV. *Enc. méth.* V. 491. n° 85.

Brentus id. FABR. *Mant.* I. p. 96. n° 4.

LINN. *Syst. nat.* ED. GMEL. I. IV. p. 1739. n° 4.

GEOFR. LATR. *Gen. des cr. et des ins.* II. p. 255. Annot.

Patria: Nova Hollandia.

(*Rhinosimides*, etsi habitu *Curculionibus* similes, illis tamen minus apte adnumerari possunt, nam præter articulorum numerum tarsalium diversum, etiam instrumentis cibariis evidenter extensis discrepant, quare inter *Heteromeros* locandi.)

Divisio VI. ITHYCERIDES.

Rostrum breve, sub-deflexum, sub-teres. Caput pone oculos non elongatum. Antennæ breves, clavatæ, 12-articulatæ. Elytra oblongo-ovata. Humeri rectangulati. Pygidium nudum.

GENUS 34. ITHYCERUS. *Dalman* (1).

Character generis. — Antennæ breves, versus apicem rostri in fovea profunda insertæ; articuli obconici, gradatim breviores, remoti; clava minuta, sub-ovata, acuminata, articuli arcte connexi.

Rostrum breve, sub-teres, apice incrassatum.

Thorax oblongus, teretiusculus, basi apiceque truncatus.

Scutellum majusculum, triangulare.

Elytra oblongo-ovata, supra convexa; humeri rectangulati.

Pygidium nudum, minutum.

1. I. CURCULIONOÏDES. ♂♀

Oblongus, niger, albido-tomentosus, rostro carinato, thorace angusto, confertim rugoso-punctato, scutello albo, elytris magnis, punctato-striatis, vittis albidis, nigro-maculatis ornatis. — GHL.

Rhynchites id. HERBST. *Col.* VII. p. 136. n° 13. T. 105. f. 1.

Curculio novoboracensis. FORST. *Cent. Ins.* p. 35.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 553. n° 372.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1798. n° 469.

Curculio punctatulus. FABR. *Syst. el.* II. p. 518. n° 65. — *Ent. Syst.*

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. [illegible]. n° [illegible].

I. II. p. 461. n° 280. — *Mant.* I. p. 115. n° 192. — *Sp. ins.* I. p. 187. n° 146. forte.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 402. n° 488. T. 19. f. 119. — *Enc. méth.* V. p. 433. n° 275. forte.

HERBST. *Col.* VI. p. 373. n° 349. T. 89. f. 8. forte.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1788. n° 391.

GEOFR. — GERM. *In N. Wetter. Annal.* I. I. p. 124. n° 14. Not.

Patria : America septentrionalis.

Divisio VII. APIONIDES.

Rostrum sub-porrectum, cylindricum vel filiforme. Antennæ clavatæ, 11-articulatæ, versus medium vel ad basin rostri insertæ. Caput pone oculos elongatum. Elytra oblongo-ovata, fornicata, anum tegentia.

GENUS 35. EURHYNCHUS. *Nobis.*

Eurhinus KIRBY, LATR. (1).

Character generis. — Antennæ pone medium rostri insertæ, basi sub-moniliformes, articulis tribus ultimis remotis, clavam elongatam formantibus.

Rostrum sub-porrectum, elongatum, cylindricum, sub-arcuatum.

Thorax elongatus, teretiusculus.

Elytra oblongo-ovata, convexa; humeri rectangulati.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, undique convexum, mediæ magnitudinis, alatum. — *Antennæ* ad medium thoracis pertingentes, pone medium rostri ad latera libere insertæ, validiusculæ, sub-arcuatæ, non fractæ, 11-articulatæ : articulis 5 basalibus sub-clavatis, sub-æqualibus; 6-8 sub-globosis; clava elongata, angusta 3-articulata, articulo 1° obconico, 2° sub-cylindrico, 3° in maribus longissimo, etiam sub-cylindrico. — *Caput* pone oculos elongatum, cylindricum. — *Rostrum* capite dimidio longius, validum, cylindricum, apice paulo crassius, sub-porrectum vel nonnihil deflexum, sub-arcuatum (2). — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine longior, teretiusculus, antice trun-

(1) Kirby in Linn. Soc. Trans. XII. p. 427. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 591.

(2) *Labrum* vix distinctum; *labium* sub-cordatum; *mandibulæ* apice bi-dentatæ dentibus æqualibus acutis; *maxillæ* apertæ; *palpi* brevissimi, conici; *mentum* cordatum KIRBY

catus, lateribus in medio paulo ampliato-rotundatus, postice leviter bi-sinuatus, marginatus, supra valde convexus. — *Scutellum* obtuse trigonum, immersum, minutum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi duplo fere latiora illoque plus triplo longiora, basi singulatim rotundato-dilatata, apice obtuse rotundata, abdomen obtegentia, supra convexa (basi prope scutellum sub-cristata (1)), humeris obtuse rectangulatis. — *Pedes* validi, antici basi approximati, anteriores longiores; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, anticis intus sub-crenulatis, apice calcaribus validis, quatuor posticis intus lævibus, apice interiore unco acuto armatis; tarsorum articulis omnibus subtus spongiosis, 1° elongato, sub-clavato, 2° trigono, 3° lato, profunde bi-lobo, unguiculari clavato, bi-unguiculato.

TYPUS : — *Eurhinus scabrior.* KIRBY.

Ab εὖ bene, pulchre, ῥύγχος rostrum.

Observ. — Quamvis species hujus generis *Apionibus* magnitudine multoties præcellunt, forma corporis tamen non abludit, et characteres reliqui ad hanc divisionem referre postulant.

Nomen genericum *Eurhinus* a celeb. Illiger antea alii generi designatum, et a nobis ut *Eurhinus* adoptatum est, quare denominationem celeb. Kirby nonnihil immutare coactus fui.

1. E. SCABRIOR.

Niger, piloso-incanus, elytris striatis, basi sub-cristatis, granulis tuberculisque acutis, scabris. — KIRBY.

Eurhinus id. KIRBY in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 428. n° 65. T. 22. f. 8.

Patria : Australasia.

2. E. LÆVIOR. ♂

Elongatus, niger, squamulis depressis, setiformibus, albidis adspersus, antennis piceis, thorace sub-cylindrico, obsoletius punctato, elytris sulcatis, sulcis sub-remote punctatis.

Eurhinus lævior. KIRBY in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 429. n° 66.

Habitat in nova Hollandia. Mus. SCHH.

---

(1) Cum in tribus cognitis, huc pertinentibus, speciebus, elytra ad basin interiorem, juxta scutellum, tuberculo sub-cristato instructa sint, hanc notam in descriptione generis memoravi.

Statura et fere magnitudo *Hypsonoti loculosi.* Caput oblongo-quadratum, parum convexum, juxta oculos sub-rugosum, vertice lævi, fronte inter oculos leviter canaliculata; nigrum, squamulis depressis, piliformibus, albidis adspersum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite dimidio longius, porrectum, validum, parum arcuatum, granulato-scabrum, apice dilatatum, nigrum, parce squamulosum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, thoracis medium vix attingentes, rufo-piceæ, pilosæ, clava elongata, fusca, opaca, pubescente. Thorax latitudine multo longior, antice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, præsertim posterius, ibique obsolete canaliculatus, undique sub-ruguloso scaber, niger, squamulis similibus ut in capite adspersus. Scutellum triangulare, demersum, concolor. Elytra antice singulatim rotundato-producta, lobo depresso; basi thorace fere duplo latiora, callo humerali alte elevato, fere rectangulo; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, sulcata, sulcis latis, remote, rude punctatis, interstitiis angustis, convexis; nigra, squamulis depressis, setiformibus, albidis, densius vestita; juxta scutellum utrinque callus vel crista elevata, granulato-tuberculata conspicitur. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamositate densa, depressa, albida vestitum. Pedes longiusculi, validi, nigri, albido-squamulosi et pilosi, femoribus clavatis, anticis crassioribus, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. Ghl.

3. E. Muricatus.

Niger, piloso-subincanus, elytris basi sub-cristatis, granulis tuberculisque acutis, elevatis, scabris.—Kirby.

Eurhinus id. Kirby. in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 468. n° 20.

Patria : Australasia.

Genus 36. APION.

Apion Herbst., Kirby, Germ., Gyllenh., Latr., Oliv. Thunb., Zetterst., Dejean. (1). — *Avius* Billb. — *Attelabus* Fabr., Payk.

---

(1) Herbst. Col. VII. p. 100. Tab. Q. f. 6. 7. 8. — Germ. Mag. II. p. 114. — Id. in N. Wetter Annal. I. II. p. 125. n° 8. — Oliv. Ent. V. 81. p. 30. — Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 31. — Latr. Considér. gén. p. 220. n° 220. — Id. Gen. Cr. et Ins. II. p. 249. n° 274. — Id. Règ. anim. p. 388. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 592. — Illig. Mag. III. p. 102. et VI. p. 323. — Thunb. in N. Acta Ups. VII. p. 208. — Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 297.

— *Oxystoma* DUMÉRIL (1). *Rhinomacer* LAICH., CLAIRV. — *Curculio.* LINN. DE GEER.

Character generis. — Antennæ mediocres, versus medium vel ad basin rostri insertæ, sub capite inflexæ; articulis tribus ultimis arcte connexis, clavam ovalem, acutam formantibus.

Rostrum in plerisque tenue filiforme, arcuatum, in aliis validum, teres; in paucis basi crassum apice fabulatum; longitudine secundum sexum dissimile.

Caput postice elongatum.

Thorax oblongus, conicus vel sub-cylindricus.

Elytra ovata, fornicata.

Observ. — Corpus ob-pyriforme, anterius valde attenuatum, alatum, minimæ magnitudinis.

STIRPS 1. — Rostrum apice subulatum.

1. A. POMONÆ. ♂ ♀

Nigrum, rostro subulato, thorace subconico, punctato, postice canaliculato, coleoptris ob-ovalibus, gibbis, cyaneis, punctato-sulcatis. — GERM.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 143. n° 16. T. 2. f. 1. a. b. c.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 39. n° 7.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 30. n° 43. *Attelabus* T. 3. f. 43.

Attelabus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 425. n° 48.—*Suppl.* p. 164. n° 27-28.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 307. n° 48.

Apion cærulescens. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 27. n° 10. T. 1. f. 4.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 245. n° 20.

Attelabus cyaneus. PANZ. *Faun. Germ.* XX. n° 12.—*Ent. Germ.* p. 297. n° 19.

* VAR. β. Adultior glaber, elytris vix colore cæruleo infectis. KIRBY.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 145. var. β.

Apion cærulescens. var. β. KIRBY. loc. cit.

Curculio glaber. MARSH. *Ent Brit.* p. 245. n° 19.

Patria : Europa temperata et borealis, Persia.

---

(1) Dumér. Zool. Ann. p. 2?6.

* 2. A. CROTALARIÆ.

Nigrum, immaculatum, fere glabrum, rostro longo, utrinque striato, thorace obsolete punctulato, ante medium utrinque impresso, elytris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, apice singulatim rotundatis.

Attelabus crotalariæ FABR. *Syst. el.* II. p. 424. n° 46.

Habitat in leguminibus Crotalariæ Americes meridionalis. Mus. SCHH. E Mus. T. LUND.

E majoribus; *A. pomonæ* æquale, totum nigrum, vix pubescens. Caput oblongum, porrectum, obsolete punctatum, fronte inter oculos impressa, cum carinula parva, abbreviata; oculi majusculi, convexi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, obsoletius punctulatum, versus apicem modice attenuatum, a basi ultra medium utrinque stria subpunctata impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, capitis basin parum superantes, totæ nigræ. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus ante medium utrinque sat profunde impressus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus. Scutellum oblongum, elevatum, concolor. Elytra ampla, antice thoracis basi paulo latiora, callo humerali alte elevato, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, evidenter punctato-sulcata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; interstitium suturale postice elevatum, arcuatim intra apicem continuatum. Corpus subtus evidentius punctatum, nigrum, glabrum. Pedes elongati, validi, confertim punctati, pilis minutis, depressis, albidis parce adspersi, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. GHL.

3. A. SUBULATUM. ♂♀

Nigrum, sub-opacum, tenuissime pubescens, antennis basi ferrugineis, rostro basi crassiusculo, apice subulato, subtus non gibboso, elytris sulcato-punctatis, interstitiis planis. — GHL.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 146. n° 17. et III. *App.* p. 38.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 28. n° 11. T. 1. f. 5.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 530. n° 2.

Patria: Anglia, Gallia, Suecia, Sibiria.

4. A. Ochropus.

Rostro subulato, nigrum, opacum, griseo-sub-pilosum, antennis basi rufis, thorace subconico, punctato, postice canaliculato, coleoptris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, sub-cyaneis, tarsis testaceis.

Germ. *Mag.* III. *App.* p. 46. n° 1.

Patria : Germania.

* 5. A. Craccæ.

Femina. *Rostro subulato, nigrum, opacum, sub-pilosum, antennis basi rufis, thorace subconico, punctulato, postice canaliculato, coleoptris ob-ovalibus, gibbis, punctato-sulcatis.*

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 147. n° 18. T. 2. f. 2. a. b.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 38. n° 6.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 29. n° 12.
Herbst. *Col.* VII. p. 102. n° 2. Tab. 102. f. 2. B.
Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 299. n° 5.
Curculio id. Linn. *Syst. nat.* I. II. p. 606. n° 6.
Payk. *Mon. Curc.* p. 140. n° 131.
Villers. *Ent.* I. p. 174. n° 3.
Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 441. n° 2.
Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 215. n° 6.
Attelabus id. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 177. n° 11.
Illig. *Mag.* VI. p. 307. n° 51.
Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 283. n° 25.
Walcken. *Faun. Paris.* I. p. 236. n° 11.
Curculio viciæ. De Geer. *Ins.* V. p. 253. n° 43. T. 6. f. 31-36.

Mas. *Fere duplo minor, rostro breviori, crassiori, dense cinereo-pubescente, antennis totis ferrugineo-testaceis.*— Gyllenh.

Curculio craccæ. Marsh. *Ent. Brit.* p. 245. n° 18.
Apion ruficorne. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 149. n° 19. T. 20. a. b. et III. p. 88.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 30. n° 13.
Herbst. *Col.* VII. p. 110. n° 8. T. 102. f. 8. b.

Patria : Europa borealis et temperata, Sibiria.

* 6. A. Sayi. *Schh.*

Breve, nigrum, opacum, subtiliter griseo-pubescens, thorace breviter sub-conico, punctato, postice canaliculato, elytris amplis, fornicatis, punctato sub-sulcatis, humeris alte elevatis.

Patria: America borealis. A Dom. Thomas Say benevole communicatum, et ad gratam ejus memoriam denominatum. Mus. Schh.

A. craccæ sub-simile, sed minus, præsertim brevius; elytra latiora, magis convexa; antennæ totæ nigræ. Caput breve, depressum, obsolete punctulatum, nigrum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite duplo longius, basi crassum, nigrum, opacum, subtiliter tomentosum, apicem versus angustatum, glabrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, totæ nigræ, clava magna, compressa. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, subconicus, apice truncatus, margine elevato; lateribus obliquis, parum marginatis; basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, confertim punctatus, ante medium baseos canalicula brevi impressus, niger, opacus, subtiliter cinereo-tomentosus. Scutellum oblongum, elevatum, nigrum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, minus profunde sulcata et in sulcis confertim catenato-punctata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, subtiliter cinereo-tomentosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, parce pubescens. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-pubescentes. Ghl.

* 7. A. Neglectum. *Schh.*

Atrum, sub-glabrum, rostro arcuato, antrorsum attenuato, antennis basilaribus, thorace oblongo, sub-depresso, confertim punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, cœruleo-virentibus, interstitiis planis.

Patria: Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

Statura et affinitas *A. subulati*, et minoribus ejus æqualis, rostro minus attenuato, colore et textura elytrorum tamen distinctus. Caput angustum, punctulatum, atrum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, sub-arcuatum, basi crassum, extrorsum attenuatum, atrum. Antennæ ante medium rostri insertæ, breves, nigræ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine longior, anterius paulo angustior, apice truncatus, lateribus parum ampliatus, basi sub-sinuatus, supra sub-depressus, confertim punctatus, ater, opacus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, sub-nitidum. Elytra antice thoracis basi latiora, callo humerali elevato, lateribus ultra medium ampliata, apice singulatim rotundata, mar-

gine elevato, incrassato, thorace plus triplo longiora, supra convexa, evidenter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis; cœruleo-virescentia, sub-nitida, glabra. Corpus subtus punctatum, nigrum, glabrum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus sub-clavatis, nitidis, tibiis tarsisque scabris, opacis. GHL.

8. A. NIGRUM.

Cinereo-pubescens, nigrum, immaculatum, capite impresso, thorace brevi, confertim rugoso-punctato, postice impresso, elytris ovatis, punctato-sulcatis, interstitiis subtilissime seriatim punctulatis.

HERBST. *Col.* VII. p. 122. n° 24. T. 103. f. 11. L. teste Dom. SCHUPPEL.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 239. n 93.

Habitat in America boreali. Donum Dom. SCHUPPEL. Mus. SCHH.

Magnitudo *A. subulati*, sed thorax multo brevior et latior. Caput latum, sub-quadratum, inter oculos rude punctatum et posterius impressum, pubescens, vertice elevato, lævi, glabro; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, parum arcuatum, obsoletius punctulatum, supra stria tenui exaratum, versus apicem modice attenuatum, nigrum, parce pubescens. Antennæ mediocres, nigræ, vix basi piceæ. Thorax latitudine fere brevior, antice parum angustior, apice truncatus, margine reflexo, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus et intra basin constrictus, supra minus convexus, confertim rude reticulato-rugosus et punctatus, posterius in medio impressus, totus niger, pilis cinereis adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, concolor. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi parum latiora, callo humerali elevato, pone basin ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, profunde sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis, singulo serie e punctis minutissimis notato. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, cinereo-pubescens. Pedes elongati, validi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus modice clavatis, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis GHL.

STIRPS 2. — Rostrum cylindricum vel filiforme.

Manipulus. I. — Antennæ versus basin rostri insertæ.

∴. — *Pedibus totis obscuris.*

9. A. VICINUM. ♂♀

Nigrum, immaculatum, tenue pubescens, thorace brevi, anterius angustato, elytris magnis, latis, humeris prominulis. — GHL.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 139. n° 12.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 25. n° 8. T. 1. f. 3.
A. loti. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 60. n° 28.
GERM. *Mag.* II. *Attelabus.* p. 260. n° 28.
Apion incrassatum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 140. n° 13. T. 2. f. 3.

Patria : Suecia, Anglia, Germania.

10. A. GLAUCINUM. *Schh.*

Oblongum, angustum, nigrum, opacum, densius cinereo-tomentosum, antennis basi pallidis, capite oblongo, supra plano, rostro brevi, parum arcuato, thorace subconico, obsolete punctato, elytrorum sulcis obsolete punctatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Museo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

A. vicino affine, sed densius tomentosum; rostrum brevius, parum arcuatum, elytra angustiora et antennarum basis pallida. Caput oblongum, supra planum, punctatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite vix dimidio longius, validum, parum arcuatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Antennæ thoracis basin attingunt, inferius pallidæ, extrorsum nigræ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius nonnihil angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, niger, opacus, cinereo-tomentosus, intra medium baseos lineola tenui impressus. Scutellum parvum, tuberculiforme, concolor. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, late sulcata, sed in sulcis obsoletius catenato-punctata, nigra, opaca, cinereo-tomentosa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, magis nitidum, parcius tomentosum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-tomentosi. GHL.

11. A. ATOMARIUM. ♀

Nigrum, immaculatum, densius pubescens, thorace brevi, anterius angustato, elytris minus latis, rostro valde armato, sub-deflexo. — GHL.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 60. n° 29.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 209. n° 65.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 59. n° 40. T. 1. f. 14.

Apion pusillum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 209. n° 66. T. 2. f. 4. et III. p. 43.

Patria: Suecia, Germania.

* 12. A. INÆQUALE. *Schh.*

Nigrum, sub-glabrum, rostro tenui, cylindrico, arcuato, thorace transverso, confertim rugoso-punctato, elytris oblongis, remote punctato-striatis, interstitiis posterius elevato-costatis.

Patria: Brasilia. Dom. Von WINTHEIM. Mus. SCHH.

A. Supercilioso simile, sed dimidio minus, thorax fortius rugoso-punctatus, elytrorum interstitia posterius costata et corpus fere glabrum. Caput parvum, nigrum, fronte inter oculos punctata; oculi majusculi, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, cylindricum, arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ versus basin rostri insertæ, basi tenues, piceæ, clava majuscula nigra. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice truncatus, margine elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, confertim et sat rude rugoso-punctatus, ante medium baseos foveola oblonga impressus, totus niger, glaber. Scutellum triangulare, elevatum, concolor. Elytra oblongo-obovata, antice thoracis basi parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, interstitiis posterius angustis, elevato-costatis; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus punctatum, nigrum, glabrum. Pedes longiusculi, nigri, nitidi, femoribus sub-clavatis. GHL.

13. A. PUBESCENS.

Atrum, piloso-incanum, thorace brevi, lineola postica impressa, rostro mediocri.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 350. n° 65.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 210. n° 67. et III. p. 43.

Patria: Anglia.

* 14. A. Oculare. *Schh.*

Nigrum, opacum, pube longiore, cinereo-albida tectum, rostro basi tumido, thorace brevi, lateribus rotundato, elytris striato punctatis.

Habitat in Iberia. Dom. Steven. Mus Schh.

Parvum, *A. seniculo* vix majus, totum supra et infra pube longiore cinereo-albida, decumbente, fere tectum. Caput breve, latum, depressum, obsolete punctulatum, oculis sub-prominulis, nigris; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, basi utrinque dilatatum, tumidum, supra pubescens; dein filiforme, arcuatum, glabrum, nigrum, nitidum. Antennæ prope basin rostri insertæ, nigræ, clava magna, ovata. Thorax latitudine brevior, antice angustior, constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra in disco convexus, sub-pulvinatus, niger, obsolete punctulatus, dense pubescens. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra ovata, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra modice convexa, obsoletius sulcato-punctata, interstitiis planis, coriaceis; nigra, opaca, dense pubescentia. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense pubescens. Pedes validi, nigri, pubescentes, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

* 15. A. Acium. *Schh.*

Nigrum, opacum, tomento densiori cinereo-albida vestitum, rostro breviori, arcuato, nitido, thorace subtiliter punctulato, lateribus vix ampliato, elytris brevioribus, sub-remote punctato-striatis.

Patria: Tauria. Dom. Steven. Mus Schh.

Parvum, *A. superciliosو* minus; *A. oculari* simile et affine, minus, præsertim brevius, rostrum breve, cylindricum, non basi tumidum, thorax lateribus non ampliatus, etc. Caput latum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido tomentosum; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, valde arcuatum, cylindricum, nigrum, nitidum, non basi tumidum. Antennæ versus basin rostri insertæ, basi piceo-testaceæ, extrorsum nigræ, pubescentes. Thorax latitudine paulo brevior, apice truncatus, margine non reflexo, lateribus parum ampliatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, confertim punctulatus, niger, opacus, tomento cinereo-albido vestitus. Scutellum triangulare, demersum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, callo humerali elevato, lateribus ampliata, apice singulatim obtuse rotun-

data, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato striata, nigra, opaca, cinereo-albido tomentosa. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, parcius tomentosum. Pedes mediocres, nigri, sub-nitidi, cinereo-albido tomentosi. GHL.

16. A. PILOSUM. *Schh.*

Nigrum, obscurum, dense flavescenti-pubescens, rostro ante medium crassiore, thorace conico, obsolete punctato, elytris ob-ovatis, sulcato-punctatis.

Habitat in insula S. Eustache, Americes. Dom. FORSTROM. Mus. Dom. BILLBERG.

Minutum, *A. seniculo* minus. Caput breve, latum, depressum, nigrum, vix punctulatum, pilositate longa, rigida, reclinata, flavescente tectum; oculi laterales, sub-prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, parum arcuatum, externe tenue, filiforme, nigrum, nitidum, ante medium crassius, inæquale, pilosum. Antennæ paulo ante medium rostri insertæ, thoracis basin vix attingentes, nigræ, articulo primo longiore, clavato, basi rufescente, clava ovata, acuminata, Thorax parvus, antice angustior, leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra convexus, obsoletissime punctatus, niger, obscurus, pilis longioribus reclinatis flavescentibus tectus, ante basin foveola oblonga impressus. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, et illo triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata et in sulcis rude punctata, interstitiis angustis, convexis; nigra, obscura, pube simili ut thorax vestita. Corpus subtus nigrum, obscurum, obsolete punctulatum, pilis brevioribus depressis, rigidis, albidis adspersum. Pedes longiusculi, nigri, pubescentes, femoribus in medio crassioribus. GHL.

* 17. A. PALPEBRATUM. *Schh.*

Angustum, nigrum, opacum, tomento tenuiore cinereo-albido adspersum, rostro longo, tenui, arcuato, nitido, thorace angusto, sub-cylindrico, punctulato, elytris ob-ovatis, obsoletius punctato-striatis.

Patria: Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura angusta *A. superciliosi*. Caput angustum, punctulatum, nigrum, opacum, tomento albido, circum oculos densiori adspersum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace longius, tenue, arcuatum,

nigrum, sub-nitidum, parce tomentosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, piceæ, clava nigra. Thorax parvus, angustus, basi apiceque truncatus, elevato-marginatus, lateribus fere rectis, parum obliquis, supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, opacus, parcius albido-tomentosus. Scutellum triangulare, demersum, concolor. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi parum latiora, callo humerali elevato, lateribus ultra medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsoletius punctato-striata, nigra, opaca, tomento tenui cinereo-albida adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, magis nitidum, parce pubescens. Pedes longiusculi, nigri, parce pubescentes. GHL.

* 18. A. BREVIROSTRE.

Brevirostre, nigrum, griseo-pilosum, thorace sub-cylindrico, punctulato, postice sub-impresso, coleoptris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, sub-æneis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 237. n° 91. T. 2. f. 6.
HERBST. *Col.* VII. p. 120. n° 22. T. 103. f. 10. k.
A. breve. DEJ. *Cat. Col.* p. 81. secundum Dom. CHEVROLAT.

VAR. β. Antennæ in medio rostri insertæ, rostro apice nitido. Mas forte.—GERM. *Mag.* loc. cit. var. β.

Patria : Borussia, Germania, Gallia.

19. A. CONFLUENS. ♂♀

Angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulculis duobus brevibus, profundis, postico connexis, thorace cylindrico, obsoletius punctato, elytris ovatis, sulcis obsolete punctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 531. n° 6.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 62. n° 44. T. 1. f. 15.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 217. n° 73.

Patria : Anglia, Suecia.

20. A. STOLIDUM. ♂♀

Angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulcis duobus longioribus, postice conniventibus, thorace antice sub-angustiore, elytris obsoletius punctato-striatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 532. n° 7.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 218. n° 74. T. 2. f. 5.

Patria : Germania, Suecia.

* 21. A. BETULÆ. *Chevrolat.*

Atrum, sub-nitidum, vix pubescens, rostro tenui, arcuato, thorace parvo, sub-cylindrico, confertim punctato, elytris valde gibbosis, late et profunde sulcatis, sulcis catenato-punctatis.

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT sub hac denominatione amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvum, *A. supercilioso* parum majus. Caput sub-quadratum, supra planum, punctatum, nigrum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite cum thorace parum brevius, sub-tenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax angustus, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, elevato-marginatus, lateribus vix ampliatus, supra modice convexus, confertissime punctatus, niger, opacus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed lateribus posterius valde rotundato-ampliata, apice conjunctim acute rotundata, supra maxime convexa, gibbosa, præsertim posterius, late et profunde sulcata, sulcis catenato-punctatis, interstitiis elevatis, subtilissime alutaceis; nigra, sub-nitida. Corpus subtus convexum, punctatum, atrum, nitidum. Pedes longiusculi, toti atri. GHL.

* 22. A. CHEVROLATI. *Schh.*

Purpurascente-cupreum, parce pubescens, rostro brevi, crasso, undique punctato, thorace cylindrico, elytris ob-ovalibus, profunde punctato-sulcatis, interstitiis subtilissime alutaceis.

Habitat Parisiis. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

A. humili Germ. statura sub-simile, sed paulo brevius, magis convexum; *A. limonii* Kirby affine videtur, abunde tamen distinctum, antennis brevibus, posticis, colore et punctura rostri, elytris profunde sulcatis, etc. Caput latum, depressum, confertim punctatum, cupreum, parce pubescens; oculi laterales, rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite parum angustius sed paulo longius, crassum, rectum, undique confertim punctatum, cupreum, sub-nitidum. Antennæ versus basin rostri insertæ, breves, crassiusculæ, pilosæ, nigræ, articulo primo æneo. Thorax latitudine longior, angustus, cylindricus, basi apiceque truncatus, lateribus fere rectis, supra convexus, confertim sed parum profunde punctatus, foveola oblonga ante scutellum impressus, obscure cupreus, parce pubescens. Scutellum minutum, tuberculi-

forme, concolor. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus pone medium nonnihil ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, præsertim posterius; sulcis latis profundisque exarata et in sulcis punctis majusculis, sub-remotis impressa, interstitiis latis, planis, subtilissime alutaceis; purpurascenti-cuprea, parum nitida, pube cinereo-albida adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, æneum, parce pubescens. Pedes mediocres, punctati, pubescentes, femoribus cupreis, tibiis tarsisque obscurioribus, fusco-æneis.

Ghl.

Dom. Chevrolat Parisiensis; acer rerum naturæ indagator. Amore scientiæ et hujus operis provehendi studio ductus, ex copiosa sua collectione non solum multa dono dedit, sed etiam permisit, ut plures rariores Curculiones ex illa mutuo acciperem; quapropter officium veri amoris et gratæ mentis illi præstare mihi liceat. Schh.

23. A. Hookeri. ♂ ♀.

Breve, nigrum, sub-pubescens, thorace lateribus rotundato-ampliato, supra crebre punctulato, elytris nitidioribus, profunde sulcato-punctatis, interstitiis planis, transversim strigosis.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 533. n° 8.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 69. n° 52. T. 1. f. 18.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 238. n° 92.

Patria : Anglia, Finlandia, Suecia.

24. A. Sahlbergi. ♂. *Schh.*

Breve, nigrum, sub-pubescens, antennis longioribus posticis, rostro crasso, arcuato, inæquali, thorace profundius punctato, elytrorum sulcis angustis, obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, transversim strigulosis.

Gyllenh. in Hummel. *Essais Ent.* IV. p. 61. n° 4.—*Ins. Suec.* IV. p. 533. n° 9.

Patria : Suecia, Finlandia.

25. A. Lævigatum.

Atrum, læviusculum, coleoptris ovatis, violaceis, obsolete striatis.

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 70. n° 53.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 239. n° 94.

Patria : Anglia.

26. A. RUGICOLLE.

Æneum, nitidum, thorace punctato-rugoso, lateribus rotundato, coleoptris ovalibus, punctato-sulcatis, interstitiis striato-punctatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 201. n° 57. T. 3. f. 18.

Patria: Germania.

* 27. A. ÆNEUM.

Antennis sub-mediis, nigrum, glabrum, thorace subconico, punctato, postice canaliculato, coleoptris ovalibus, æneis, simpliciter striatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 249. n° 103. T. 3. f. 8.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 40. n° 8.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 74. n° 58.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 31. n° 45. *Attelabus* T. 3. f. 45.

HERBST. *Col.* VII. p. 101. n° 1. T. 102. f. 1. a.

Attelabus æneus. FABR. *Syst. el.* II. p. 423. n° 37.—*Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 23.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 179. n° 14.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 405. n° 46.—*Mant.* I. p. 100. n° 36.—*Sp. Ins.* I. p. 166. n° 8.—*Syst. Ent.* p. 131. n° 22.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 142. n° 134.

HERBST. *Col.* VI. p. 444. n° 441.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 481. n° 47.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 243. n° 13.

VILLERS. *Ent.* I. p. 187. n° 41. et IV. p. 267. n° 41.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 296. n° 12.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 157. n° 8.

GMEL., LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1748. n° 132.

Attelabus craccæ. PANZ. *Faun. Germ.* XX. 10.

Attelabus cupricollis. VOET. *Col.* ed. PANZ. IV. p. 64. n° 33. T. 38. f. 33.

Curculio teres. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1758. n° 212.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 272. n° 7. *Rhinomacer.*

VAR. β. Elytris cœruleo-virescentibus.—GYLLENH. loc. cit. var. b.

GERM. *Mag.* loc. cit. var. β.

Curculio chalceus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 243. n° 12.

Patria: Europa temperata et septentrionalis.

28. A. ACICULARE.

Æneum, griseo sub-pilosum, thorace oblongo, cylindrico, punctato, coleoptris oblongo-ovalibus, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 245. n° 99. T. 3. f. 20.

Patria: Germania.

29. A. Radiolus. ♂♀

Nigrum, tenuissime pubescens, elytris cæruleo-virescentibus, striis profundioribus obsolete punctatis, vertice transversim impresso.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 435. n° 11.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 246. n° 101. T. 2. f. 13.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 73. n° 56. et *App.* X. n° 56-57.
Curculio id. Marsh. *Ent. Br.* p. 247. n° 25.
A. aterrimum. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 41. n° 9.
A. oxurum. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 247. n° 102. T. 4. f. 1.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 73. n° 57.
Curculio aterrimus. Marsh. *Ent. Br.* p. 244. n° 14.
Attelabus æneus, var. β. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 180. n° 14.
Curculio æneus, var. β. Payk. *Mon. Curc.* p. 143. n° 134.

Patria : Anglia, Gallia, Germania, Suecia, Tauria.

* 30. A. Antiquum. *Schh.*

Oblongum, angustum, virescenti-æneum, nitidum, tenuiter cinereo-pubescens, rostro breviusculo, crasso, punctato, thorace sub-cylindrico, elytris sulcatis, sulcis obsolete punctatis, interstitiis convexis, punctulatis.

Patria : Caput Bonæ Spei. Dom. von Wintheim. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et similitudo *A. radioli,* sed thorax angustior, cylindricus, color alius, etc. Caput angustum, confertim punctatum, virescenti-æneum, pone oculos transversim impressum, vertice elevato ; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli ; rostrum vix longitudine thoracis, crassum, porrectum, sub-arcuatum, cylindricum, undique confertim punctatum, fusco-æneum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine longior, angustus, cylindricus, basi apiceque truncatus, supra convexus, confertim punctatus, virescenti-æneus, tenuiter pubescens. Scutellum parvum, triangulare, obscurum. Elytra oblonga, antice thorace multo latiora, humeris elevatis, lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis convexis, subtiliter punctulatis; virescenti-ænea, sub-nitida, tenuiter pubescentia. Corpus subtus punctulatum, fusco-æneum, tenuiter pubescens. Pedes longiusculi, pubescentes, femoribus virescenti-æneis, tibiis tarsisque nigro-fuscis.

Ghl.

31. A. CURVIROSTRE. ☿ ♀. *Schh.*

Nigrum, fere glabrum, rostro longo, crasso, arcuato, punctatissimo, thorace subconico, confertissime, profunde punctato, elytris oblongis, punctato-sulcatis, cœruleis, interstitiis subtilissime alutaceis.

Patria : Caucasus. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

A. radiolo simile, sed dimidio majus et ultra, rostrum longius et crassius, thorax fortius punctatus, etc. Caput angustum, depressum, confertim punctatum, nigrum, opacum; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum porrectum, arcuatum, feminæ longitudine fere dimidii corporis, maris paulo brevius, in utroque valde crassum, præsertim exterius, undique confertissime punctatum, nigrum, opacum. Antennæ longiusculæ, tenues, nigræ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, margine elevato; lateribus obliquis, nonnihil ampliatis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime et sat profunde punctatus, niger, opacus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra oblonga, antice thoracis basi latiora, callo humerali elevato, lateribus ultra medium nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis in fundo catenato-punctatis, interstitiis planis, subtilissime strigoso-alutaceis; cœrulea, sub-nitida, setulis minutis, depressis, cinereis, versus latera parce adspersa. Corpus subtus punctulatum, parce cinereo-setulosum, antice nigrum, ventre cœrulescente, magis nitido. Pedes longiusculi, densius cinereo-pubescentes, femoribus clavatis, nigro-cœruleis, tibiis tarsisque nigris. GHL.

32. A. ONOPORDI. ☿ ♀.

Atrum, glabrum, thorace oblongo, cylindrico, profunde punctato, postice canaliculato, coleoptris ovalibus, æneis, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 240. nº 95. T. 2. f. 14.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 535. nº 13.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 71. nº 54. et *App.* X. p.— nº 54.

☿ ♀ VAR. β. Elytris cœruleo-virescentibus.

KIRBY. GERM. GYLLENH. loc. cit. var. β.

☿ ♀ VAR. γ. Elytris violaceis vel nigro-cœruleis.

KIRBY. GERM. GYLLENH. loc. cit. var. γ.

Patria : Anglia, Suecia, Germania, Gallia, Tauria.

33. A. GIBBIROSTRE. ♂♀

Nigrum, sub-glabrum, elytris nigro-cœrulescentibus, punctato-striatis, antennis juxta basin rostri subgibbere elevato-insertis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 52. n° 19.
A. carduorum. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 72. n° 55. T. 1. f. 19.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 241. n° 96.
Curculio sorbi. MARSH. *Ent. Br.* p. 244. n° 15.
Curculio cyaneus. (*nigro-violaceus.*) DE GEER. *Ins.* V. p. 252. n° 41.

Patria: Anglia, Suecia, Germania, Gallia.

34. A. PENETRANS. ♂♀

Elongatum, angustum, atrum, opacum, griseo-subpilosum, capite plano, thorace oblongo, punctato, postice canaliculato, elytris oblongo-ovatis, distincte punctato-sulcatis. — GHL.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 244. n° 98. T. 2. f. 11. ♀ f. 12. ♂

Patria: Germania.

35. A. BASICORNE. ♂♀

Elongatum, nigrum, griseo-pilosum, capite depresso, thorace cylindrico, punctato, postice canaliculato, elytris ovalibus, cœruleo-micantibus, obsoletius punctato-sulcatis. — GHL.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 307. lin. 2.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 243. n° 97. et III. *App.* p. 45.
A. alliariæ. HERBST. *Col.* VII. p. 104. n° 3. T. 102. f. 3.
Curculio id. GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 440. n° 1.

Patria: Borussia, Germania.

Observ. Hoc insectum idem esse ac *A. alliariæ* Herbstii, asseverarunt Dom. Illiger et Schuppel, etsi memoratus auctor strias elytrorum impunctatas dixit.

36. A. HYDROLAPATHI. ♂♀

Nigrum, glabrum, creberrime punctulatum, elytris ovatis, sub-depressis, cœruleo-virescentibus, striatis et in striis obsolete punctatis, rostro brevissimo, crassiusculo.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 51. n° 18. et IV. p. 548. n° 35.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 66. n° 48. T. 1. f. 17.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 226. n° 80. T. 3. f. 14. (Excluso diagnosi Germari.)

Curculio id. MARSH. *Ent. Br.* p. 249. n° 33.

Patria: Anglia, Suecia.

Observ. In masculis antennæ versus medium rostri insertæ, sed in feminis prope basin.

* 37. A. SETIFERUM. *Schh.*

Ellipticum, obscure virescens, undique albido-sub-setosum, rostro nigro-cupreo, nitido, thorace brevi, transversim convexo, punctato, postice canaliculato, elytris punctato-sulcatis, interstitiis seriatim punctulatis.

Patria: Gallia, Parisiis. A. Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvum, *A. humili* sub-æquale. Caput sub-quadratum, supra planum, confertim punctatum, obscure virescens, setulis albidis parce adspersum; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite dimidio longius, fere rectum, basi albido-setosum, extrorsum glabrum, nigro-cupreum, nitidum. Antennæ breves, nigræ, prope basin rostri insertæ. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra in medio transversim convexus, pulvinatus, confertim punctatus, obscure virescens, setulis depressis albidis adspersus; intra basin canalicula brevi, tenui impressus. Scutellum parvum, depressum, concolor. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, late sulcata, et in sulcis obsoletius catenato-punctata, interstitiis supra planis, seriatim punctulatis; virescentia, magis nitida, setulis sub-erectis albidis adspersa. Corpus subtus punctatum, virescens, albido-setulosum. Pedes longiusculi, validi, albido-pubescentes, femoribus viridibus, nitidis, tibiis scabris tarsisque nigris. GHL.

∴. — *Pedibus pallidis aut totis, aut quoad partem.*

* 38. A. SUBULIROSTRE. *Chevrolat.*

Nigrum, dense albido-cinereoque pubescens, antennis tenuibus piceis, pedibus flavo-testaceis, thorace parvo, obsolete punctato, elytris brevissimis, gibbosis, profunde punctato-sulcatis, rostro longissimo, tenui.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura corporis brevis, lata, fere ut in *A. sorbi*, femina, sed paulo minor. Caput oblongum, angustum, punctulatum, pone oculos impressum, nigrum, albido-pilosum, vertice seu collo elevato, lævi, glabro; oculi magni, semi-globosi, brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, valde tenuė, porrectum, cylindricum, parum arcuatum, basi sub-punctatum et pilosum, extrorsum læve, glabrum, nitidum, nigrum. Antennæ sub-tenues, nigro-piceæ, versus basin rostri insertæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius dimidio angustior, subconicus, apice truncatus et intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis; basi bi-sinuatus, angulis rotundatis; supra convexus, obsoletissime punctatus, niger, nitidus, pilis depressis albidis, versus latera condensatis, adspersus. Scutellum mediocre rotundatum, depressum, nigrum. Elytra brevissima, lata, antice sinuata, callo humerali parum elevato; pone medium valde ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra valde convexa, gibbosa, late et profunde sulcata, sulcis obsoletius punctatis; versus latera nigra, in dorso ferruginea, undique albido-pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, pilis rigidis, depressis albis, densius vestitum. Pedes elongati, validi, flavo-testacei, pubescentes, tarsis infuscatis. GHL.

* 39. A. VESTITUM. *Mannerheim.*

Oblongum, nigrum, dense cinereo-tomentosum, antennis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis, rostro longo, arcuato, valido, thorace angusto, subconico, elytris remote punctato-sulcatis, plaga communi dorsali denudata.

Patria: Insula S. Domingo. A Dom. Com. MANNERHEIM, amicissime donatum. Mus. SCHH.

A. radiolo dimidio majus et ultra; *A. curvirostri* æquale. Caput angustum, depressum, punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, porrectum, arcuatum, validum, confertim punctatum, nigro-piceum, tenuiter pubescens. Antennæ basin rostri propius insertæ, fusco-ferrugineæ, pubescentes, clava ovata nigricante. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus obliquis, vix ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, opacus, tomento denso cinereo vestitus. Scutellum oblongo-triangulare, elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis,

sub-angulatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, evidenter sulcata, sulcis sub-remote punctatis, interstitiis planis, sub-lævibus; nigra, basi, lateribus et apice dense cinereo-tomentosa, plaga magna dorsali communi magis denudata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, cinereo-tomentosi, femoribus parum incrassatis, nigris, tibiis tarsisque obscure ferrugineis. GHL.

40. A. LONGIROSTRE. ♂ ♀.

Elongatum, angustum, nigrum, tomento denso cinereo-albido vestitum, pedibus flavo-testaceis, tarsis nigris, thorace cylindrico, rostro longissimo, tenui. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 35. nº 51. *Attelabus* T. 3. f. 51. a. b.

Patria: Tauria, Constantinopolis.

41. A. HOLOSERICEUM. ♂ ♀.

Nigrum, obscurum, dense griseo-pubescens, antennis, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis, thorace sub-cylindrico, elytris ovatis, punctato-striatis.

DEJEAN. *Cat. Col.* p. 80.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. In Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Statura *A. fuscirostris*, sed dimidio majus. Caput breve, latum, nigrum, obsolete punctulatum, dense griseo-pubescens, oculis prominulis nigris; rostrum porrectum, cylindricum, maris vix longitudine capitis cum thorace, crassum, punctatum, pubescens; feminæ longius, minus crassum, glabrum, nitidum. Antennæ versus basin rostri insertæ, fusco-ferrugineæ, clava ovata. Thorax parvus, sub-cylindricus, æqualis, niger, obsolete punctatus, dense griseo-pubescens. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, opaca, minus profunde punctato-striata, interstitiis latis, planis, coriaceis; tota pube densa grisea tecta. Corpus subtus nigrum, punctatum, parce pubescens. Pedes validi, pubescentes, femoribus nigris, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis. GHL.

* 42. A. CARPINI.

Breve, nigrum, squamulis densis virescenti-argenteis tectum, antennis pedibusque flavo-testaceis, elytris obsolete punctato-striatis, rostro longo, tenuissimo, ferrugineo.

Rhynchænus carpini. FABR. *Syst. el.* II. p. 452. n° 71. sec. Mus. T. LUND, sed vix jure.

Habitat in Barbaria. Mus. SCHH. E Musæo Dom. T. LUND.

A. ulicis nimis affinis, rostri et pedum colore fere unice distinctus. Caput breve, latum, punctatum, nigrum, squamulis viridi-argenteis tectum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum, longitudine capitis cum thorace, basi ipsa determinate crassius, nigrum, squamosum, dein valde tenue, cylindricum, parum arcuatum, ferrugineum, nitidum, glabrum, apice ipso infuscatum. Antennæ pallide testaceæ, clava apice fuscescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone medium ampliatus, basi leviter sinuatus, supra convexus, obsolete punctulatus, niger, squamulis virescenti-argenteis tectus. Scutellum minutum, triangulare, squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis; pone basin ampliata, posterius angustata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, æqualia, obsoletius punctato-sulcata, nigra, squamositate densa sub-argentea vestita. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense virescenti-argenteo squamosum. Pedes elongati, validi, flavo-testacei, parce pubescentes, unguis obscurioribus. GHL.

43. A. ILICIS. *

Nigrum, cinereo-villosum, rostro longissimo, deflexo, atro, pedibus anterioribus ferrugineis.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 18. n° 1. T. 1. f. 1.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 124. n° 1.
Curculio id. FORST. *Cent. Ins.* p. 31.
MARSH. *Ent. Br.* p. 256. n° 54.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 496. n° 109.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1754. n° 165.
A. ilicis. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 82.
VAR. β. Pedibus quatuor anterioribus ferrugineis.
KIRBY et GERM. loc. cit. var. β.
* VAR. γ. Pedibus omnibus ferrugineis.

VAR. λ. Pedibus omnibus nigris.
KIRBY et GERM. loc. cit. var. γ.

Patria : Anglia, Germania.

* 44. A. FUSCIROSTRE.

Nigricans, pilosulum, elytris fuscis ; striga obliqua baseos cinerea, pedibus rufis, plantis atris. — KIRBY.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 125. n° 2. T. 2. f. 8. a.
Attelabus fuscirostris. FABR. *Syst. el.* II. p. 424. n° 40. — *Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 24.
Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 100. n° 41. — *Sp. ins.* I. p. 167. n° 32. — *Syst. ent.* p. 131. n° 23.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 482. n° 52.
VILLERS. *Ent.* I. p. 187. n° 42. et IV. p. 67. n° 42.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 296. n° 14.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1743. n° 102.
A. melanopum. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 19. n° 2.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 248. n° 27.
A. albo-vittatum. HERBST. *Col.* VII. p. 116. n° 16. T. 103. f. 4.?
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 35. n° 50. *Attelabus* T. 3. f. 50.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 82.
Curculio albo-vittatus. HERBST. *Arch.* p. 74. n° 32.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1755. n° 176.
Curculio venustus. HERBST. *Col.* VI. p. 163. n° 121. (Descriptio tantummodo neque figura.)
Curculio teretirostris. HERBST. *Col.* VI. p. 106. n° 67. T. 66. f. 11.?
Curculio curvirostris. HERBST. *Arch.* IV. p. 78. n° 53.?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1761. n° 282.?

Patria : Europa temperata.

* 45. A. DIFFICILE.

Griseo-pilosum, antennis pedibusque rufis, geniculis tarsisque nigris, rostro basi bi-dentato.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 128. n° 4. T. 2. f. 9. a. b.
HERBST. *Col.* VII. p. 114. n° 13. T. 103. f. 1. a.
VAR. β. Femoribus anticis tibiisque omnibus rufis.
GERM. *Mag.* III. App. p. 52. n° 26.
A. corniculatum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 1295. T. 4. 22. a. b. c. et III. App. p. 38.
Patria : Germania.

* 46. A. Semi-vittatum. *Schh.*

Nigrum, cinereo-pubescens, pedibus totis pallide testaceis, rostro tenui arcuato, thorace cylindrico, elytris oblongo-ovatis, basi interiore vitta abbreviata albida.

Habitat in Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

A. vernali parum majus. Caput breve, latiusculum, nigrum, obsolete punctatum, cinereo-pubescens, oculis prominulis, nigris; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, filiforme, valde arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ juxta basin rostri insertæ, et illo paulo longiores, nigræ, clava oblonga, parum crassa. Thorax brevis, cylindricus, margine antico sub-elevato, basi truncatus, supra modice convexus, niger, opacus, obsoletissime punctulatus, pilis depressis adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, et illo quadruplo longiora, oblongo-ovalia, supra modice convexa, nigra, parum nitida, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis; in basi interiore singuli elytri vitta inæqualis, valde abbreviata, e pilis condensatis albidis; cæterum elytra pube cinerea undique parcius adspersa. Corpus subtus nigrum, non nitidum, confertim punctulatum, parce pubescens. Pedes mediocres, pallide testacei, tarsis paulo obscurioribus. Ghl.

* 47. A. Genistæ.

Nigrum, albido-villosum, elytris villoso-cinereis, vitta recta albida, pedibus rufis, plantis atris.

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 347. n° 62.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 127. n° 3. et III. App. p. 38.
Curculio astragali. Herbst. *Col.* VI. p. 78. n° 56. T. 66. f. 2. et VII. p. 4.
A. vittula. Illig. *in Litt.*

Patria: Anglia, Germania septentrionalis, Francof. ad Mein.

* 48. A. Atrirostre.

Nigrum, pube cinereo-sericea nitida adspersum, antennis pedibusque flavo-testaceis, thorace subconico, convexo, punctulato, elytris obovalibus, obsolete punctato-striatis, interstitiis convexis, rostro longo, tenui, sub-arcuato, atro.

Attelabus atrirostris. Fabr. *Syst. el.* II. p. 404. n° 45.
* Var. β. Rostro rufo-piceo.

Habitat in America meridionali. Musæum SCHH. E Mus. Dom. T. LUND.

Parvum, *A. pallipedi* brevius. Caput majusculum, rotundatum, convexum, confertim punctulatum, nigrum, pube sericea, nitida vestitum; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, tenue, cylindricum, parum arcuatum, nitidum, aut nigrum, aut rufo-piceum. Antennæ prope basin rostri insertæ, testaceæ, apice fuscescentes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, subconicus, apice truncatus, lateribus obliquis, posterius parum ampliatis, basi sub-sinuatus et intra basin leviter constrictus, supra convexus, confertim obsoletius punctulatus, niger, pube sericea, nitida adspersus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra aequaliter convexa, evidenter striata, sed in striis obsolete punctata, interstitiis minus latis, convexis; nigra, pube sericea, nitida, parcius adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, pallide testacei, genibus tarsisque paulo saturatioribus. GHL.

* 49. A. MALVÆ.

Nigrum, cinereo-villosum, elytris, antennis pedibusque testaceis.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 20. n° 3. T. 1. f. 2.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 130. n° 6. T. 3. f. 19.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 38. n° 56. T. 3. f. 56.
Attelabus id. FABR. *Syst. el.* I. p. 426. n° 56. — *Ent. Syst.* I. II. p. 391. n° 32.
OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 283. n° 22.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 308. n° 56.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 297. n° 21.
Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 101. n° 57. — *Sp. ins.* I. p. 168. n° 43. — *Syst. ent.* p. 132. n° 130.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 246. n° 23.
VILLERS. *Ent.* I. p. 188. n° 49. et IV. p. 268. n° 49.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1743. n° 101.
Rhinomacer minutus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 115. n° 9.
Curculio pulex. GMEL. LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1758. n° 213.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 272. n° 9. *Rhinomacer.*

Patria : Europa temperata et meridionalis.

50. A. Vernale. ♂♀

Fusco-piceum, pube densa cinereo-albida tectum, antennis pedibusque testaceis, elytris fasciis duabus obliquis denudatis, fusco-piceis.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 33. n° 2.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 131. n° 7. T. 2. f. 7.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 21. n° 4.
Herbst. *Col.* VII. p. 113. n° 12. T. 102. f. 12.
Attelabus vernalis. Fabr. *Syst. el.* II. p. 427. n° 60. — *Ent. Syst.* I. II. p. 392. n° 36.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 183. n° 18.
Panz. *Ent. Germ.* p. 298. n° 25.
Curculio id. Payk. *Mon. Curc.* p. 138. n° 129.
A. fasciatum. Oliv. *Ent.* V. 81. p. 39. n° 57. *Attelabus* T. 3. f. 57.
Attelabus fasciatus. Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 283. n° 23.
Curculio lythri. Panz. *Faun. Germ.* XVII. n° 8.
Curculio scalptor. Herbst. *Col.* VI. p. 105. n° 66. T. 66. f. 10.
Curculio urticarius. Herbst. *Arch.* p. 74. n° 30.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 498. n° 125.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1755. n° 174.
Curculio concinnus. Marsh. *Ent. Brit.* p. 248. n° 26.

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

51. A. Rufescens. ♂♀

Ferrugineum, albido-villosulum, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris fasciis duabus obliquis, sub-nudis, rufo-brunneis, pectore ventreque piceis.

Patria : Lusitania et Insulæ Ionienses. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

A. vernali simillimum et nimis affine, modo duplo minus et aliter coloratum. Rostrum maris brevius et crassius, dense villosulum ; feminæ longius, tenuius, nudum, nitidum, in utroque rufo-ferrugineum. Thorax confertim punctatus, ferrugineus, opacus, cinereo-villosulus. Elytra evidenter sub-remote punctato-sub-sulcata, ferruginea, antice parcius cinereo-villosula, in medio fasciis duabus obliquis, inæqualibus, saturatius brunneis, subnudis notata, spatio interjacente albidius villoso. Pectus et venter nigro-picea, albido-villosa.

Observ. Utrum species distincta, vel *A. vernalis* varietas ex climate et victu, ægre dijudicari potest ; præter colorem et magnitudinem, notas essentialiter distinguentes eruere non valui. Ghl.

52. A. RUFIROSTRE. ♂ ♀.

Nigrum, supra parce, subtus dense albido-pubescens, antennis pedibusque pallide rufis, thorace brevi, postice latiore, elytris nitidis, sulcato-punctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 536. n° 15. ♂ ♀.

Mas: *rostro breviore dimidiato anoque rufis.*

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 154. n° 23.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 37. n° 17. et add. X.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 33. n° 48. *Attelabus* T. 3. f. 48.
HERBST. *Col.* VII. p. 111. n° 10. T. 102. f. 10.
Attelabus rufirostris. FABR. *Syst. el.* II. p. 424. n° 42.—*Ent. Syst.* I. II. p. 390. n° 26.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 134. n° 43.
Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 100. n° 46.—*Sp. ins.* I. p. 167. n° 35. — *Syst. ent.* p. 132 n° 25.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 114. n° 293.—Ed. HELLW. p. 122. n° 273.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 483. n° 57.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 246. n° 21.
VILLERS. *Ent.* I. p. 187. n° 44. et IV. p. 267. n° 44.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1754. n° 107.

Femina: *rostro longiore toto anoque nigris.* — GHL. loc. cit.
A. malvarum. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 33. n° 16.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 153. n° 22.
Curculio trifolii. MARSH. *Ent. Brit.* p. 246. n° 22.

Patria: Anglia, Italia, Suecia meridionalis.

53. A. FULVIROSTRE. ♂. *Schh.*

Nigrum, opacum, supra pube cinerea, subtus densiore albida tectum, rostro dimidio, antennis pedibusque flavo-testaceis, elytris ob-ovatis, sulcato-punctatis, interstitiis planis coriaceis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et similitudo *A. rufirostris*, sed multo magis pubescens. Caput latum, nigrum, obsolete punctatum, cinereo-pubescens, oculis parum prominulis, brunneis; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, sub-arcuatum, basi nigrum, opacum, pubescens, a medio ad apicem flavo-testaceum, glabrum, nitidum, apice ipso iterum nigro; subtus versus basin pilis brevibus erectis fuscis obsitum. Antennæ juxta basin rostri insertæ, mediocres, totæ flavo-testaceæ. Thorax latitudine

baseos paulo brevior, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, niger, obsolete punctatus, pube densa, depressa tectus; in medio baseos foveola brevis impressa. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, nigra, minus profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; tota pube cinerea, depressa obducta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, undique pube depressa albida omnino tectum. Pedes validi, flavo-testacei, tarsis obscurioribus. GHL.

54. A. SQUAMULATUM. ♂♀. *Schh.*

Oblongo-ellipticum, nigrum, squamulis viridi-argenteis tectum, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace sub-cylindrico, confertim punctato, elytris remote punctato-sulcatis.

Mas. *Rostro breviore pallide testaceo, basi nigro.*
Femina. *Rostro longiore, cylindrico, toto atro, nitido.*

Patria: Cap. Bonæ Spei. Dom. Von WINTHEIM. Mus. SCHH.

Parvum; *A. rufirostri*, et *A. pallipedi* minus. Caput oblongum, punctulatum, nigrum, squamulis virescenti-argenteis tectum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum maris vix capite dimidio longius, pallide testaceum, basi et interdum ipso apice nigrum; feminæ capite cum thorace fere longius, magis tenue, totum nigrum, in utroque cylindricum, arcuatum, subtilissime punctulatum, nitidum, glabrum, basi tantum squamulosum. Antennæ prope basin rostri insertæ, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine fere longior, sub-cylindricus, apice truncatus, margine nonnihil elevato, lateribus vix ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, sub-pulvinatus, confertissime punctatus, niger, opacus, squamulis depressis, acutis, viridi-argenteis, nitidis adspersus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra ovata, antice thoracis basi paulo latiora, callo humerali parum elevato; lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, æqualia, evidenter sulcata et in sulcis remote punctata, interstitiis planis, sub-lævibus; nigra, squamulis densis virescenti-argenteis, nitidis vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis virescenti-argenteis, ad latera pectoris densioribus, tectum. Pedes minus elongati, validi, toti pallide testacei. GHL.

55. A. PALLIPES. ♂.

Nigrum, obscurum, tenue griseo-pubescens, antennarum basi pedibusque testaceis, elytris angustioribus, rostro arcuato, cylindrico.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 34. n° 3.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 160. n° 26. *Attelabus* p. 255. n° 3.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 38. n° 20. T. 2. f. 7.

A. geniculatum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 175. n° 36. T. 3. f. 25. et III. App. p. 39.

Attelabus flavipes. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 52. n° 13. T. 36. f. 13.

Patria: Anglia, Suecia, Germania.

* 56. A. FLAVO-FEMORATUM.

Nigrum, cinereo-pubescens, femoribus medio rufis, thorace sub-cylindrico, profunde punctato, coleopteris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, cyaneis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 163. n° 28. T. 4. f. 10. a. b.

HERBST. *Col.* VII. p. 115. n° 14. T. 103. f. 2. b.

Patria: Germania.

* 57. A. FLAVIMANUM. *Schh.*

Nigrum, dense cinereo-pubescens, antennarum basi, genibus tibiisque anticis testaceis, rostro crasso, sub-arcuato, thorace brevi, punctato; elytris ob-ovatis, sub-remote punctato-sulcatis.

Habitat Parisiis. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *A. vernali* brevior. Caput latum, confertim punctulatum, pone oculos transversim impressum, nigrum, pubescens; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite angustius, sed paulo longius, crassum, sub-arcuatum, confertim punctatum, nigrum, dense pubescens. Antennæ mediocres, prope basin rostri insertæ, nigræ, basi obscure testaceæ. Thorax latitudine baseos fere brevior, anterius paulo angustior, apice truncatus, margine elevato, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acutis, supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, dense cinereo-pubescens. Scutellum triangulare, concolor. Elytra thoracis basi latiora, humeris parum elevatis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra æqualiter convexa, evidenter sulcata et in sulcis sub-remote punctata, ni-

gra, dense cinereo-pubescentia. Corpus subtus nigrum, punctatum, pubescens. Pedes validi, nigri, pubescentes, femoribus primi paris apice late tibiisque totis testaceis, tarsis fuscis. GHL.

* 58. A. MILLUM. *Schh.*

Elongatum, angustum, nigrum, opacum, longius pubescens, antennis inferne tibiisque piceo-ferrugineis, thorace subconico, elytris profunde sulcato-punctatis, interstitiis angustioribus convexis.

Habitat in Chersoma Thraciæ. Dom. LUNDSTEDT. In Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Parvum, angustum, statura et magnitudine *A. seniculi.* Caput breve, nigrum, obsolete punctulatum, cinereo-pubescens, oculis sub-prominulis brunneis; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, nigrum, opacum, apice ipso nitidum. Antennæ versus basin rostri insertæ, inferne tenues, fusco-ferrugineæ, clava oblonga, nigra, acuminata. Thorax latitudine longior, anterius angustior, constrictus, basi latior, sub-bisinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, obsolete punctulatus, pube longiore cinerea depressa adspersus. Scutellum parvum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, non elevatis, lateribus inflexa, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, late et profunde sulcata, sulcis rude punctatis, interstitiis angustis, convexis; tota nigra, opaca, longius pubescentia. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pubescens. Pedes mediocres, pubescentes, femoribus nigris, tibiis anticis ferrugineis, reliquis obscurius piceis, tarsis elongatis nigris.

GHL.

Manipulus II. — Antennæ in medio rostri insertæ (1).

†. *Pedibus pallidis, aut totis, aut quoad partem.*

* 59. A. ATRITARSE. *Schh.*

Nigrum, parum nitidum, cinereo-pubescens, antennis inferne pedibusque flavo-testaceis, tarsis nigris, thorace lateribus rotundato, elytris oblongo-ovalibus, sulcatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *A. rufirostris.* Caput latum, sub-de-

---

(1) In masculis *A. brevirostris* et *Hydrolapathi*, antennæ versus medium rostri insertæ, sed in feminis prope basin.

pressum, nigrum, cinereo-pubescens, ruguloso-punctatum, oculis parum prominulis, nigris; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, nigrum, nitidum, parum arcuatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava ovata, nigra, pubescente. Thorax latitudine medii non longior, antice leviter constrictus, margine elevato, lateribus rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra parum convexus, niger, confertim punctatus, pube depressa cinerea adspersus, in medio baseos canalicula angusta, abbreviata impressus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis, thorace fere quadruplo longiora, oblongo-ob-ovalia, apice attenuata, supra modice convexa, nigra, pube cinerea, depressa adspersa, sat profunde sed anguste sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, subtilissime punctulato-coriaceis. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube densiore depressa cinereo-albida fere tectum. Pedes validi, flavo-testacei, femoribus medio incrassatis, tarsis latiusculis, totis nigris. GHL.

60. A. VICIÆ. ♂ ♀

Nigrum, supra griseo subtus albido-pubescens, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-cylindrico, coleopteris ovalibus, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 150. 20. T. 4. f. 15. *Attelabus* p. 255. n° 4. et III. App. p. 38.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 32. n° 4.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 31. n° 14.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 278. n° 2.

Attelabus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 181. n° 16.

Curculio trifolii. LINN. *Syst. nat.* III. *Attelabus* p. 224. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1758. n° 209.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 308. n° 57. Not. sub *Attelabo flavipede.*

Patria : Suecia, Anglia, Gallia, Germania, Tauria.

61. A. OBSCURUM.

Nigrum, albido-villosulum, pedibus quatuor anterioribus rufis, coleopteris globoso-oblongis, obscure nigro-æneis.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 33. n° 15.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 152. n° 21.

Curculio obscurus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 244. n° 16.

Patria : Anglia.

62. A. DIFFORME.

Filirostre, atrum, nitidum, femoribus tibiarumque annulo rufis, antennis rufis, articulis baseos dilatatis, clava nigra.

AHRENS. *Faun. Ins. Eur.* IV. Tab. 7.
GERM. *Mag.* III. *App.* p. 46. n° 2.

Patria : Anglia.

63. A. DISSIMILE. ♂♀

Nigrum, nitidum, femoribus tibiarumque basi rufis, thorace cylindrico, punctato, coleopteris ovalibus, punctato-striatis.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 171. n° 33. T. 4. f. 18. a—d.

Patria : Saxonia, Borussia.

64. A. VARIPES. ♂♀

Nigrum, glabrum, antennarum basi, femoribus tibiarumque annulo rufis, thorace oblongo, profunde punctato, postice canaliculato, elytris oblongo-ovalibus, punctato-striatis, rostro arcuato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 538. n° 18.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 173. n° 34. T. 4. f. 19.
A. flavipes, var. c. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 37. n° 5.
A. flavifemoratum, var. β. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 43.
A. flavipes. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 34. n° 49. *Attelabus* T. 3. f. 49.?
Attelabus id. OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 282. n° 1.?

Patria : Suecia, Anglia, Germania, Gallia, Tauria.

65. A. APRICANS. ♂♀

Nigrum, glabrum, antennarum basi, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, thorace oblongo, sub-cylindrico, subtilius punctato, elytris ob-ovalibus sulcato-punctatis, rostro longiore, parum arcuato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 540. n° 20.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 165. n° 30. T. 4. f. 14. a. b.
OLIV. *Ent.* V. 81. p. 37. n° 54. *Attelabus* T. 3. f. 54.
HERBST. *Col.* VII. p. 117. n° 17. T. 103. f. 5.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 299. n° 4.
A. flavifemoratum. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 42. n° 23.
A. flavipes, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 36. n° 5.
Attelabus flavipes. PANZ. *Faun. Germ.* XX. 13.

Curculio trifolii, var. MARSH. *Ent. Brit.* p. 246. n° 22.

Trans. Linn. Soc. VI. p. 142. T. 5. f. a—d.

Rhinomacer flavipes. MULL. *Zool. Dan. Pr.* p. 90. n° 1018.

Curculio Fagi. LINN. *Faun. Suec.* Ed. 2. n° 609. Descriptio (*minime diagnosis.*)

LINN. *Faun. Suec.* Ed. 1. p. 159. n. 469. *Curculio ater, femoribus exalbidis.*

Curculio ochropus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1757. n° 203.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 272. n° 8. *Rhinomacer.*

Patria : Anglia, Gallia, Italia, Germania, Suecia.

66. A. FAGI.

Atrum, glabrum, antennis basi femoribusque pallidis, coleopteris oblongis, nigricantibus.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 40. n° 21. T. 1. f. 8.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 161. n° 27. et III. *App.* p. 38.

VAR. β. Tibiis anticis etiam pallidis. — KIRBY et GERM. loc. cit. var. β.

An *A. apricans idem.?*

Patria : Suecia.

67. A. ONONIDIS. ♂♀

Nigrum, glabrum, antennarum basi femoribusque omnibus rufis, thorace oblongo, inæquali, profunde punctato, elytris oblongo-ovalibus, sulcato-punctatis, rostro longo arcuato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 539. n° 19.

Patria : Suecia occidentalis, Borussia.

68. A. LÆVICOLLIS.

Atrum, glabrum, fronte sulcata, femoribus testaceis, trunco læviusculo, coleopteris globoso-ovatis, gibbis.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 348. n° 63.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 174. n° 35.

Patria : Anglia.

69. A. FLAVIPES. ♂♀

Antennis nigris, basi rufis, nigrum, nitidulum, femoribus tibiisque rufis, thorace sub-cylindrico, coleopteris ovalibus, punctato-sulcatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 158. n° 25. T. 4. f. 13.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 36. n° 5. et IV. p. 542. n° 23.

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 37. n 19.

Herbst. *Col.* VII. p. 106. n° 5. T. 102. f. 5.

Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 298. n° 3.

Attelabus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 427. n° 57. — *Ent. Syst.* I. II. p. 391. n° 33.

Payk. *Faun. Suec.* III. p. 182. n° 17.

Panz. *Ent. Germ.* p. 298. n° 22.

Walcken. *Faun. Paris.* I. p. 236. n° 13.

Curculio id. Fabr. *Mant.* I. p. 102. n° 63. — *Sp. ins.* I. p. 169. n° 47. — *Syst. ent.* p. 133. n° 33.

Payk. *Mon. Curc.* p. 143. n° 135.

Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 118. n° 291.—Ed. Hellw. p. 121. n° 291.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1745. n° 111.

Var. β. Tibiis piceis.

Germ. *Mag.* loc. cit. var. β.

Patria : Europa.

70. A. Æstivum. ♂♀

Nigrum, nitidum, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, antennis totis nigris, thorace cylindrico, subtilius punctato, elytris latioribus, ovalibus, sulcato-punctatis.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 541. n° 22.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 189. n° 31. T. 4. f. 16.

A. flavifemoratum, var. β. Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 43.

Curculio flavipes. Laich. *Tyr. Ins.* I. p. 232. n° 23.

♂ Var. β. Femoribus anticis medio rufis.

Germ. *Mag.* III. p. 53. n° 41.

A. ruficrus. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 171. n° 32. T. 4. f. 17. et III. App. p. 39.

Patria : Germania, Gallia, Suecia, Tauria.

71. A. Assimile. ♂♀

Angustum, nigrum, glabrum, antennis basi piceis, femoribus rufis, thorace cylindrico, subtilius punctato, elytris angustis, oblongo-ovatis, punctato-striatis, rostro longiore arcuato.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 541. n° 21.

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 42. n° 22.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 164. n° 29. et III. App. p. 39.

A. flavipes, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 36. n° 5.

Patria : Anglia, Gallia, Germania, Suecia, Tauria.

* 72. A. ANGUSTICOLLE. *Schh.*

Angustum, nigrum, sub-glabrum, femoribus omnibus tibiisque anticis flavo-testaceis, antennis totis nigris, thorace angusto, cylindrico, punctulato, elytris oblongis, tenuius punctato-sulcatis.

Habitat in Odessa. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Parvum ; *A. flavipedi* æquale et valde simile, sed color antennarum et tibiarum alius, elytra tenuius striata ; quoad colores cum *A. æstivo* convenit, sed multo angustius, præsertim in elytris. Caput elongatum, angustum, nigrum, punctulatum, oculis brunneis, non prominulis; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, sub-arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennæ versus medium rostri insertæ, mediocres, tenues, nigro-piceæ totæ, clava oblonga, angusta, acuminata. Thorax angustus, vix capite latior, cylindricus, latitudine dimidio longior, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, confertissime punctatus, punctis longitudinaliter confluentibus, rugulas formantibus. Scutellum punctiforme, concolor. Elytra oblongo-ovalia, antice thorace dimidio latiora, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra modice convexa, nigra, parum nitida, anguste striata, striis obsoletissime punctatis, interstitiis striis duplo latioribus, planis, subtiliter coriaceis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, obsolete punctulatum. Pedes elongati, femoribus omnibus tibiisque anticis flavo-testaceis, tibiis posterioribus, genibus tarsisque omnibus nigro-fuscis. GHL.

73. A. NIGRITARSE. ♂♀

Nigrum, nitidulum, antennis pedibusque flavis, antennarum clava tarsisque nigris, thorace cylindrico, coleopteris ovalibus, gibbis, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 156. n° 24. T. 4. f. 12.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 36. n° 18. T. 1. f. 6. ♂. p. 80. App. ♀

Patria : Anglia, Gallia, Germania.

74. A. MINIATUM. ♂♀. *Schh.*

Sanguineum, oculis nigris, thorace lateribus, rotundato, antice marginato, coleopteris oblongo-ob-ovalibus, punctato-sulcatis. — GERM.

A. frumentarium. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 252. n° 105. (Exclusis synonymis.)

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 77. n° 60.

Herbst. *Col.* VII. p. 107. n° 6. T. 102. f. 6.

Patria : Anglia, Germania, Gallia, Tauria.

75. A. Frumentarium. ♂♀

Pallide sanguineum, opacum, oculis solis nigris, rostro breviori, arcuato, glabro, pedibus pallidioribus, elytris crenato-striatis.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 32. n° 1. et IV. p. 542. n° 24.

Oliv. *Ent.* V. 81. p. 33. n° 47. *Attelabus* T. 3. f. 47.

Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 249. n° 1.

Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 297. n° 1.

Oken. *Naturg.* III. p. 77. n° 8.

Attelabus frumentarius. Fabr. *Syst. el.* II. p. 427. n° 59. — *Ent. Syst.* I. II. p. 392. n° 35.

Payk. *Faun. Suec.* III. p. 177. n° 10.

Panz. *Faun. Germ.* XX. n° 14. — *Ent. Germ.* p. 298. n° 24. — *Ed. Rev. d. Ins. Faun.* I. p. 124.

Oliv. *Enc. méth.* IV. p. 282. n° 19.

Cederh. *Faun. Ingr.* p. 320. T. 2. fig. J.

Walcken. *Faun. Paris.* I. p. 237. n° 15.

Cuvier. *Dyrhist.* II. p. 176. n° 9.

Illig. *Mag.* IV. p. 136. n° 59.

Curculio id. Linn. *Faun. Suec.* n° 586.—*Syst. nat.* I. II. p. 608. n° 13. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1745. n° 15.

Fabr. *Mant.* I, p. 102. n° 65. — *Sp. ins.* I. p. 169. n° 49. — *Syst. ent.* p. 133. n° 34.

Payk. *Mon. Curc.* p. 139. n° 130.

Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 117. n° 301.—Ed. Hellw. p. 125. n° 301.

Marsh. *Ent. Brit.* p. 242. n° 11.

Villers. *Ent.* I. p. 177. n° 12.

Fisch. *Naturg. v. Livl.* p. 133. n° 267.

Blumenb. *Handb.* Ed. 7. p. 327. n° 2.

A. hæmatodes. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 251. n° 104. et *Add.* p. 255. n° 1.

Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 76. n° 59.

Attelabus purpureus. Latr. *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 90.

Curculio id. Scop. *Ent. Carn.* p. 28. n° 86.

Laich. *Tyr. Ins.* I. p. 230. n° 22.

Curculio coccineus. Oliv. *Enc. méth.* V. p. 562. n° 5.?

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1742. n° 558.?
Rhinomacer frumentarius. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 108. T. 13. f. 1. 2.
MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1011.
Rhinomacer sanguineus. Acta Nidr. III. p. 391. n° 10.
MULL. *Faun. Fridr.* p. 10. n° 94.
LESKE *Mus.* p. 18. n° 381.? *Curculio.*
LEUWENH. *Arc. Nat.* 168. *Augm.* 6. p. 83. f. 1.
PETIVER *Gazoph.* 35. T. 22. f. 5. *Curculio miniatus minimus.*
PODA *Mus. Græc.* p. 29.
Patria : Europa.

76. A. SANGUINEUM. ♂♀

Pallide sanguineum, opacum, sub-pubescens, oculis solis nigris, rostro longiore, paulo angustiore, recto, pedibus pallidioribus, elytris crenato-striatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 543. n° 25.
Curculio id. DE GEER. *Ins.* V. p. 251. n° 40.

Patria : Suecia, Anglia.

77. A. NIGRIROSTRE (1).

Cinereum, rostro arcuato, atro, pedibus testaceis.—FABR.
Attelabus nigrirostris. FABR. *Syst. el.* II. p. 424. n° 44. — *Suppl.* p. 163. n° 26-27.

Patria : Tanger.

78. A. FLAVICORNE (1).

Ater, antennis pedibusque flavis.—FABR.

Attelabus flavicornis. FABR. *Syst. el.* II. p. 427. n° 58.

Patria : America meridionalis.

†† *Pedibus obscuris.*

79. A. TUBIFERUM. ♂♀

Oblongum, angustum, cæruleo-virescens, undique albido-pilosum, rostro porrecto cupreo, feminæ longissimo, cylindrico.

DEJEAN. *Cat. Col.* p. 81.

---

(1) Forte hujus manipuli : mihi invisus.

Habitat in Gallia meridionali. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Statura angusta *A. varipedis*, sed paulo majus. Caput oblongum, angustum, cœruleo-virescens, albido-pilosum, punctatum, inter oculos striatum; oculi brunnei, parum prominuli; rostrum maris capite duplo longius, porrectum, crassiusculum, punctatum, pilosum, cupreo-æneum; feminæ longitudine dimidii corporis, cylindricum, filiforme, basi pilosum, versus apicem læve, glabrum, cupreum, nitidum. Antennæ paulo ante medium rostri insertæ, nigræ, pilosæ, clava majuscula, ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, supra convexus, cœruleo-virescens, albido-pilosus, ruguloso-punctatus, ante basin vix impressus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, lateribus ultra medium ampliata, thorace quadruplo longiora, apice simultanææ rotundata, supra convexa, cœruleo-virescentia, pilis sub-erectis, rigidis, albis adspersa; regulariter striato-punctata, interstitiis latiusculis, planis, in mare sub-coriaceis, in femina lævioribus. Corpus subtus nigro-virescens, vel æneo-micans, confertim punctatum, albo-pilosum. Pedes mediocres, albido-pilosi, femoribus virescenti-æneis, tibiis tarsisque nigris. GHL.

80. A. SENICULUS. ♂♀

Nigrum, immaculatum, longius pubescens, capite angusto, rostro elongato, tenui, arcuato, antennis longioribus, thorace breviori. —GHL.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 61. n° 43.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 216. n° 72.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 543. n° 26.
A. tenuis. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 57. n° 25.
GERM. *Mag.* II. *Add.* p. 258. n° 25. et III. *App.* p. 45.
A. elongatum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 214. n° 70. T. 4. f. 7.
A. plebejum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 215. n° 77. et III. *App.* p. 43.

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

* 81. A. TRIFOLII. *Linz.*

Nigrum, obscurum, vix pubescens, capite brevi, latiusculo, thorace longiore, sub-cylindrico, confertim punctato, elytris ovatis, sub-remote punctato-sulcatis, rostro mediocri, sub-arcuato, nitido.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 97.

Habitat in Germania. Dom. STURM. Mus. SCHH.

Parvum; *A. seniculo* paulo brevius, sed latius, thorace longiore, pubescentia vix visibili est ab illo distinctum. Caput breve, latitudine fere thoracis, confertim punctatum, nigrum; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, parum arcuatum, atrum, nitidum. Antennæ mediocres, totæ nigræ. Thorax latitudine fere longior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, lateribus vix ampliatus, supra minus convexus, confertim ruguloso-punctatus, ante scutellum foveola obsoleta impressus, niger, obscurus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra ovata, antice thoracis basi parum latiora, lateribus ultra medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; late profundeque sulcata et in sulcis remote, rude punctata, interstitiis planis; tota nigra, parum nitida. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, evidenter punctatum, vix pubescens. Pedes validi, nigri, tenuiter pubescentes. GHL.

* 82. A. CIVICUM.

Nigrum, griseo-pilosum, thorace transverso, punctulato, elytris latioribus, oblongo-ovalibus, sulcato-punctatis, rostro longiori arcuato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 544. n° 27.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 234. n° 88. T. 3. f. 12.

Patria : Germania, Suecia meridionalis.

* 83. A. SALICIS. *Chevrolat.*

Brevius, nigrum, griseo-pilosum, thorace brevi, subtiliter punctulato postice canaliculato, elytris ob-ovatis, punctato-striatis, fronte impressa.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum et donatum.

Magnitudo et facies *A. vicini*, sed antennæ versus medium rostri insertæ. Caput sub-quadratum, punctulatum, nigrum, fronte ad basin rostri sat profunde impressa; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite vix dimidio longius, minus tenue arcuatum, punctulatum, nigrum, griseo-tomentosum. Antennæ mediocres, nigræ, articulo primo longiore, clavato. Thorax latitudine brevior, antennis parum angustior, apice truncatus, lateribus vix ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, subtiliter punctulatus, ante medium baseos foveola sat profunda im-

pressus, niger, griseo-tomentosus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, angulatis; lateribus parum ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, anguste striata, et in striis sub-remote punctata, interstitiis latioribus, planis; nigra, subtiliter griseo-tomentosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, magis nitidum, parum pubescens. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus sub-clavatis, nitidis, tibiis tarsisque cinereo-pubescentibus. Ghl.

84. A. Loti.

Filirostre, nigrum, griseo pilosulum, fronte rugulosa, thorace cylindrico, punctulato, postice canaliculato, coleopteris oblongo-ovalibus, punctato-sulcatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 206. n° 62. et III. *App.* p. 41.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 58. n° 38.

Patria : Anglia.

85. A. Tenue. ♂♀

Filirostre, nigrum, nitidulum, thorace oblongo, cylindrico, sub-punctato, coleopteris oblongo-ovalibus, punctato-striatis.

Germ. *Mag.* II. p. 213. n° 69. et III. *App.* p. 43.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 61. n° 42.

Patria : Anglia, Gallia.

86. A. Humile. ♂♀

Brevirostre, nigrum, griseo-pilosum, thorace cylindrico, punctato, postice impresso, coleopteris oblongo-ob-ovalibus, punctato-sulcatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 232. n° 85. T. 3. f. 1.
Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 545. n° 31.
A. brevirostre. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 52. n° 20.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 68. n° 51.
Oliv. *Ent.* V. 81. p. 36. n° 52. *Attelabus* T. 3. f. 52.
A. curtirostre. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 230. n° 84. et III. App. p. 45.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 87. A. SEDI.

Brevirostre, nigrum, tenue pubescens, fronte rugoso-punctata, thorace cylindrico, parcius vage punctato, elytris oblongo-ovalibus, punctato-striatis.

GERM. *Mag.* III. App. p. 49. n° 5.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 545. n° 32.

Patria : Germania. Suecia, Gallia.

88. A. MINIMUM. ♂

Atrum, sub-opacum, tenuissime pubescens, rostro breviore, crassiusculo, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, costatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 59. n° 27.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 236. n° 90. T. 3. f. 9.
HERBST. *Col.* VII. p. 115. n° 15. T. 103. f. 3. g.
A. velox. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 349. n° 64.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 199. n° 55. et III. App. p. 41.

Patria : Anglia, Suecia, Germania.

* 89. A. EBENINUM.

Antennis brevibus, nigrum, nitidum, thorace oblongo, sub-cylindrico, vage punctato, postice profunde canaliculato, coleopteris ovalibus, punctato-sulcatis, interstitiis convexis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 197. n° 54. T. 4. f. 3.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 55. n° 34. T. 1. f. 11.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 48. n° 15.

Patria : Anglia, Gallia, Germania, Suecia.

90. A. LÆVITHORAX. *Schh.*

Brevius, nigrum, glabrum, rostro tenuiore, arcuato, capite brevi, depresso, thorace subtilissime, obsolete punctulato, elytris ovatis, convexis, tenuiter sub-remote punctato-striatis.

Patria : Gallia, Rothomagi. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

A. marchico Germ. statura simile, sed rostrum longius et tenuius, thorax subtilissime tantum et obsolete punctulatus, etc. Caput breve, latum, depressum, subtiliter, confertim punctulatum,

nigrum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, sub-tenue, modice arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ sub-tenues, nigræ. Thorax latitudine paulo brevior, apice truncatus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra minus convexus, subtilissime, obsolete punctulatus, niger, nitidus. Scutellum parvum, concolor. Elytra satis ampla, antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, anguste striata, et in striis sub-remote punctata, nigra, nitida. Corpus subtus punctatum, nigrum. Pedes mediocres, toti nigri. GHL.

* 91. A. FORAMINOSUM. *Germ.*

Oblongum, atrum, obscurum, fere glabrum, thorace sub-cylindrico, varioloso-punctato, elytris ovatis, convexis, profunde, remote punctato-sulcatis, interstitiis angustis, convexis, rostro valido, sub-arcuato.

Dom. GERMAR *in Litt.* teste Dom. STURM.

Habitat in Germania. Dom. STURM. Mus. SCHH.

Statura et facies *A. ebenini*, abunde tamen distinctum, thorace varioloso-punctato, colore obscuriore, etc. Caput sub-quadratum, punctatum, fronte inter oculos striata, totum atrum; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum validum, modice arcuatum, punctulatum, feminæ longitudine capitis cum thorace, maris brevius et crassius. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine vix brevior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, supra convexus, punctis majusculis, parum profundis confertim impressus, quasi variolosus, ater, obscurus. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, lateribus ultra medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius, late et profunde sulcata, et in sulcis punctis magnis, profundis, remotis, impressa, interstitiis angustis, convexis, subtiliter alutaceis; tota atra, parum nitida. Corpus subtus nigrum, punctatum. Pedes elongati, validi, nigri, parce pilosi. GHL.

92. A. SUPERCILIOSUM. *

Nigrum, sub-nitidum, tenue pubescens, elytris angustioribus, fusco-sub-æneis, punctato-striatis, orbita oculorum, pectoreque albido-villosis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 58. n° 26.

GERM. *Mag.* III. Add. p. 259. n° 26. et III. App. p. 45.

A. triste. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 233. n° 86. T. 3. f. 2. Huc pertinet, teste Dom. Schuppel.

Patria : Europa borealis et temperata, Sibiria.

93. A. SCUTELLARE.

Atrum, sub-angustatum, piloso-sub-incanum, coleopteris ob-ovatis, sulcatis, scutello elongato.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 353. n° 68.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 223. n° 78.

Patria : Anglia.

94. A. KIRBYI.

Filirostre, nigrum, griseo-pubescens, fronte rugosa, thorace cylindrico, profunde punctato, coleopteris oblongo ob-ovalibus, punctato-sulcatis, interstitiis planis.

GERM. *Mag.* III. App. p. 50. n° 6.

Patria : Anglia.

* 95. A. MELILOTI.

Filirostre, nigrum, capite elongato, inter oculos striato, thorace oblongo, cylindrico, punctato, coleopteris elongato-ob-ovalibus, cyaneis, punctato-sulcatis, interstitiis planis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 222. n° 77. et III. App. p. 44.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 64. n° 46. et X. App. n° 46.

Patria: Anglia, Gallia.

* 96. A. REFLEXUM.

Nigrum, sub-pubescens, fronte plana, striata, rostro longo, tenui, thorace sub-cylindrico, punctato, antice reflexo, dorso linea longiore impresso, elytris punctato-striatis cæruleis.

Habitat in Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT detectus et communicatus. Mus. SCHH.

A. meliloti Kirby proximus, sed paulo minor, frons non impressa, thorax magis cylindricus, margine antico reflexo et linea dorsali longiore, angusta instructus. Caput latum, thorace brevius, fronte plana, striata et punctata, nigrum, tenuiter pubes-

cens; oculi brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, modice arcuatum, punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ sub-tenues, nigræ, clava angusta, pubescente. Thorax latitudine non longior, sub-cylindricus, margine antico altius elevato, postico minus reflexo, supra parum convexus, sat dense, fortiter punctatus, lineola angusta dorsali, a basi ultra medium extensa, impressus; niger, parce pubescens. Scutellum triangulare, concolor. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus ultra medium sensim ampliata, apice conjuntim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra anterius parum, posterius magis convexa, sat profunde sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis, vix punctulatis; cœrulea, parum nitida, pube tenui cinerea adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, tenuiter pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus cœrulescenti-micantibus. GHL.

97. A. AFER. *Schh.*

Nigrum, fere glabrum, antennis longioribus, basi ferrugineis, rostro longo, arcuato, capite depresso, sub-quadrato, thorace parvo, sub-cylindrico, rude punctato, elytris ob-ovatis, punctato-sulcatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Museo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missum.

A. angustato simillimum, sed antennæ longiores, basi ferrugineæ, thorax profundius punctatus et corpus fere glabrum, saturatius nigrum. Caput sub-quadratum, depressum, punctatum, nigrum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, filiforme, arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ thoracis basin attingunt, basi ferrugineæ, extrorsum nigræ. Thorax parvus, antice truncatus, lateribus vix ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim et sat profunde punctatus, niger. Scutellum parvum, tuberculiforme, concolor. Elytra magna, ob-ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, fornicata, distincte sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis planis, interioribus latioribus; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, opacum. Pedes longiusculi, sub-tenues, toti nigri. GHL.

* 98. A. ANGUSTATUM.

Nigrum, immaculatum, tenue pubescens, capite angusto, rostro elongato tenui, arcuato, antennis brevioribus, crassiusculis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 56. nº 24.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 221. nº 76. et Add. p. 258. nº 24.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 352. nº 67.
A. modestum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 234. nº 87. T. 4. f. 6. teste Dom. SCHUPPEL.
A. meliloti, var. β. KIRBY. in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 63. nº 46.
Curculio flavipes. var. β. PAYK. *Mon. Curc.* p. 144. nº 135.

Patria: Europa borealis et temperata.

* 99. A. LANGUIDUM. *Schuppel.*

Nigrum, sub-glabrum, antennis brevibus, rostro longo, valido, valde arcuato, fronte striata, thorace sub-cylindrico, obsoletius punctulato, elytris ob-ovatis, punctato-sulcatis.

Patria: Germania; Lipsiæ. A Dom. Prof. KUNZE sub hac denominatione benevole communicatum. Mus. SCHH.

Magnitudo et facies *A. angustati;* rostro validiore, valde arcuato, thorace longiore, est distinctum. Caput sub-quadratum, depressum, inter oculos striis pluribus exaratum; nigrum, opacum, vertice elevato, convexo, lævi, nitido; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, solito magis arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ breves, crassiusculæ, nigræ. Thorax latitudine paulo longior, sub-cylindricus, antice truncatus, lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, obsolete punctatus, intra medium baseos foveola obsoleta impressus, niger, opacus. Scutellum oblongum, elevatum, nigrum, nitidum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, præsertim posterius; distincte punctato-sub-sulcata, nigra, parum nitida. Corpus subtus punctulatum, nigrum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus anticis clavatis.

GHI.

100. A. PERPLEXUM. *Schh.*

Brevius, nigrum, opacum, densius griseo-pubescens, rostro tenui, arcuato, nitido, thorace sub-cylindrico, obsolete punctulato, elytris ob-ovatis, sulcatis, sulcis obsolete punctatis.

A. nigrum. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 37. n° 55. Tab. 2. f. 55. *Attelabus?*

Patria: Germania? Sub nomine *A. nigrum* Olivier, ex Museo ejusdem, ad describendum communicavit Dom. CHEVROLAT.

Parvum; *A. pavido* Germ. æquale et simile. Caput breve, parum convexum, punctulatum, nigrum, dense griseo-pubescens; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, arcuatum, nigrum, nitidum, basi supra griseo-pubescens. Antennæ longiusculæ, sub-tenues, nigræ. Thorax latitudine vix brevior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, elevato-marginatus, supra modice convexus, confertim, sed obsolete punctulatus, ante basin canalicula tenui exaratus, niger, opacus, dense griseo-pubescens. Scutellum parvum, tuberculiforme, atrum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-rectangulatis; lateribus pone medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sed in sulcis obsolete catenato-punctata, interstitiis angustis, elevatis; nigra, opaca, minus dense griseo-pubescentia. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, toti nigri.

Observ. Dom. Olivieri descriptio *A. nigri* cum hac specie non concordat, quare nomen mutavimus. GHL.

101. A. VIOLACEUM. ♂♀

Nigrum, sub-glabrum, rostro breviusculo, arcuato, punctato, thorace sub-cylindrico, vage, parcius punctato, foveola cuneiformi impresso, elytris elongato-ovalibus, punctato-sulcatis, cyaneis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 546. n° 34.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 65. n° 47. T. 1. f. 16.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 224. n° 79. et p. 226. Diagnosis D. Germari ad *A. hydrolapathi.* — *Id.* III. App. p. 44. — Cfr. III. App. p. 54. n° 64.

A. cyaneum. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 32. n° 46. *Attelabus* T. 3. f. 46. secundum ejus Mus. teste Dom. CHEVROLAT.)

Attelabus cyaneus. OLIV. *Enc. méth.* IV. p. 282. n° 20.

Attelabus alliariæ. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 53. n° 15. T. 36. f. 15.?

♂♀ VAR. β. Elytris virescentibus.

GYLLENH. et KIRBY. loc. cit. var. β.

♂♀ VAR. γ. Capite thoraceque sub-æneo-micantibus, elytris cœruleo-virescentibus.

GYLLENH. loc. cit. var. c.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 65. n° 47. var. γ.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 224. not. var. γ.

A. cyaneum. HERBST. *Col.* VII. p. 108. n° 7. T. 102. f. 7.

Curculio cyaneus. HERBST. *Arch.* IV. p. 70. n° 11. T. 24. f. 5.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 150. n° 1.?

Patria : Europa borealis et temperata.

102. A. MARCHICUM. ♂♀

Nigrum, nitidulum, sub-glabrum, rostro maris brevi, thorace angustiore, remotius, concinne punctato, elytris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, cœruleis vel violaceis.—GHL.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 546. n° 33.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 197. T. 3. f. 15. et III. App. p. 45 et p. 54. n° 66.

HERBST. *Col.* VII. p. 118. n° 19. T. 103. f. 7.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 36. n° 53. *Attelabus* T. 3. f. 53.?

A. rumicis. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 228. n° 81.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 67. n° 49.

A. violaceum. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 50. n° 17.

♂♀ VAR. β. Elytris cœruleis nitidis.

A. violaceum, var. b. GYLLENH. loc. cit.

♀ VAR. γ. Elytris æneis.

VAR. δ. Thorace elytrisque nigris.

A. rumicis, var. β. KIRBY et GERM. loc. cit.

Patria : Europa borealis et temperata.

103. A. AFFINE. ♂♀

Nigrum, nitidulum, sub-glabrum, rostro maris brevi, thorace latiore, densius et profundius punctato, elytris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, virescenti-cœruleis vel violaceis. — GHL.

VAR. β. Elytris violaceis.

VAR. γ. Elytris virescentibus.

VAR. δ. Elytris obscuris.

VAR. ε. Elytris nigris.

Observ. — Præcedenti nimis affinis, vix specie distinctus; occurrunt enim frequenter individua intermedia, quæ quoad formam et puncturam thoracis, jam huic jam illi magis appropinquant.

Patria : Anglia, Suecia.

104. A. VIRENS. ♂♀

Atrum, coleopteris oblongo-ovatis, cœruleis virescentibusve, striatis, stria suturali profundiori, thorace læviusculo. — GERM.

Femina. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 193. n° 52. et III. App. p. 54. n° 68.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 53. n° 32.
HERBST. *Col.* VII. p. 118. n° 18. T. 103. f. 6.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 548. n° 36.
A. æneocephalum. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 49. n° 16.
Mas. A. marchicum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 195. n° 53. absque addit. D. GERMARI. et III. p. 40.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 54. 33.

Patria : Anglia, Italia, Austria, Suecia.

105. A. ASTRAGALI. ♂♀

Æneum, nitidum, thorace cylindrico, punctato, dorso profunde canaliculato, coleopteris ob-ovalibus, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 200. n° 56. T. 3. f. 22.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 55. n° 35.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 44. n° 11.
THUNB. in *nov. Acta Ups.* VII. p. 118.
Attelabus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 180. n° 15.
* VAR. β. Elytris viridibus.
GERM. *Mag.* loc. cit. et III. App. p. 41. var.
KIRBY. loc. cit. et X. App. n. 35. var. β.

Patria : Suecia, Germania, Anglia.

106. A. SIMILE.

Atrum, coleopteris ob-ovatis, æneo-nigris, sub-sericeo nitidis, rostro femineo longiori.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* X. p. 351. n° 66.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 208. n° 64.

Patria : Anglia.

107. A. ATERRIMUM.

Atrum, glabrum, coleopteris sub-ovatis, nitidiusculis, atro-cæruleis, rostro mediocri.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 60. n° 41.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 211. n° 68. (absque addit. Cl. Germari.) et III. App. p. 43.

Curculio aterrimus. LINN. *Faun. Suec.* n° 582.—*Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 10. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1762. n° 10. Teste Dom. KIRBY. — (*A. sorbi*, mas, teste Dom. GYLLENHAL.)

Patria: Germania.

108. A. GLABRATUM.

Filirostre, nigrum, glabrum, nitidum, capite punctato-rugoso, thorace oblongo, cylindrico, punctato, postice canaliculato, coleopteris oblongo ob-ovalibus, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* III. App. p. 47. n° 3.

Patria: Anglia.

109. A. ELEGANTULUM. *.

Filirostre, nigrum, nitidulum, thorace punctato, lateribus rotundato, dorso canaliculato, coleopteris oblongo-ovalibus, cyaneis, punctato-sulcatis, interstitiis convexis.

GERM. *Mag.* III. App. p. 48. n° 4.

Patria: Saxonia.

* VAR. β. Paulo majus, elytris virescentibus, nitidis.

Patria: Parisiis.

* 110. A. VALIDUM.

Antennis sub-mediis, longirostre, nigrum, obscurum, thorace sub-cylindrico, punctato, postice canaliculato, coleopteris ovalibus, cyaneo-atris, punctato-sulcatis, interstitiis convexis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 246. n° 100. T. 3. f. 21.

Patria: Germania, Austria, Illyria, Tauria.

* 111. A. SIMUM.

Brevirostre, nigrum, griseo-pilosum, thorace oblongo, cylindrico, coleopteris elongato-ob-ovalibus, punctato-sulcatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 235. n° 89. T. 4. f. 8.

Patria : Germania, Gallia.

* 112. A. Morio.

Longirostre, atrum, glabrum, nitidulum, thorace cylindrico, punctato, postice canaliculato, coleopteris ob-ovalibus, gibbis, punctato-sulcatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 178. n° 39. T. 4. f. 5.

Patria : Germania, Gallia.

113. A. Gyllenhali. ♂♀

Nigrum, immaculatum, pubescens, capite angusto, oculis depressis rostro longissimo, crassiusculo, elytris profunde punctato-striatis.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 548. n° 39.
Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 63. n° 45.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 219. n° 75. et Add. p. 257. n° 22. — Cfr. III. App. p. 42.
A. unicolor. Kirby in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 58. n° 39. et App. n° 39.
Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 206. n° 63. et III. App. p. 42.
A. æthiops. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 54. n° 22. Exclusis synonymis.
A. punctigerum. Thunb. in *nov. Acta Ups.* VII. p. 118.

Patria : Anglia, Suecia, Germania.

114. A. Platalea. ♂

Nigrum, immaculatum, griseo-pubescens, capite latiore, rostro crasso, arcuato, thorace angusto, confertim punctato, postice canaliculato, elytris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, interstitiis planis, punctulatis. — Ghl.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 143. n° 15. T. 3. f. 23. a. b.

Patria : Germania, Oriente.

115. A. Æthiops. ♂♀

Atrum, glabrum, nitidulum, fronte rugulosa, thorace cylindrico, sub-punctato, coleopteris ob-ovalibus, cyaneo-atris, punctato-sulcatis, interstitiis planiusculis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 213. Addit. ad *A. aterrimum.* Tab. 4. f. 24. ♂. Tab. 3. f. 7. ♀. et III. p. 43. et App. 54. n° 83.

HERBST. *Col.* VII. p. 120. n° 21. T. 103. f. 9.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 549. n° 40.

A. marchicum. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 47. n° 14. (Excluso synonymo Herbstii.)

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 256. n° 14.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 300. n° 7.

Attelabus flavipes, var. γ. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 183. n° 17.

Curculio id. var. γ. PAYK. *Mon. Curc.* p. 144. n° 135.

VAR. β. Duplo major.

A. sub-sulcatum. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 48. n° 26.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 182. n° 43. et III. App. p. 39.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 249. n° 32.

A. cœruleum. HERBST. *Col.* VII. p. 113. n° 11. T. 102. f. 11. ?

VAR. γ. Elytris sulcorum interstitiis convexis.

A. sub-sulcatum, var. β. KIRBY et GERM. loc. cit.

VAR. δ. Thorace fossula aut linea nulla exarato.

A. sub-sulcatum, var. γ. KIRBY et GERM. loc. cit.

VAR. ε. Capite inter oculos tri-sulcato.

A. sub-sulcatum, var. δ. KIRBY et GERM. loc. cit.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 116. A. LIVESCERUM. *Schh.*

Plumbeo-nigrum, fere glabrum, rostro longo, arcuato, punctulato, thorace sub-cylindrico, confertim punctato, elytris ob-ovalibus cœruleis, confertim punctato-sulcatis.

Patria : Gallia, Lotharingiæ et Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

Magnitudo et statura *A. æthiopis*, sed rostrum longius, thorax crebrius punctatus, elytrorum sulci magis confertim punctati et color minus niger. Caput breve, parum convexum, confertim punctulatum, plumbeum ; oculi brunnei, minus prominuli ; rostrum capite cum thorace fere longius, validiusculum, arcuatum, punctulatum, saturatius nigrum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, totæ nigræ. Thorax latitudine parum longior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, elevato-marginatus, supra convexus, confertim punctatus, canalicula brevi posterius insculptus, plumbeo-niger, non nitidus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis ; lateribus posterius ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, distincte

sulcata, et in sulcis confertim catenato-punctata, interstitiis planis; cœrulea, nitida, glabra. Corpus subtus punctulatum, saturatius nigrum. Pedes mediocres, nigri, femoribus clavatis, nitidis, tibiis, tarsisque tenuiter pubescentibus. GHL.

* 117. A. CORACINUM. *Schh.*

Atrum, glabrum, sub-nitidum, thorace confertim punctato, canaliculato, lateribus nonnihil ampliato, elytris ob-ovalibus, sulcis profundis, obsoletius punctatis, exaratis, rostro tenui, arcuato, sub-lævi, nitido.

VAR. β. Elytris cœruleis.

Habitat Parisiis. A. Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *A. æthiopis*, Germ.; *A. glabrato*, Germ. affine videtur, sed canalicula thoracis longior, sulci elytrorum obsolete tantum punctati, etc. Caput angustum, parum punctulatum, fronte inter oculos tenuiter striata; oculi majusculi, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, angustum, ante antennarum insertionem paulo crassius, punctulatum, exterius læve, glabrum, nitidum. Antennæ ante medium rostri insertæ, tenues, nigræ, basi obscure testaceæ. Thorax latitudine non brevior, antice subito paulo angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, evidenter sed minus confertim punctatus, canalicula media sat profunda, fere integra exaratus, totus ater, sub-nitidus. Scutellum minutum, concolor. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, callo humerali elevato, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; profunde sulcata, sed in sulcis parum profunde, obsoletius punctata, interstitiis parum latis, fere planis; atra, sub-nitida, margine inflexo atro cœrulescente. Corpus subtus, atrum, punctatum, parum nitidum. Pedes elongati, sub-tenues, nigri, glabri. GHL.

* 118. A. PULLUM. *Schh.*

Nigrum, immaculatum, glabrum, capite thoraceque sub-depressis, profunde punctatis, elytris ob-ovatis, convexis, sulcato-punctatis, interstitiis latis, subtilissime punctulatis, nigro-violaceis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

A. marchico Herbstii paulo major. Caput latum, depressum.

confertim profunde punctatum, nigrum, glabrum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, parum arcuatum, subtiliter punctulatum, nigrum. Antennæ in medio rostri insertæ, validiusculæ, nigræ, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, leviter constrictus, basi sub-sinuatus, supra sub-depressus, distincte et sat profunde punctatus, foveola ante scutellari oblonga impressus, totus niger, glaber. Scutellum parvum, concolor. Elytra ampla, ob-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, lateribus ultra medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra posterius valde convexa, sat profunde sulcata et in sulcis sub-remote, obsoletius punctata, interstitiis, præsertim suturali, latis, planis, confertim subtilissime punctulatis; nigra-violacea, parum nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Pedes longiusculi, minus tenues, punctati, nigri. GHL.

119. A. ONONIS.

Filirostre, nigrum, griseo-pilosum, fronte striata, thorace cylindrico, canaliculato, coleopteris ob-ovalibus, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 137. n° 10. T. 3. f. 24.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 25. n° 7.
Mas. Rostro sub-cylindrico, coleopteris ovalibus, gibbis, punctato-sulcatis, apice sub-productis. — GERM.
A. cinerascens. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 138. n° 11. T. 3. f. 4. et III. *App.* p. 38.

Patria : Anglia, Germania.

120. A. ERVI. ♂♀

Nigrum, tenue pubescens, antennis inferne testaceis, rostro elongato, tenui, arcuato, elytris nigris, striato-punctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 55. n° 23.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 23. n° 8.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 133. n° 8. T. 3. f. 13.
VAR. β. ♂♂ Antennis totis pallide testaceis.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 549. n° 41. var. β.
A. Lythri. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX, p. 24. n° 6.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 135. n° 9.
VAR. γ. ♂♂ Elytris plumbeo-violaceis.
A. pavidum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 203. n° 59. T. 4. f. 4.

Patria : Anglia, Gallia, Suecia, Tauria, Sibiria.

* 121. A. PLUMBEUM. *Schh.*

Nigrum, griseo-pubescens, antennis vix basi rufis, thorace sub-cylindrico, subtiliter punctulato, postice canaliculato, elytris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, obscure cœrulescentibus.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

A. pavido Germ. valde affine, sed antennæ vix basi dilutiores et thorax paulo angustior, subtilius punctatus. Caput majusculum, sub-quadratum, parum convexum, punctulatum, nigrum, griseo-pubescens; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite duplo longius, porrectum, parum arcuatum, nigrum, griseo-pubescens, apice nudum, nitidum. Antennæ longiusculæ, nigræ, articulo primo longo, clavato, basi tantum obscure testaceo. Thorax latitudine paulo brevior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, reflexo-marginatus, supra modice convexus, confertim subtiliter punctulatus, ante basin foveola oblonga impressus, niger, sat dense griseo-pubescens. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, distincte striata, striis confertim punctatis; cœruleo-virescentia, sub-nitida, parcius griseo-pubescentia. Corpus subtus punctulatum, nigrum, griseo-pubescens. Pedes elongati, nigri, griseo-pubescentes. GHL.

122. A. VALIDIROSTRE. *Schh.*

Atrum, sub-opacum, parce cinereo-pubescens, antennis basi ferrugineis, rostro crasso, arcuato capiteque rugoso-punctatis, thorace sub-cylindrico, confertim punctato, elytris ob-ovatis, remote punctato-sulcatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

Parvum; *A. ervi*, cui sub-simile, paulo minus. Caput sub-quadratum, supra planum, rugoso-punctatum, nigrum, opacum; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde crassum, arcuatum, confertim rugoso-punctatum, nigrum, opacum. Antennæ sub-tenues, basi ferrugineæ, extrorsum nigræ, clava elongata, angusta. Thorax latitudine vix brevior, antice truncatus, lateribus non ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, ater, opacus,

parce pubescens. Scutellum oblongum, elevatum, atrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus posterius ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, parum profunde sulcata et in sulcis distincte, sub-remote punctata; atra, sub-nitida. Corpus subtus confertim punctulatum, atrum, opacum. Pedes longiusculi, sub-tenues, toti atri. GHL.

123. A. VORAX. ♂ ♀

Atrum, cinereo-pubescens, antennis basi rufis, thorace subconico, punctato, postice canaliculato, coleopteris oblongo-ob-ovalibus, punctato-sulcatis, atro-cyaneis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 141. n° 14. T. 3. f. 3.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 53. n° 21.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 26. n° 9.
HERBST. *Col.* VII. p. 119. n° 20. T. 103. f. 8.
Curculio villosulus. MARSH. *Ent.* Br. p. 250. 34. — ♀.
Curculio fuscicornis. MARSH. loc. cit. p. 244. 17. — ♂.

Patria : Anglia, Germania, Suecia.

124. A. PALLICORNE. *Schh.*

Nigrum, subtiliter cinereo-pubescens, antennis basi testaceis, rostro longo, valido, arcuato, punctulato, thorace sub-cylindrico, confertim punctato, evidenter canaliculato, elytris amplis, ob-ovatis, distincte punctato-sulcatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatum.

Magnitudo et facies *A. voracis*, sed parcius pubescens, rostrum crassius, thorax fortius punctatus et elytra latiora, distinctius sulcata. Caput breve, depressum, punctulatum, nigrum; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace longius, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum, parum nitidum. Antennæ sub-tenues, articulo primo longo, clavato, testaceo, apice infuscato, secundo obconico, crassiusculo, toto testaceo, sequentibus obscure ferrugineis, ultimis nigris, cinereo-pubescentibus. Thorax latitudine fere brevior, sub-cylindricus, antice truncatus, lateribus non ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra minus convexus, confertim evidenter punctatus, posterius canalicula longiore, sat profunda exaratus, niger, non nitidus, parce tenuiter cinereo-pubescens. Scutellum majusculum, rotun-

datum, nigrum, puncto centrali impressum. Elytra satis ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, distincte sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis; nigra, sub-nitida, vix pubescentia. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, parce pubescens. Pedes longiusculi, nigri, tenuiter pubescentes. GHL.

125. A. ALCYONEUM.

Nigrum, griseo-sub-pubescens, subtus albido-pilosum, thorace subconico, punctato, postice canaliculato, coleopteris ovalibus, gibbis, cœruleis, punctato-sulcatis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 205. n° 61. T. 3. f. 5.

Patria : Lipsiæ.

126. A. SPARTII.

Atrum, glabrum, coleopteris ob-ovatis, atro-cœruleis, fronte punctata, rostro mediocri.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 56. n° 36.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 202. n° 58.

Patria : Anglia.

127. A. FOVEOLATUM. ♂♀

Nigrum, glabrum, cœrulescenti micans, rostro mediocri, cylindrico, thorace obsoletius punctato canaliculatoque, elytris gibbosis, cœruleis, punctato-striatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 549. n° 43.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 48. n° 27.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 183. n° 44.
A. cyaneum. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 45. n° 12.
LINN. *Faun. Suec.* Ed. 1. n° 487. *Curculio* ater, elytris nigro-cœrulescentibus, cujus descriptio *in Faunæ* ed. 2? *Curculio cyaneo* n° 581. perperam adjecta.

VAR. β? Rostro longiori nitido, in medio supra inter antennas puncto impresso, corpore glabriori.—KIRBY et GERM. loc. cit. var. γ.

Patria : Anglia, Suecia, Tauria.

128. A. INTRUSUM. ♂♀

Nigrum, albido-pubescens, fronte intrusa, striata, rostro crassiore, sub-arcuato, elytris gibbosis, cœruleis, sub-glabris, sulcato-punctatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 550. n° 44.

A. foveolatum, var. β. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 46. n° 27.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 183. n° 44.

Patria : Anglia, Suecia.

129. A. COLUMBINUM. ♂ ♀

Nigrum, sub-pubescens, fronte intrusa, sulcata, rostro elongato, arcuato, thorace sub-cylindrico, profunde punctato, postice canaliculato, elytris ovalibus, punctato-sulcatis, cyaneis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 551. n° 45.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 185. n° 45.

Patria : Germania, Suecia.

* 130. A. SPENCEI.

Nigrum, obscurum, fronte tri-striata, thorace punctato, canaliculato, postice dorso impresso, antice angustato, coleopteris ob-ovalibus, cyaneis, punctato-sulcatis, interstitiis planis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 204. 60. et III. *App.* p. 41.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 57. n° 37. T. I. f. 13. et *App.* X. n° 37.

Patria : Anglia, Gallia, Germania.

131. A. PISI. ♂ ♀

Nigrum, glabrum, rostro capiteque punctatis, thorace sub-cylindrico, punctato, postice canaliculato, coleopteris ob-ovato-globosis, gibbis, cyaneis, punctato-sulcatis, interstitiis convexiusculis. — GERM.

Attelabus pisi. FABR. *Syst. el.* II. p. 425. n° 50.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 135. n° 50.

A. punctifrons. KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 50. n° 28. T. I. f. 9.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 186. n° 46. T. III. f. 6. ♂. et III. *App.* p. 39.

A. pasticum. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 187.

A. gravidum. OLIV. *Ent.* V. 81. p. 31. n° 44. *Attelabus* T. 3. f. 44.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 81.

* VAR. β. Obscurior, elytrorum dorso nigro, lateribus tamen cœrulescentibus.

Patria : Anglia, Gallia, Germania, Tauria.

* 132. A. ATRATULUM.

Atrum, opacum, thorace cylindrico, punctato, canaliculato, coleopteris ob-cuneatis, punctato-sulcatis, interstitiis convexis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 192. n° 51. T. 3. f. 16.

Patria : Germania, Alsatia.

* 133. A. IMMUNE.

Antennis sub-mediis, filirostre, atrum, piloso-subincanum, thorace cylindrico, punctato, oblongo, coleopteris ob-cuneatis, punctato-sulcatis. — GERM.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 52. n° 32.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 191. n° 50. et III. *App.* p. 40.

Patria : Anglia.

134. A. FILIROSTRE.

Atrum, glabrum, coleopteris sub-globosis, rostro pedibusque elongatis.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 46. n° 24.
GERM. *Mag.* I. *Mon.* p. 177. n° 38.

Patria : Anglia.

135. A. GIBBOSUM.

Nigrum, elytris basi exteriore gibbosis.

HERBST. *Col.* VII. p. 105. n° 4. T. 102. f. 4.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 182. n° 42.

Patria : India orientalis.

136. A. STRIATUM.

Atrum, piloso-subincanum, coleopteris globosis, sulcatis, thorace canaliculato.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 22. n° 30. T. I. f. 10.
Curculio striatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 249. n° 30.
A. Pisi. GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 190. n° 49. et III. *App.* p. 40.

Patria : Anglia.

137. A. PUNCTIGERUM. ♂♀

Nigrum, glabrum, rostro basi incrassato, fronte tri-sulcata, thorace sub-punctato, lateribus gibbulo, coleopteris ob-ovalibus, punctato-sulcatis, cyaneis.

GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 188. n° 47. et III. *App.* p. 40.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 522. n° 46.
A. punctiger. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 46. n° 13.
Attelabus id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 179. n° 13.
Curculio id. PAYK. *Mon. Curc.* p. 141. n° 132.
A. sulcifrons. KIRBY in *Trans. Linn. Suec.* IX. p. 50. n° 29.

Patria : Anglia, Suecia.

* 138. A. SULCIFRONS.

Atrum, glabrum, thorace profunde sulcato, parce punctato, elytris ovato-globosis, leviter striatis, rostro longo, arcuato, fronte intrusa, profunde tri-sulcata.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 552. n° 47.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 189. n° 48. T. 2. f. 10.
HERBST. *Col.* VII. p. 132. n° 25. T. 103. f. 12.

Patria : Germania, Borussia, Suecia meridionalis.

139. A. LIMONII.

Æneum, supra purpurascente-cupreum, coleopteris ob-ovatis, rostro crassiusculo.

KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 78. n° 61. App. p. 78. n° 61. T. 1. f. 20.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 229. n° 83.
VAR. β. Thorace purpurascente-cupreo.
KIRBY et GERM. loc. cit. var. β.
VAR. γ. Minus, totum cupreum, thorace canaliculato. — An idem spec.?
KIRBY et GERM. loc. cit. var. γ.

Patria : Anglia.

* 140. A. CYANESCENS. *Dejean.*

Atrum, supra fere glabrum, subtus tenuiter cinereo-villosulum, rostro cylindrico, sub-recto, thorace convexo, pulvinato, disperse punctato, elytris punctato-sulcatis, nigro-cyanescentibus.

Patria : Gallia meridionalis. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

A. sorbi feminæ non brevius, sed in elytris angustius. Caput breve, depressum, inter oculos rugoso-punctatum: oculi semi-

globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, fere rectum, cylindricum, basi, lateribus et ante medium punctatum, atrum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, clava ovata. Thorax anterius paulo angustior, truncatus, margine sub-elevato, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra in medio valde convexus, pulvinatus, sat profunde, sed in disco minus crebre punctatus, ante medium baseos foveola brevi impressus, totus ater. Elytra ob-ovata, pone basin oblique ampliata, humeris elevatis; apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; sat profunde sulcata, et in sulcis catenato-punctata, interstitiis planis, subtilissime strigosis; nigra cum tinctura debili cyanescente. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, tenuiter cinereo-villosulum. Pedes elongati, nigri, cinereo-villosuli, tarsis subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

141. A. Cyanipenne. *Schh.*

Nigrum, glabrum, rostro cylindrico, arcuato, thorace profunde punctato, sub-canaliculato, elytris amplis, ob-ovatis, cæruleis, profunde sulcato-punctatis.

Habitat in Isthmo Thracico. Dom. Nedenbourg. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

A. punctigero Germ. magnitudine, statura et colore sub-simile, sed rostrum non apice angustius, thorax profundius punctatus, sub-canaliculatus, etc. Caput angustum, nigrum, glabrum, inter oculos profunde, remote punctatum, vertice elevato lævi; oculi majusculi, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, lineare, cylindricum, arcuatum, confertim profunde punctatum, nigrum. Antennæ in medio rostri insertæ, validæ, nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil obliquis, vix ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, profunde et sub-remote punctatus, fovea ante-scutellari satis profunda, valde elongata, canaliculam mentiente, impressus; totus niger, glaber. Scutellum mediocre, triangulare, nigro-cœrulescens. Elytra ampla, ob-ovata, antice sub-truncata ibique thoracis basi parum latiora, sed non pone basin et ultra medium valde ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, pulvinata, regulariter profunde sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis planis, subtilissime granulatis; saturate cœrulea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, profunde, sub-remote punctatum,

glabrum. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri, tarsis cinereo-pubescentibus. GHL.

142. A. AMPLIPENNE. *Schh.*

Nigrum, glabrum, rostro tenuiori, cylindrico, sub-arcuato, thorace brevi, remote punctato, fovea ante-scutellari ovata, elytris valde convexis, profunde sulcato-punctatis.

Habitat in insula Chalki. Dom. NEDENBOURG. Mus. Reg. Acad. Scient. HOLM.

Magnitudo *A. punctigeri* Germ. sed elytra breviora, magis convexa, etc. Caput inæquale, pone oculos constrictum, vertice elevato, lævi, fronte inter oculos convexa, profunde, remote punctata; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, tenue, cylindricum, sub-arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix medium thoracis attingunt, tôtæ nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus pone medium ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, inæqualis, sat profunde et sub-remote punctatus, ante scutellum fovea ovata profundiore et anterius in disco utrinque alia obsoletiore impressus; totus niger, glaber. Scutellum sub-triangulare, elevatum, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, lateribus ultra medium ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, pulvinata, præsertim posterius; profunde sulcata et in sulcis sub-remote punctata, interstitiis planis, vix vel subtilissime punctulatis; tota nigra, glabra. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, glabrum. Pedes longiusculi, sub-tenues, toti nigri. GHL.

143. A. SORBI. ♂♀

(Femina.) *Nigrum, glabrum, elytris sub-globosis, cœrulescentibus, rostro cylindrico, arcuato, longitudine corporis, thorace utrinque impresso.*

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 42. n° 10. et IV. p. 553. n° 48.
KIRBY in *Trans. Linn. Soc.* IX. p. 46. n° 25.
GERM. *Mag.* II. *Mon.* p. 179. n° 40. T. 4. f. 23.
HERBST. *Col.* VII. p. 111. n° 9. T. 102. f. 9.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 300. n° 6.
Attelabus sorbi. FABR. *Syst. el.* II. p. 426. n° 52.? — *Ent. Syst.* I. II. p. 390. n° 29.?

Payk. *Faun. Suec.* III. p. 178. n° 12.
Panz. *Faun. Germ.* XX. n° 12. — *Ent. Germ.* p. 297. n° 18.?
Illig. *Mag.* VI. p. 307. n° 52.
Curculio virescens. Marsh. *Ent. Brit.* p. 249. n° 39.
Curculio lævigatus. Payk. *Mon. Curc.* p. 141. n° 133.
Geoffr. *Ins.* I. p. 290. n° 32.

(Mas.) *Fere duplo minor, rostro paulo breviori et crassiori, elytris nigris, nitidis.*

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 43. n° 10. ♂
Kirby et Germ. loc. cit. ♂
A. carbonarium. Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 176. n° 37. T. 3. f. 17. et III. App. p. 39.
Curculio aterrimus. Linn. *Faun. Suec.* n° 582. — *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 10. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1762. n° 10. teste Dom. Gyllenh. — *A. aterrimum,* teste Dom. Kirby.
Villers. *Ent.* I. p. 175. n° 7.

Patria : Suecia, Germania, Anglia, Gallia.

144. A. Dispar. ♂

Atrum, glabrum, nitidulum, thorace sub-orbiculato, punctato, coleopteris sub-globosis, punctato-striatis.

Germ. *Mag.* II. *Mon.* p. 181. n° 41. T. 3. f. 10.
Var. β. Elytris nigro-violaceis.
Germ. loc. cit. var. β.

Patria : Borussia, Germania.

Divisio VIII. RHAMPHIDES.

Rostrum elongatum, inflexum. Antennæ clavatæ, 11-12 articulatæ. Oculi in fronte conniventes. Pedes postici saltatorii.

Genus 37. — RHAMPHUS.

Rhamphus Clairv., Latr., Oliv., Illig., Germ. (1).

Character generis. — Antennæ tenues, breves, in sincipite interne infra oculos insertæ, 11-articulatæ; clava ovalis, apice acuminata, 4-articulata.

(1) Clairv. Ent. Helv. I. p. 104. — Latr. Consid. génér. p. 222. 299. — Id. Gen. Cr. et Ins. II. p. 250. 275 — Id. Rég. Anim. p. 395. — Id. in Cuvier Rég. Anim. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 592. — Dumér. Zool. Analyt. p. 226. — Illig. Mag. III. p. 106. 177. et VI. p. 323. — Oliv. Ent. V. 81. p. 39. — Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 125. 7. — Schh. Curc. Disp Meth. p. 49. 12.

Rostrum lineare, depressum, inflexum et pectori arcte applicatum.

Oculi in fronte conniventes.

Thorax brevis, anterius multo angustior.

Elytra oblonga, ob-ovata, supra modice convexa.

Pedes mediocres, mutici, saltatorii.

Observ. Corpus oblongo-ovatum, alatum, minutissimæ magnitudinis.

* 1. R. FLAVICORNIS.

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, antennis basi testaceis, thorace antice angustato, rostro inflexo, pectori applicato. — GYLL.

CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 104. T. 12.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 40. n° 58. *Attelabus* T. 3. f. 58. a. b. c.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 250. n° 1. — *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 94.

OKEN. *Naturg.* III. p. 773.

Rhynchænus pulicarius. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 251. n° 151 et IV. p. 602. n° 151.

Curculio id. HERBST. *Col* VI. p. 429. n° 416. T. 93. f. 12.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 272. n° 95.

Orchestes id. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 329. n° 4.

Curculio oxyacanthæ. MARSH. *Ent. Brit.* p. 263. n° 77.

Patria : Europa borealis et temperata.

2. R. TOMENTOSUS.

Niger, cinereo-tomentosus, antennis fuscis.

OLIV. *Ent.* V. 81. p. 40. n° 59. *Attelabus* T. 3. f. 59.

Patria : Helvetia.

* 3. R. ÆNEUS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, obscure æneus, sub-nitidus, antennis basi testaceis, thorace crebre, forte punctato, elytris confertim regulariter punctato-striatis.

Rhamphus sub-æneus. ILLIG. *Mag.* IV. p. 324. ?

Habitat in Gallia meridionali. Ab illustr. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH. (In Lusitania? Celeb. ILLIGER.)

Statura et summa affinitas *R. pulicarii*, sed plerumque paulo

minor; colore thoraceque profundius et crebrius punctato, præcipue distinctus. Caput minutum, angustum, obscure æneum, crebre subtiliter punctulatum; oculi magni, rotundati, nigri, in fronte conniventes. Rostrum longitudine thoracis, lineare, arcuatum, nigro-æneum, nitidum, subtilissime punctulatum, inflexum et pectori semper arcte applicatum. Antennæ ad basin rostri insertæ, vix longitudine thoracis, pallide-testaceæ, clava ovata, acuminata, nigra. Thorax latitudine media brevior, basi apiceque sub-truncatus, antrorsum valde angustatus, intra apicem transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus; totus obscure æneus, sub-nitidus, crebre sat profunde punctatus. Scutellum minutum, apice rotundatum, obscure æneum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rotundatis, thorace quintuplo longiora, pone medium ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, obscure ænea, nitida, confertim regulariter et subtiliter punctato-striata, interstitiis angustis, planis, obsoletissime transversim rugulosis. Corpus subtus nigro-æneum, nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes mediocres, mutici, nigro-ænei; femoribus posticis clavatis. Tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

GENUS 38. TACHYGONUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ brevissimæ, sub-tenues, 12-articulatæ, versus basin rostri insertæ; clava ovata, majuscula.

Rostrum lineare, inflexum.

Oculi oblongi, in fronte approximati.

Thorax transversus, anterius angustior, lateribus ampliato-rotundatus.

Elytra transversa, sub-rotundata, supra depressa.

Pedes postici longi, saltatorii.

Descriptio. — *Corpus* sub-rotundatum, sub-depressum, alatum, minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* vix longitudine capitis cum rostro, ad basin lateralem rostri insertæ, minus tenues, arcuatæ, 12-articulatæ: articulis duobus basalibus crassiusculis, oblongo-ovatis, 3° tenuiore, brevissime obconico; 4-8 transversis, sub-perfoliatis, gradatim latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava ovata, majuscula, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite paulo longius, sub-lineare, basi teretiusculum, versus apicem paulo deplanatum, sub-rectum, inflexum — *Caput* sub-elongatum, subconicum. — *Oculi* magni, oblongi, modice convexuli, in fronte approximati. — *Thorax* longitudine latior, an-

terius manifeste angustior, basi sub-bisinuatus, ante scutellum productus, apice truncatus, lateribus rotundatus, subconicus, supra parum convexus. — *Scutellum* minutum. *Elytra* transversa, sub-rotundata, antice basi thoracis multo latiora, angulis humeralibus rotundatis; lateribus ad apicem rotundata, paulo ante medium latiora, posterius sub-angustiora, apice junctim rotundata, supra depressa; humeris altiusculis. — *Pedes* quatuor anteriores mediocres, basi distantes; femoribus in medio modice incrassatis, muticis; tibiis teretibus, sub-rectis, apice unco horizontali acuto, falcato extus armatis; tarsis longiusculis, articulo 1° elongato, sub-clavato, basi tenui, 2° sub-trigono, 3° latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo brevi, clavato, bi-unguiculato; pedes postici basi valde distantes; femoribus elongatis, elytris longioribus, sub-linearibus, subtus denticulatis; tibiis inflexis, arcuatis, latis, compressis, apice dente horizontali extus instructis.

A ταχυγουνος cui velocia sunt genua; velox, celer.

Observ. — Forma singularis, brevis, depressa; statura et facies fere ut in genere *Orchestidis*.

* 1. T. LECONTEI.

Breviter ovatus, niger, pube albida variegatus, nigro-pilosus, antennis, tibiis, tarsisque anterioribus pallide testaceis, thorace plaga magna fasciculisque duobus nigris, elytris sulcato-punctatis, interstitiis nodulosis.

Orchestes Lecontei. DEJEAN *in Litt.*
Orchestes horridus. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Habitat in Philadelphia, Americes borealis. Mus. Dom. CHEVROLAT et SCHH.

Parvus; *Orchestide bifasciato* brevior. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, pube densa albida vestitum; oculi magni, ovati, brunnei, modice convexi, in fronte approximati, linea angusta albo-pubescente tantum distincti; rostrum capite longius, inflexum, nigrum, basi albo-pubescens. Antennæ brevissimæ, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine multo brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus ampliatus, basi sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, antice et lateribus pube densa albida vestitus, plaga magna postica nuda, in disco lævigata, utrinque fasciculo magno, conico, nigro-piloso instructa, notatus. Scutellum parvum, demersum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, callo humerali elevato, late-

ribus valde ampliato, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra fere plana, rude punctato-sulcata, interstitiis tuberculato-rugosis; nigra, limbo laterali et fascia media inæquali albido-pubescentibus, immixtis pilis longioribus erectis nigris. Corpus subtus nigrum, punctatum, albido-pubescens. Pedes albido-pubescentes et fusco pilosi, anteriores quatuor mediocres, femoribus piceis, tibiis tarsisque dilute testaceis; postici multo crassiores, nigri, femoribus valde elongatis, subtus dentibus pluribus validis armatis, tibiis ejusdem paris arcuatis, compressis, extrorsum dilatatis, tarsis apice testaceis. Ghl.

Divisio IX. BRENTHIDES (1).

Rostrum porrectum. Antennæ non clavatæ, 11-articulatæ. Collum distinctum. Scutellum non observandum. Abdomen segmento 1° et 2° longissimis, arcte junctis, ægre discernendis, 3° et 4° brevissimis transversis instructum, ultimo breviusculo, semi-circulari. Corpus durum, sub-cylindricum, elongatum.

Genus 39. ARRHENODES.

Arrhenodes Stev., Schoenh., Latr. (2). — *Brentus* Fabr, Oliv., Herbst., Germ., Dej., Sturm. — *Curculio* Linn.

Character generis. — Antennæ aut breviores, aut longiusculæ; articulis aut inferioribus obconicis, exterioribus sub-cylindricis vel omnibus sub-rotundatis.

Rostrum porrectum, in masculis sæpissime breviusculum, dilatatum; mandibulæ exsertæ, in plerisque magnæ, validæ, arcuatæ, acuminatæ; in feminis elongatum, tenue, sub-filiforme; mandibulæ parvæ.

Caput in utroque sexu sæpissime breve, postice latiusculum, mox juxta oculos abrupte excisum; collo bulbiformi.

Thorax oblongo-ovatus, anterius angustior, supra convexus.

Elytra elongata sub-cylindrica, convexa.

---

(1) Latr. Règne Anim. p. 389. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 592. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 68.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 70. — Latr. Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 593. — *Id.* Règne Anim. p. 389. — Thon. Ent. Arch. I. III. p. 65.

STIRPS I. — (Genuini.) Tarsi dilatati, subtus spongiosi. Femora semper dentata.

Manipulus I. — Antennæ breviusculæ, aut moniliformes, aut subcylindricæ.

1. A. FORFICATUS. ♂. *Schh.*

Niger, opacus, mandibulis valde arcuatis, thorace subconico, obsolete canaliculato, elytris remote punctato-sub-sulcatis, fasciis duabus obliquis, divergentibus, e tuberculis rubris, nitidis, pellucidis compositis, ornatis.

Brenthus mandibularis. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 71. (Hoc nomine jam usus est DEJ. *Catal. Col.* p. 82.)

Patria : Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

E majoribus generis, ultra pollicem longus, robustus. Caput postice emarginatum, nigrum, opacum, supra utrinque costa elevata instructum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite duplo longius sed parum angustius, apice valde ampliatum, emarginatum, supra inter antennas canaliculatum, totum nigrum, opacum; mandibulæ longæ, valde arcuatæ, nigræ, nitidæ, sinistra apice emarginata. Antennæ breves, nigræ, fusco-pubescentes. Thorax oblongus, subconicus, basi apiceque truncatus, intra basin profunde constrictus, striga duplici impressus, supra parum convexus, in dorso obsolete canaliculatus, niger, opacus, lævis. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris valde elevatis, subangulatis; lateribus non ampliata, apicem versus attenuata, apice sub-truncata, angulo exteriore in spinam divergentem producto; thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, obsoletius sulcata et in sulcis punctis magnis, remotis impressa; nigra, opaca; in basi, intra humerum, tuberculum magnum, oblongum, rubrum, nitidum, glabrum, sub-pellucidum, et interius alterum rotundum ejusmodi; ante medium fascia interrupta, retrorsum obliqua, utrinque abbreviata, e tuberculis quatuor similibus composita, et pone medium altera, arcuata, tuberculis 6, vel 7 ejusmodi constans. Corpus subtus nigrum, opacum, subtilissime scabrum. Pedes validi, nigri, femoribus clavatis, subtus versus apicem dente parvo armatis, tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis, articulo unguiculari longo, arcuato, clavato, piceo, nitido. GHL.

2. A. Dispar. ♂♀

Rufo-piceus, opacus, elytris obscurioribus, profunde punctato-sulcatis, sub-cancellatis, lineis elevatis, abbreviatis, flavo-ferrugineis ornatis, apice truncatis, angulo exteriore producto, antennis brevioribus crassiusculis.

Brentus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 554. n° 25. — *Ent. syst.* I. II. p. 493. n° 8.?—*Mant.* I. p. 96. n° 7.?

Lund in *Acta Hist. Nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 88. n° 21.

Oliv. *Ent.* V. 84. p. 443. n° 16. T. 1. f. 1. a. b. ♀. — *Enc. méth.* V. p. 191. n° 8.

Herbst. *Col.* VII. p. 204. n° 22.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1740. n° 9.

Illig. *Mag.* IV. p. 162. n° 25.

Curculio dispar. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 50. n° 9.? — *Syst. nat.* I. II. p. 613. n° 55.

Fabr. *Sp. ins.* I. p. 182. n° 120.?—*Syst. ent.* p. 143. n° 87.

Brentus bifrons. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 494. n° 10. — *Mant.* I. p. 96. n° 9.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 192. n° 12.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1740. n° 11.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 190. n° 6.

Brentus maxillosus. Herbst. *Col.* VII. p. 177. n° 2. T. 107. f. 2. ♂

Brentus volvulus. Voet. *Col. Ed.* Panz. IV. p. 44. n° 4. T. 34. f. 4. ♀.?

Patria : America meridionalis.

Inter majores, sed variat magnitudine. Caput breve, postice emarginatum, auriculis rotundatis; rufo-piceum, opacum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum maris capite duplo longius, latum, basi supra profunde impressum, marginibus elevatis, anterius adhuc magis dilatatum, supra inæquale, foveis duabus obliquis, basi confluentibus, impressum; apice mandibulis elongatis, validis, arcuatis instructum. Rostrum feminæ basi supra minus late impressum, marginibus elevatis inter antennas tubercula luna formantibus; anterior rostri pars duplo longior, tenuis, filiformis, dilutius ferruginea, glabra, nitida; mandibulæ parvæ, breves Antennæ crassiusculæ, thoracis basin vix attingunt, extrorsum fuscæ, pubescentes, basi dilutius ferrugineæ, magis nitidæ. Collar convexum, læve, glabrum, nitidum. Thorax latitudine longior, anterius multo angustior, subconicus, basi apiceque truncatus,

lateribus obliquis, pone medium ampliatis, intra basin profunde constrictus, strigaque duplici profunde impressa exaratus; supra parum convexus, in medio obsolete impressus, impunctatus; aut dilutius ferrugineus, vitta lata nigricante utrinque notatus; aut obscurius nigricans, anterius in medio indeterminate ferrugineus, semper opacus; subtus dilutius rufo-ferrugineus, magis nitidus. Scutellum nullum, nisi in interstitio depresso ante elytra striis obliquis indicatum. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, posterius angustiora, apice sub-truncata, angulo exteriore nonnihil producto; supra singulatim convexa, juxta suturam longitudinaliter impressa, cum stria profundiore, vix punctata; in reliqua superficiæ puncta magna, profunde impressa, in sulcis seriatim digesta, interstitiis elevatis cincta, unde elytra cancellata videntur; lineolæ plures elevatiores, abbreviatæ, aut rufo-ferrugineæ aut lutescentes elytra ornant; prima in interstitio secundo a sutura, a basi versus medium producta, undulata; secunda in eodem interstitio, pone medium, brevis, et pone illam tertia, angusta, elevatior, in angulum elytri excurrens; in medio interstitii tertii linea longior ejusmodi; in 4°, 5° et 6° aliæ, sensim breviores, simul fasciam oblique adscendentem formantes, et in 7° linea, longior, undata, humerum fere attingens; pone medium, extra lineam secundam, in interstitiis sequentibus, lineolæ 3, vel 4, inæqualis longitudinis, fasciam oblique retrorsum descendentem formant. Pectus et venter piceo-ferruginea, impunctata. Pedes dilutius rufo-ferruginei, nitidi, antici longiores et robustiores. femoribus omnibus clavatis, subtus dente parvo armatis; tibiæ anticæ flexuosæ, interne in medio dente obtuso, et externe juxta apicem alio magno, sub-arcuato armatæ.

GHL.

3. A. GNATHO. ♂♀

Rufo-piceus, opacus, elytris obscurioribus, minus profunde punctato-striatis, interstitiis elevatis, lineis abbreviatis flavescentibus ornatis, apice truncatis, angulo exteriore parum producto, antennis brevioribus crassiusculis.

♂ VAR. β maris. Minor, angustior, rostro paulo longiore, cæterum similiter formato et impresso.

Brentus gnatho. HERBST. *Col.* VII. p. 180. n° 3. Tab. 102. f. 3. ♂

Patria : America meridionalis.

A. dispari simillimus et nimis affinis : statura, formatio par

tium, color et signaturæ omnino ut in illo, sed plerumque minor, puncta striarum in elytris minora, minus profunde impressa, et interstitia striarum longitudinalia elevatiora, unde elytra punctato-striata, nec cancellata dicenda; lineolæ elevatæ elytrorum pallidiores, fere flavæ, cæterum eodem numero ac situ ut in priori; angulus exterior apicis elytrorum parum productus. Pedum armatura ut in præcedente.

Var. β. Differt rostro longiore et angustiore, ut et linea subhumerali elytrorum breviore; reliqua exacte conveniunt. Ghl.

4. A. Turbatus. ♂. *Schh.*

Rufo-piceus, opacus, elytris obscurioribus, obsoletius punctato-striatis, lineis elevatis, abbreviatis rufis ornatis, fascias duas obliquas, divergentes formantes; apice truncatis, angulo exteriore producto, antennis longioribus filiformibus.

Brentus dispar. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 190. a. forte.

Patria : Insula St. Domingo. Dom. Com. Mannerheim. Mus. Schh.

A. dispari et *gnathoni*, præsertim quoad signaturas elytrorum similis, sed dimidio minor, angustior, antennæ longiores et tenuiores, elytra obsolete punctato-striata, etc. Caput obscure ferrugineum, postice emarginatum, fronte canaliculata; oculi convexi, glauci; rostrum maris elongatum, porrectum, capiti concolor, a basi ad antennas late canaliculatum, anterius dilatatum, inæquale, piceum; mandibulæ validæ, porrectæ, parum arcuatæ, apice bifidæ, rufo-piceæ. Antennæ dimidio corpore longiores, sub-tenues, filiformes, piceæ, pubescentes, articulis inferioribus apice nonnihil crassioribus, reliquis linearibus. Thorax latitudine longior, anterius multo angustior, subconicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, pone medium ampliatis, intra basin constrictus, striga duplici profunde impressa exaratus, supra modice convexus, æqualis, impunctatus, rufo-ferrugineus, opacus, vitta indeterminata nigricante utrinque notatus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris fere rectangulis, lateribus non ampliata, posterius angustiora, apice sub-truncata, angulo exteriore prominulo; thorace dimidio longiora, supra singulatim convexa, obsoletius punctato-striata, punctis sub-remotis, interstitiis convexis, elevatis; nigra, opaca, lineis interruptis elevatioribus rufis, nitidis ornata, eodem numero, proportione et situ ac apud *A. disparem* descriptam omnino. Corpus subtus rufo-piceum, magis nitidum, impuncta-

tum, ventre basi inflato, segmentis penultimis brevissimis, depressis. Pedes mediocres, dilutius rufo-ferruginei, nitidi, femoribus clavatis, omnibus subtus dente parvo, acuto armatis.

Femina nobis ignota. GHL.

5. A. ANGULICOLLIS. ♂. *Schh.*

Nigro-piceus, sub-opacus, capite, antennis pedibusque fusco-ferrugineis, thorace ante medium subito dilatato, sub-quadrangulo, elytris remote punctato-striatis, lineis punctisque elevatis flavo-rufis ornatis, apice truncatis, angulo exteriore acuminato.

Patria : Brasilia. Dom. Com. MANNERHEIM et Von WINTHEIM. Mus. SCHH.

Masculos hujus speciei tantum vidimus; magnitudo valde variat; majores *A. dispari* æquales et similes; rostro basi minus crasso, thoracis forma alia elytrisque minus profunde punctato-striatis tamen distinctus videtur. Caput breve, basi emarginatum, angulis retrorsum productis, rotundatis, supra inæquale, juxta oculos utrinque carinula elevata, in rostro continuata instructum, fusco-ferrugineum, opacum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum capite longius, basi angustius, apice rotundato-ampliatum, supra inæquale, in medio canaliculatum, inter antennas tuberculis duobus notatum, antice plaga cordiformi impressum, capiti concolor; mandibulæ validæ, arcuatæ, apice bifidæ, ferrugineæ, nitidæ. Antennæ vix thoracis basin attingunt, crassiusculæ, filiformes, ferrugineæ, pubescentes. Collum elevatum, convexum, ferrugineum, nitidum. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, antice fere duplo angustior, sed mox pone apicem sub-angulariter ampliatus, lateribus dein fere rectis, posterius iterum subito angustatus, basi profunde constrictus, cum striga duplici insculpta; supra parum convexus, in medio obsolete impressus, nigro-piceus, opacus, lævis. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice sub-truncata, angulo exteriore in spinam conicam producto; thorace vix duplo longiora, supra parum convexa; sub-remote et minus profunde punctato-striata, interstitiis convexis, elevatis; stria suturæ proxima reliquis profundior, vix punctulata; nigra, opaca, lineis, punctisque rufo-flavis nitidis, elevatis ornata; in interstitiis nempe secundo a sutura lineæ tres, prima longiore; in tertio linea longior in medio et punctum paulo posterius; in quarto puncta duo oblonga, unum ante, alterum pone medium; in quinto punctum unicum ante medium; in sexto tuber-

culum humerale et lineola longe pone medium; in septimo linea brevior, longe ante medium; spinula apicis etiam ferruginea. Corpus subtus obscure ferrugineum, sub-opacum, impunctatum, segmentis penultimis ventris brevissimis. Pedes rufo-ferruginei, antici longiores et robustiores, femoribus clavatis, medio piceis, omnibus subtus dente acuto armatis. Ghl.

6. A. Exsertus. ♂. *Dej.*

Nigro-piceus, sub-opacus, antennis pedibusque rufo-piceis, fronte tuberculo medio thoraceque ante medium utrinque alio transverso instructis, elytris remote punctato-striatis, lineolis brevibus punctisque flavo-rufis ornatis, apice truncatis, angulo exteriore parum producto.

Patria : Cayenna. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Mas solum nobis visus; *A. angulicolli* simillimus et valde affinis; tuberculis frontis et thoracis, lineis coloratis elytrorum brevioribus et illarum angulo exteriore breviore, obtuso, fere unice distinctus. Capitis forma ut in *A. angulicolli*, sed in fronte inter oculos tuberculo oblongo, elevato instructum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum capite plus duplo longius, basi angustius, apice rotundato-ampliatum, supra inæquale, inter antennas utrinque plaga elevata notatum, anterius cordi-formiter profundius impressum, nigro-piceum, opacum, elevationibus magis nitidis; mandibulæ validæ, porrectæ, rufo-piceæ, apice tantum arcuatæ, sub-bifidæ. Antennæ vix thoracis basin attingunt, crassiusculæ, nigro-piceæ, pubescentes, basi dilutiores, nitidæ. Thorax latitudine multo longior, antice duplo angustior, sub-truncatus, pone apicem ampliatus, cum tuberculo transverso, elevato utrinque; lateribus dein ultra medium rectis, versus basin iterum subito angustatus, profunde constrictus, striga duplici impressa; supra perparum convexus, lævis, nigro-piceus, opacus. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice fere truncata, angulo exteriore parum prominulo; thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, remote et parum profunde punctato-striata, interstitiis convexis, lævibus; nigro-picea, opaca, lineolis punctisque elevatis flavo-rufescentibus ornata, eodem ordine et numero ut in *A. angulicolli*, sed lineolæ interiores multo breviores; angulus apicis non coloratus. Corpus subtus impunctatum, fusco-piceum, sub-nitidum. Pedes longiusculi, validi, dilutius rufo-picei, antici multo longiores et robustiores; femora omnia clavata, antica sub-

tus dente acuto, reliqua dente obsoletiore armata; tibiæ anticæ etiam dente medio interne instructæ. GHL.

7. A. DENTICOLLIS. ♂. *Schh.*

Rufo-ferrugineus, opacus, thorace vittis duabus nigris tuberculisque duobus dorsalibus transversis instructo, elytris remote punctato-striatis, fusco-piceis, lineis punctisque elevatis luteis nitidis ornatis.

Patria : Brasilia. Dom. VON WINTHEIM. Mus. SCHH.

Mas solum nobis visus; *A. dispari* magnitudine et facie similis. Caput breve, postice profunde emarginatum, supra depressum, utrinque carina alte elevata, in auriculos baseos excurrente et ad rostri latera continuata instructum, rufo-ferrugineum, opacum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum capite triplo longius, basi latum, supra excavatum, marginibus elevatis, inter antennas tuberculo laterali utrinque instructum, ante illas constrictum, apice rotundato-ampliatum, capiti concolor; mandibulæ validæ, arcuatæ, ejusdem coloris. Antennæ thoracis basin attingunt, filiformes, ferrugineæ, pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine longior, anterius dimidio angustior, subconicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, pone medium ampliatis, basi constrictus, lobo postico depresso, margine elevato; supra convexus, impunctatus, rufo-ferrugineus, opacus, utrinque vitta nigra, antice attenuata, notatus; paulo ante basin, in disco dorsi postico, tubercula duo paria, elevata, compressa, triangularia, transversim posita conspiciuntur. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulis, lateribus non ampliata, apice etiam truncata, cum tuberculis conico in angulo exteriore; thorace dimidio longiora, supra parum convexa, remote et profunde punctato-striata, præsertim exterius, interstitiis elevatis, convexis; nigro-picea, opaca, lineis punctisque elevatis, nitidis, luteis, vel aurantiacis ornata; in interstitiis nempe secundo a sutura linea undulata, a basi ad medium ducta; pone medium alia brevis et demum carinula angusta in angulum apicis excurrens; in tertio lineola brevis fere in medio et punctum paulo posterius; in quarto puncta duo oblonga, unum paulo ante, alterum pone medium; in quinto tuberculum humerale et punctum oblongum ante medium; in sexto punctum parvum ante et aliud majus longe pone medium; demum in septimo lineola brevis longe ante medium marginis. Corpus subtus saturate ferrugineum, opacum, læve. Pedes ferruginei, femoribus clavatis, subtus versus apicem dente parvo, obsoleto armatis. GHL.

8. A. Melancholicus. ♂. *Schh.*

Niger, opacus, thorace longiore, subconico, elytris minus profunde punctato-striatis, versus suturam lineis duabus elevatis flavis ornatis, interiore medio interrupta, altera utrinque abbreviata.

Patria : America meridionalis, Columbia, ad Remedios. Dom. Nisser. Mus. Reg. Acad. scient. Holm. et Mus. Schh.

A. gnathoni non brevior sed angustior, et abunde distinctus. Caput parum convexum, nigrum, opacum, basi leviter emarginatum, fronte impressa; oculi semi-globosi, glauci; rostrum in utroque sexu capite plus duplo longius, basi crassum, subconicum, supra impressum, marginibus elevatis, inter antennas tubercula duo oblonga, adhuc magis elevata formantibus, interjacente carinula abbreviata; ante antennarum insertionem rostrum maris extrorsum dilatatum, cordiforme, supra foveis duabus, basi confluentibus impressum, apice mandibulis exsertis, validis, arcuatis instructum; rostrum feminæ anterius tenue, cylindricum, glabrum, nitidum, obscure ferrugineum. Antennæ dimidio corpore breviores, crassiusculæ, nigræ, pubescentes. Collum vix exsertum. Thorax elongatus, subconicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, ultra medium ampliatis; intra basin profunde constrictus strigaque duplici impressus; supra parum convexus, posterius obsolete canaliculatus, totus niger, opacus, impunctatus. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, sub-prominulis; lateribus non ampliata, apice sub-truncata, angulo exteriore acuminato, sub-reflexo; thorace duplo longiora, supra singulatim convexa, juxta suturam longitudinaliter impressa, cum stria profundiore, vix punctata, superficies reliqua sub-remote et minus profunde punctato-striata, interstitiis convexis; in interstitio secundo a sutura linea elevata flava, medio interrupta, anterius undulata, posterius angustior, carinata, et in medio interstitii tertii linea brevior, simplex, ejusdem coloris; angulus humeralis interdum ferrugineus et sub humero lineola parva flavescens, sæpe obsoleta. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, opacum. Pedes validi, nigri, antici longiores et robustiores, femoribus omnibus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis anticis flexuosis, intus in medio dente minori et externe versus apicem alio majori armatis. Gyll.

9. A. Tridentatus. ♂♀

Nigro-piceus, indumento cinereo inæqualiter vestitus, antennis pedibusque ferrugineis, capite elongato, rude punctato, thorace subconico, plaga dorsali polita, elytris sulcatis, flavo-maculatis, femoribus anticis difformibus emarginato-dentatis, antennis brevibus, moniliformibus. Mas.

Brentus tridentatus. Fabr. *Syst. el.* II. p. 554. n° 27.
Lund in *Act. Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 91. n° 22.

Patria : Indiæ orientalis insulæ. Mus. Schh.

Longitudo *A. disparis* auctorum, sed angustior, a reliquis hujus generis abunde distinctus. Caput elongatum, sub-cylindricum, profunde lacunoso-punctatum, nigro-piceum, lateribus indumento cinereo vestitum; oculi parvi, semi-globosi, glauci; rostrum capite dimidio longius, æque latum, subtilius punctatum, supra canaliculatum, marginibus elevatis, nigro-piceum, furfure cinereo in cavitatibus vestitum; mandibulæ porrectæ, validæ, ferrugineæ, intus tridentatæ. Antennæ vix capite cum rostro longiores, moniliformes, ferrugineæ, nitidæ. Thorax subconicus, capite cum rostro fere brevior, apice truncatus, lateribus obliquis, posterius ampliatis, intra basin constrictus, supra convexus, subtus et lateribus indumento denso cinereo tectus, relicta plaga magna, ovata, dorsali, nuda, polita, nigro-picea. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim oblique truncata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, profunde sulcata, sulcis in fundo obsolete punctatis et furfure cinereo repletis, interstitiis elevatis, nitidis; nigro-picea, lineolis abbreviatis flavis, circiter novem in singulo ornatis. Corpus subtus saturatius piceum, nitidum, impunctatum, capite, thorace ventrisque limbo furfure cinereo vestitis. Pedes breviusculi, validi, femoribus rufo-piceis, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis; femora antica compressa, difformia, subtus in medio profunde emarginata, versus basin condylo majori dentiformi et versus apicem dente parvo, acuto armata, et præterea externe in paginæ superioris medio dens latus, angularis; femora posteriora dente unico parvo, acuto instructa.

Femina, a Dom. Dehaan ex insula Java communicata, differt : capite brevi, transverso, obsolete punctato; rostro ante antennas tenui, cylindrico, arcuato, lævi, nitido, femoribusque anticis

subtus non emarginatis, sed crasse clavatis, tuberculis pluribus subconicis armatis.

Variat uterque sexus magnitudine duplo majori. Ghl.

10. A. Longirostris. ♂. *Dehaan.*

Nigro-piceus, parce testaceo-setosus, antennis longioribus pedibusque rufo-piceis, capite rostroque elongatis, rugosis, thorace sulcato, confertim ruguloso, elytris punctato-sulcatis, flavo-lineatis, femoribus omnibus dentatis.

Patria : Insula Java. A Dom. Dehaan sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. Schh.

Mas solum nobis cognitus, *A. tridentato* minori æqualis. Caput sub-quadratum, convexum, confertim rugosum, nigrum, opacum, in cavitatibus squamositate setulisque fusco-testaceis adspersum : oculi semi-globosi, nigri ; rostrum capite duplo longius, porrectum, validum, apice latius, supra canaliculatum et rugosum, nigrum, opacum, mandibulis validis, arcuatis, piceis. Antennæ thoracis basin fere attingunt, minus crassæ, sub-moniliformes, articulo ultimo elongato, acuminato ; rufo-piceæ, testaceo-pilosæ. Thorax latitudine longior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus modice ampliatus, supra minus convexus, in medio profunde sed anguste sulcatus, undique confertim rugulosus, niger, opacus, squamositate setulisque fusco-testaceis in cavitatibus adspersus. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis ; posterius angustiora, apice truncata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sulcata et in sulcis profunde punctata, interstitiis angustis, convexis ; nigro-picea, glabra, sub-nitida, lineolis plurimis flavis in interstitiis ornata, quarum prima baseos reliquis longior, magisque elevata. Corpus subtus nigrum, disperse punctatum, pectore anoque fusco-squamulosis. Pedes validi, rufo-picei, testaceo-pubescentes et ciliati, femoribus clavatis, omnibus subtus versus apicem dente acuto armatis, anticis præterea versus basin tuberculis duobus et supra unico instructis. Ghl.

11. A. Latirostris. ♂♀. *Dejean.*

Nigro-piceus, inæqualiter stramineo-squamosus, antennis pedibusque dilutius ferrugineis, thorace conico, punctato, elytris profunde punctato-striatis, flavo lineatis, apice singulatim angulatis, rostro lato, rugoso.

Patria: Insula Java. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

A. tridentato magnitudine fere aequalis et sub-similis. Caput breve, basi leviter emarginatum, angulis sub-prominulis; supra parum convexum, nigro-piceum, versus latera punctatum, et stramineo-squamosum, medio sub-læve; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite duplo longius, æque latum, ante antennas similiter punctatum et squamosum, extrorsum nudum, versus apicem ampliatum, supra lacunosum et rugosum, nigro-piceum, mandibulis brevibus, validis. Antennæ thoracis basin non attingunt, crassiusculæ, sub-moniliformes, ferrugineæ; articulo ultimo longo, conico. Thorax subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, ultra medium ampliatis, ante basin constrictus, supra modice convexus, subtilius punctatus, nigro-piceus, squamulis depressis stramineis vestitus, dorso longitudinaliter glabro. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice obliquo singulatim truncata, angulo exteriore acuminato; thorace vix dimidio longiora, supra in dorso parum convexa, punctis magnis, profundis, seriatim digestis impressa, interstitiis tam longitudinalibus quam transversis elevatis, angustis, unde quasi reticulata; nigro-picea, lineis pluribus inæqualibus flavis ornata. Corpus subtus nigro-piceum, parce punctulatum et cinereo-squamosum, ventre antice late canaliculato. Pedes breviusculi, validi, squamulis stramineis adspersi, femoribus piceis, subtus dente parvo armatis, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

Femina, etiam ex insula Java, a Dom. DEHAAN communicata, differt tantum rostro ante antennas tenui, cylindrico, sub-recto, rufo-ferrugineo, nitido; cætera ut in masculo omnia. GHL.

12. A. DEHISCENS. ♂ ♀. *Schh.*

Nigro-piceus, fere glaber, antennis pedibusque ferrugineis, thorace subconico, convexo, subtiliter disperse granulato, elytris rude punctato-sulcatis, flavescenti-maculatis, apice singulatim acuminatis, dehiscentibus.

Mas: *rostro brevi, lato, rugoso, basi constricto, piceo.*

Femina: *rostro longiore, tenui, cylindrico, sub-recto, ferrugineo, nitido.*

Patria: Insula Borneo. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

A. latirostri proximus et valde affinis, sed paulo major, fere

glaber, thorax convexior, elytrorum lineolæ coloratæ breviores, aliter locatæ, etc. Caput mediocre, porrectum, punctatum, piceum, fronte antice triangulariter impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris capite parum longius, basi constrictum, extrorsum valde ampliatum, apice sub-truncatum, supra inæquale, marginibus elevatis; rufo-piceum, opacum; rostrum feminæ longitudine fere thoracis, tenue, cylindricum, fere rectum, læve, ferrugineum, nitidum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, validæ, sub-filiformes, ferrugineæ, pubescentes, articulo ultimo longo, conico. Thorax oblongus, subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, posterius ampliatis, basi constrictus et strigosus, supra convexus, æqualis, obsolete subtiliter punctatus, punctis setula cinerea instructis, unde granulatus appareat; totus nigro-piceus, nitidus. Elytra antice truncata, humeris elevatis, fere rectangulis, lateribus non ampliata, apice singulatim in medio acuminata, acumine sub-reflexo et nonnihil divaricato; thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, sulcata, et in sulcis punctis magnis, profundis impressa, interstitiis omnibus angustis, convexis, unde quasi favosa appareant; tota nigro-picea, nitida, glabra, lineolis punctisque numerosis flavo-rubescentibus ornata, quarum prima baseos et alia versus apicem in interstitio tertio a sutura longiores, reliquæ breves, fascias duas irregulares formantes. Corpus subtus obsolete punctatum, dilutius piceum, sparse squamulosum. Pedes breviusculi, validi, ferruginei, femoribus clavatis, subtus ante apicem dente parvo, acuto armatis. Ghl.

13. A. Vulsellatus. *Schh.*

Niger, glaber, antennis, tibiis tarsisque ferrugineo-piceis, thorace subconico, inflato, lævi, elytris quadrifariam flavo-maculatis, antice favosis, posterius subtiliter punctato-striatis, apice obtuse rotundatis.

Mas: *rostro crasso, apice abrupte ampliato, mandibulis porrectis, valde elongatis, arcuatis, apice bifidis.*

Femina: *rostro ante antennarum insertionem tenui, cylindrico, recto.*

Patria: Cap. Bonæ Spei. *Mas* ex Museo Dom. Faldermann; *Femina* ex Museo Dom. Comitis de Mannerheim, ad describendum benevole communicati.

A. maxilloso quodammodo similis, sed duplo major. Caput maris breve, convexum, læve, nigrum, nitidum, fronte et basi rostri triangulariter impressis: oculi magni, semi-globosi, glauci;

rostrum capite duplo longius, apice abrupte ampliatum, supra inæquale, marginibus elevatis; impunctatum, nigrum; mandibulæ porrectæ, valde elongatæ, modice arcuatæ, apice bifidæ, intus non dentatæ. Antennæ vix thoracis basin attingunt, filiformes, obscure ferrugineæ. Thorax subconicus, antice truncatus, lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi profunde constrictus, supra valde convexus, inflatus, præsertim posterius; totus niger, nitidissimus, lævis. Elytra antice truncata, humeris elevatis, fere rectangulatis, lateribus inflexa, posterius angustiora, apice obtuse rotundata, fere truncata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, antice ad tertiam fere partem profunde seriatim punctata seu favosa, dein subtiliter, sub-remote punctato-striata; nigra, nitida, glabra, maculis parvis, flavis, quadrifariam digestis ornata; in basi interiore nempe maculæ nonnullæ difformes; ante medium fascia flexuosa, e maculis sex oblongis composita; pone medium, juxta suturam, alia brevis arcuata, e maculis quatuor et versus apicem ultima, etiam punctis quatuor constans. Corpus subtus vix punctatum, nigrum, nitidum. Pedes longiusculi, femoribus clavatis nigris, anticis subtus dente parvo, acuto armatis, reliquis muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis.

Femina simillima in cæteris, modo rostri forma alia, ut in diagnosi indicatum. GHL.

14. A. MAXILLOSUS. ♂♀

Rufo-castaneus, glaber, nitidus, thorace oblongo-ovato, convexo, elytris nigrioribus, crenato-sulcatis, apice conjunctim rotundatis, lineis plurimis abbreviatis flavis, quadrifariam transversim digestis, ornatis.— GHL.

Brentus id. OLIV. *Ent.* V. 84. p. 443. n° 17. T. 1. f. 1. c. ♂. et T. 2. f. 17. a. ♂. fig. 17. b. ♀.
Brentus septentrionis. HERBST. *Col.* VII. p. 183. n° 5. T. 107. f. 5. ♂

Patria : America borealis.

Observ.—Magnitudine valde variat; colore pallido testaceo etiam occurrunt.

15. A. TRUNCATUS. ♂♀. *Megerle.*

Rufo-ferrugineus, glaber, thorace oblongo-ovato, pedibus dilutius ferrugineis, elytris profunde striato-punctatis, ochraceo maculatis, apice distincte truncatis, marginatis.—BHN.
Brentus id. BOHEM. in *Acta Mosq.* VI. p. 27. n° 27.

Patria : Bengalia.

16. A. Serrirostris. ♂♀

Nigro-piceus, nitidus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, capite pone oculos spina reflexa armato, thorace conico, basi sub-sulcato, elytris flavo-lineatis, dorso sulcatis, externe punctato-striatis, apice singulatim rotundatis.

Mas : *rostro elongato, angusto, supra plano, scabro, utrinque sub-serrato, apice angulatim ampliato.*

Femina : *rostro tenui, cylindrico, sub-recto, lævi, nitido, ferrugineo.*

Brentus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 553. n° 24.
Lund in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 87. n° 20.
Brentus cinnamomeus. Herbst. *Col.* VII. p. 174. n° 1. T. 107. f. 1.
Curculio id. Herbst. *Arch.* IV. p. 76. n° 46. T. 24. f. 20. h. i.
Curculio cinnamomi. Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1771. n° 275.
Brentus auriculatus. Dom. Com. Dejean *in Litt.*

Patria : Sumatra. — Insula Java. A. Dom. Com. Dejean et Dom. Dehaan benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo valde variat; *A. dispari* jam minor, jam duplo fere major. Caput breve, convexum, disperse punctatum, nigro-piceum, nitidum, postice emarginatum, angulis pone oculos in spinam acutam, recurvam productis; oculi semi-globosi, glauci; rostrum maris longitudine fere thoracis, porrectum, piceum, basi crassius, profunde canaliculatum, ante antennarum insertionem angustius, dein versus apicem sensim latius, apice ipso angulatim dilatatum, supra scabrum, marginibus denticulatis; rostrum feminæ ante antennas tenue, cylindricum, sub-rectum, læve, nitidum, ferrugineum. Antennæ crassiusculæ, filiformes, ferrugineæ, sub-pubescentes. Thorax elongatus, subconicus, basi apiceque truncatus, intra basin constrictus, striga duplici impressa; supra sub-convexus, lævis, piceus, nitidus, glaber; in medio baseos, ante stricturam, sulco brevi, tenui instructus. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso fere plana, interne profunde sulcata, sulcis suturæ proximis impunctatis; externe remote punctato-striata, interstitiis omnibus convexis; dilutius picea, nitida, glabra, lineolis abbreviatis flavis, sub-quadrifariam digestis, ornata. Corpus subtus læve, piceum, nitidum, glabrum, pectore ventrisque antice canaliculatis, ano flavo-fimbriato. Pedes breviusculi, validi, rufo-ferruginei, femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis. Gyll.

Manipulus II. — (*Spurii* A.) Antennæ longiusculæ, sub-filiformes. (*Nemorhinus*. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 71.)

* 17. A. SCOBINIROSTRIS. *Schh.*

Nigro-piceus, sub-opacus, pedibus saturate ferrugineis, rostro antrorsum tenui, tuberculato-scabro, thorace conico, convexo, elytris luteo-lineatis, interne sulcatis, apice singulatim emarginatis, sub-bidentatis.

Patria: Brasilia. A. Dom. Von WINTHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

A. auriculato sub-æqualis et similis, abunde tamen distinctus, capite postice truncato, elytris apice sub-bidentatis, etc. Caput sub-quadratum, basi truncatum, supra convexum, impunctatum, piceum, fronte lineola obsoleta impressa; oculi magni, semi-globosi, glauci; rostrum capite triplo longius, basi crassum, profunde canaliculatum, ante antennas tenue, filiforme, marginibus elevatis, tuberculato-scabris; totum nigro-piceum. Antennæ dimidio corpore fere longiores, filiformes, pubescentes, nigro-piceæ, basi dilutiores. Thorax subconicus, basi apiceque truncatus, intra basin profunde constrictus et striga exaratus, supra convexus, lævis, nigro-piceus, opacus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice singulatim emarginata, angulo exteriore longius producto, conico; thorace vix dimidio longiora, supra in dorso fere plana, versus suturam profunde sulcata, sulcis vix punctatis; externe sub-remote punctato-striata, nigro-picea, opaca, lineis numerosis elevatis, abbreviatis, luteo-testaceis, nitidis ornata. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, magis nitidum, impunctatum. Pedes longiusculi, validi, saturate rufo-ferruginei, nitidi, femoribus clavatis, omnibus subtus versus apicem dente acuto armatis. GHL.

* 18. A. NITIDICOLLIS. *Schh.*

Fusco-piceus, glaber, antennis longis, genibus pedibusque ferrugineis, thorace conico, castaneo-æneo nitidissimo, elytris punctato-sulcatis, sub-quadrifariam rufescenti-lineatis, apice sub-bidentatis, rostro tenui, canaliculato.

Nemorhinus cylindricornis. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 71.

Patria: Insula Guadeloupe, Indiæ occidentalis. Dom. FORSTROM. Mus. SCHH.

Longitudo *A. gnathonis*, sed angustior. Caput parvum, convexum, basi truncatum, castaneo-æneum, nitidum, læve; oculi maximi, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, basi crassius, ante antennas tenue, filiforme, secundum totam longitudinem profunde canaliculatum, piceum. Antennæ corporis dimidio longiores, tenues, filiformes, dilute ferrugineæ. Thorax oblongus, conicus, basi apiceque truncatus, intra basin profunde constrictus, bi-strigosus, supra convexus, lævis, castaneo-æneus, nitidissimus. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim sub-emarginata, angulo exteriore prominulo, conico; thorace vix dimidio longiora, supra in dorso parum convexa, evidenter sulcata, sulcis suturæ proximis impunctatis, exterioribus profunde, sub-remote punctatis; nigro-picea, nitida, lineolis inæqualibus, abbreviatis, flavo-rufescentibus, quadrifariam transversim dispositis, ornatis. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, nitidum, læve, ventre basi impresso. Pedes elongati, dilute ferruginei, nitidi, femoribus sub-clavatis, subtus versus apicem dente parvo, acuto armatis.

Observ. Brentus cylindricornis. Fabr. *Syst. el.* II. p. 554. n° 26. Huic similis videtur, sed vix idem, nam de illo dicitur : « Thorax rotundatus : rostrum cylindricum. » *Patria :* Nova Zelandia. Ghl.

* 19. A. Filicornis. *Schh.*

Rufo-piceus, sub-nitidus, parce cinereo-pilosus, rostro-cylindrico, antennis longis, tenuibus, pedibusque dilutius ferrugineis, thorace conico, obsolete punctulato, elytris profunde punctato-striatis, sub-quadrifariam ochraceo-lineatis, apice singulatim obsolete bi-dentatis. — Ghl.

Brentus id. Bohem. in *Acta Mosq.* VI. p. 28. n° 28.
Nemorhinus id. Schh. *Curc. Disp. Meth.* p. 71.
Brentus gnatho. Germ. *Ins. spec.* I. p. 190. c. ?

Patria : America septentrionalis ?

* 20. A. Duplicatus.

Æneo-niger, thorace lævi, elytris flavo-lineatis, apice spinosis, medio simpliciter lateribus punctato-striatis.—Germ.

Brentus id. Germ. *Ins. spec.* I. p. 189. n° 314.
Brentus volvulus. Voet. *Col.* Ed. Panz. IV. p. 44. n. 4. T. 34. f. 42.

Patria : Brasilia.

* 21. A. INDICATUS. *Schh.*

Æneo-niger, glaber, antennis longis pedibusque saturate ferrugineis, thorace lævi, conico, elytris flavo-lineatis, dorso simpliciter sulcatis, externe punctato-striatis, apice externo spinosis, rostro antice tenui, canaliculato, scabro.

Patria : Brasilia. Dom. Com. MANNERHEIM. Mus. SCHH.

A. duplicato Germ. valde affinis, sed triplo minor et rostri forma alia; an ejus mas? — Caput parvum, læve, æneo-nigrum, basi truncatum; oculi majusculi, semi-globosi, glauci; rostrum nigro-piceum, capite triplo longius, basi crassum, supra canaliculatum, inter antennas plaga elevata, biloba instructum, anterius angustum, filiforme, supra evidenter canaliculatum, marginibus elevatis, sub-denticulatis. Antennæ corporis dimidio longiores, crassiusculæ, filiformes, fusco-ferrugineæ. Thorax elongatus, conicus, basi apiceque truncatus, intra basin abrupte constrictus, cum striga baseos insculpta; supra convexus, lævis, æneo-niger, sub-nitidus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulis, lateribus inflexa, apice sub-truncata, cum spina retrorsum vergente in angulo exteriore; thorace dimidio longiora, supra in dorso parum convexa, juxta suturam profunde sulcata, sulcis impunctatis, externe sub-remote et leviter punctato-striata; nigra, nitida, lineis punctisque elevatis flavis ornata; in interstitio nempe secundo a sutura, lineolæ quatuor, æquali fere spatio distantes, prima baseos longiore, magis elevata; in tertio lineola brevior, ante medium; in quarto puncta duo parva, unum ante, alterum pone medium; in sexto punctum parvum posterius et sub humero linea longior. Corpus subtus nigrum, nitidum, læve, segmento anali punctato. Pedes saturate ferruginei, antici longiores; femora clavata, subtus versus apicem dente acuto armata.

GHL.

STIRPS 2. — (*Spurii* B.) Tarsi cylindrici, haud spongiosi. Femora semper mutica. *Hormocerus.* SCHH. olim (1).

22. A. CORONATUS. ♂♀

Ferrugineus, glaber, immaculatus, capite fovea profunda, radiata impresso, elytris punctato-striatis, antennis brevibus moniliformibus, rostro maris lato, inæquali, feminæ antice angustiore, adscendente, alutaceo. — GHL.

---

(1) Schh. Disp. Meth. p. [illegible]o. — Forte propium genus constituere possint.

Brentus id. GERM. *It. in Dalm. et Ragusa.* p. 247. n° 300. T. 11. f. 8.—*Id. in n. Wetterauisch. Annal.* I. I. p. 128. n° 5.

Brentus italicus. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 82.

Nemorhinus coronatus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 70.

Patria: Illyria, Italia.

23. A. BISULCATUS. ♂

Nigro-piceus, nitidus, inæqualiter cinereo-tomentosus, antennis moniliformibus, extrorsum crassioribus, dense pilosis, pedibusque rufo-piceis, thorace lævi, profunde sulcato, elytris ad suturam bi-sulcatis.—GHL.

Mas: *rostro crassiore, extrorsum sub-dilatato.*
Femina: *rostro tenuiore, cylindrico, lineari.*

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 548. n° 9.

LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 67. n° 7.

Hormocerus id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 70.

♂♀ VAR. β. Dilutius ferrugineus, elytris pone medium, versus suturam, macula inæquali fusca notatis.

Observ. Magnitudine valde variat.

Patria: Sumatra, Java.

24. A. FERRUGINEUS.

Rufo-brunneus, nitidus, pedibus dilutioribus, fronte fovea profunda impressa, thorace canaliculato, elytris brevibus, tenuiter punctato-striatis, sulco unico lato juxta suturam exaratis, antennis crassis, pilosis. — GHL.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 548. n° 10.

LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 68. n° 8.

Patria: America meridionalis.

* 25. A. SCROBICOLLIS. *Schh.*

Nigro-piceus, nitidus, supra glaber, pedibus dilutioribus, thorace profunde sulcato, lateribus varioloso-punctato, elytris ad suturam bi-sulcatis.

Patria: Insula Borneo. A. Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

A. bisulcato similis et majoribus ejus æqualis, thorace varioloso-punctato facile distinctus; specimen nostrum feminini sexus. Caput

sub-quadratum, postice emarginatum, supra convexum, fere læve, nigro-piceum, nitidum, fronte antice canaliculata; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite triplo longius, basi crassum, canaliculatum, piceum, ante antennarum insertionem tenue, cylindricum, rufo-ferrugineum. Antennæ vix capite cum rostro longiores, crassiusculæ, moniliformes, piceæ, articulis tribus ultimis paulo majoribus, magisque remotis. Thorax longus, subconicus, lateribus posterius nonnihil ampliatus, supra in medio late et profunde sulcatus, versus latera, præsertim posterius, confertim varioloso-punctatus, piceus, nitidus. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, juxta suturam bi-sulcata, sulco interiore latiore, profunde insculpto, fere impunctato, exteriore minus profundo, sub-remote punctato; in disco seriatim, sub-remote punctata et in lateribus inflexis iterum sulcata; picea, nitida, margine dilutius rufescente. Corpus subtus parce punctatum, piceum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, dilute rufo-picei, femoribus clavatis, muticis, anticis multo crassioribus. GHL.

* 26. A. TRISTRIATUS.

Ferrugineus, nitidus, thorace breviore, sub-elliptico, lævi, elytris ad suturam sub-tristriatis, tibiis anticis interne valde uni-dentatis, rostro breviusculo, lato, sub-arcuato.

Brentus tristriatus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 547. n° 8.
LUND. *Acta Hist. nat. Hafn.* V. 2. p. 66. n° 6.
Trachelizus planicollis. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Patria : Indiæ orientalis insulæ, Java, Sumatra. A. Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Minoribus *A. bisulcati* individuis æqualis et similis. Caput rotundatum, convexum, ferrugineum, nitidum, læve, fronte foveola oblonga impressa; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum vix capite longius, latum, sub-arcuatum, supra fere planum, ferrugineum, nitidum, læve. Antennæ thoracis basin fere attingunt, minus crassæ, moniliformes, obscure ferrugineæ, pubescentes. Thorax sub-ellipticus, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter ampliatus, supra fere planus, ferrugineus, nitidus, lævissimus. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulatis, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra juxta suturam impressa ibique tri-striata,

striis sub-lævibus, exteriore postice abbreviata; discus singuli elytri longitudinaliter convexus, lævis, sed latera externe sub-striata: tota ferruginea, nitida, glabra. Corpus subtus dilutius rufo-ferrugineum, nitidum, læve, ventre canaliculato. Pedes breviusculi, validi, dilute rufo-ferruginei, nitidi, femoribus clavatis, muticis, tibiis primi paris interne dente magno, crasso, arcuato armatis.

GYLL.

27. A. PYGMÆUS. *Schh.*

Castaneus, nitidus, glaber, pedibus dilutioribus, rostro basi thoraceque profunde sulcatis, elytris ad suturam sub-trisulcatis, in disco costatis, tibiis anticis interne valide unidentatis.

Trachelizus nanus. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

A. bisulcato sub-similis, sed minimis ejus adhuc minor. Caput breve, convexum, vix punctulatum, castaneum, nitidum, basi emarginatum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum capite angustius, sed duplo fere longius, validum, sub-arcuatum, basi supra sulco lato et profundo, in frontem adscendente insculptum, ante antennas breve, fere planum, læve, castaneum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, moniliformes, castaneæ, cinereo-pilosæ, articulis tribus ultimis majoribus, remotis. Thorax latitudine vix duplo longior, antice truncatus, calloso-elevatus, longe intra apicem profunde transversim impressus, lateribus nonnihil ampliatus, supra in medio late et profunde sulcatus, lævis, castaneus, nitidus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-angulatis; lateribus non ampliata, intra apicem constricta, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra ad suturam impressa, ibique sulcis tribus, posterius confluentibus exarata, in medio disci costa elevata instructa, externe punctato-striata, castanea, nitida. Corpus subtus obsolete punctatum, castaneum, nitidum, pectore profunde canaliculato, ventre antice impresso. Pedes breviusculi, validi, dilutius ferruginei, nitidi, femoribus clavatis, tibiis anticis interne in medio dente valido, incurvo armatis, tarsis angustis sub-cylindricis, subtus non spongiosis.

Observ. Armatura tibiarum anticarum in hac specie et in *A. tristriato* singularis quidem videtur et a reliquis hujus generis diversa, quamobrem Cl. Dom. Chevrolat illas sub propio nomine

generico *Trachelizus* proposuit; sed hæc nota sola vix sufficit ad peculiare genus formandum, dum in cæteris cum speciebus stirpis secundæ generis *Arrhenodis* exacte conveniunt. GHL.

Incertæ species, mihi invisæ.

28. A. ANOMALOCEPS.

Oblongus, femoribus dentatis, rostro tetragono forcipato, antennis moniliformibus. — PALLAS.

Curculio id. PALLAS. *Icon.* p. 24. B. 4. Tab. B. fig. 4. ♂
Brentus id. HERBST. *Col.* VII. p. 182. n° 4. T. 107. f. 4. ♂

Patria : America meridionalis.

29. A. RUFICOLLIS.

Thorace cylindrico, sub-orbiculato, elytris flavo-striatis, apice fastigiato-sub-quadri-dentato. — HERBST.

Brentus id. HERBST. *Col.* VII. p. 193. n° 11. T. 108. f. 3. ♀

Patria :

30. A. FRONTALIS.

Niger, elytris sulcatis, capite aurito-cristato. — OLIV.

Brentus id. OLIV. *Ent.* V. 84. p. 434. n° 4. T. 2. f. 14.
Nemocephalus id. LATR. in *Dict. class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria : Surinam.

31. A. DISTANS.

Femoribus dentatis, cylindricus, elytris piceis, striis abbreviatis, fascia postica interrupta apiceque flavis. — PANZ.

Brentus id. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. *Procem.* et p. 44. T. V. fig. 5.

Patria : America borealis.

GENUS 40. BELOPHERUS. *Nobis.*

Brentus OLIV., LATR.

Character generis.—Antennæ longæ, sub-filiformes.

Rostrum porrectum, tenue, longum, in masculis apice sagittiforme; in feminis sub-filiforme.

Caput sub-cylindricum, pone oculos constrictum; collo distincto, brevi.

Thorax maris, antice angustatus, lateribus denticulo uno alterove munitus; feminæ subconicus, muticus.

Elytra apice truncata, extus dente valido armata.

Femora subtus dentata.

Descriptio.—*Corpus* longum, sub-cylindricum, porrectum, rigidum, glabrum, alatum. — *Antennæ* rectæ, thoracis basin attingentes, filiformes, tenues, in masculo medio, in femina basin rostri propius insertæ, 11-articulatæ : articulis inferioribus apice sub-clavatis, exterioribus cylindricis. — *Rostrum* porrectum, tenue, longum, in mare scabrosum, apice sagittiforme; in femina sub-filiforme.—*Caput* angustum, sub-cylindricum, pone oculos constrictum; collo distincto.—*Oculi* laterales, sub-rotundati, modice prominuli.—*Thorax* oblongus, feminæ subconicus, maris antice valde angustatus, lateribus denticulatus, basi marginatus, supra convexus.—*Scutellum* nullum.—*Elytra* elongata, linearia, sub-cylindrica, apice sub-truncata, extus spina valida armata.—*Pedes* sub-tenues, antici longiores; femoribus modice clavatis, subtus dentatis; tibiis teretibus, rectis, anticis in medio dentatis, apice uncis duobus armatis; tarsis angustis, articulo penultimo paulo latiore, bifido, subtus spongioso, ultimo longo, clavato, bi-unguiculato.

A βέλος telum, φέρω fero, porto.

TYPUS. — *Brentus militaris.* OLIV.

Observ. — Rostrum maris apice sagittiforme, notam exstantem huic generi præbet; feminæ, quas inverse ut mares inspexerit Cl. Dom. Olivier, rostrum gerunt filiforme, apice non ampliatum, pari modo ac feminæ pleræque in genere *Arrhenodes.* — Verisimillimum nobis jam videtur, species plerasque à nobis in manipulo secundo stirpis primæ generis *Arrhenodis* allatas, feminas esse *Belopherorum*, quarum mares adhuc nobis ignoti.

1. B. NASUTUS (1).

Femoribus omnibus tibiisque anticis dentatis, thorace elongato, æneo, elytris acuminatis.—FABR.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 551. n° 17. — *Ent. Syst.* I. II. p. 493. n° 7. — *Mant.* I. p. 96. n° 6.

(1) Mihi invisus.

OLIV. *Ent.* V. 84. p. 436. n° 7. T. 2. f. 7. a. — *Enc. méth.* V. p. 191. n° 7.

HERBST. *Col.* VII. p. 203. n° 20.

LINN. *Syst. nat. Ed.* GMEL. I. IV. p. 1740. n° 8.

Curculio id. FABR. *Sp. ins.* I. p. 182. n° 119.

Belorhynchus id. LATR. in *Dict clas. d'Hist. Nat.* XIV. p. 593.

Patria : Jamaica, S. Domingo.

2. B. LONGIMANUS.

Fusco-æneus, glaber, thorace elongato, pone medium ampliato, obsolete canaliculato, elytris remote punctato-striatis, quadrifariam fulvo-lineatis, tibiis anticis intus acute dentatis. — GHL.

Mas : *rostro longissimo, tenui, undique scabro, thorace pone medium utrinque angulato, spinulis numerosis armato.*

Femina : *rostro breviore, tenui, cylindrico, thorace lateribus inermi.*

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 553. n° 23. ♂

LUND in *Acta Hist. Nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 86. n° 19. ♂

OLIV. *Ent.* V. 84. p. 438. n° 10. T. 2. f. 8. a. ♂. b. ♀

Brentus maculatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 192. n° 11. ♂

Patria : Porto Rico, America meridionalis.

3. B. MILITARIS. *

Æneus, glaber, thorace nitidissimo, ante medium ampliato, supra vix canaliculato, elytris remote punctato-striatis, lineolis numerosis, interruptis flavis ornatis, tibiis anticis interne obtuse dentatis. — GHL.

Mas : *rostro mediocri, undique scabro, apice sagittiformi, thorace antice subito angustato, lateribus anterius spinulis pluribus armato.*

Femina : *rostro breviore, apice tenui, cylindrico, thorace inermi.*

Brentus id. OLIV. *Ent.* V. 84. p. 439. n° 11. T. 2. f. 9. a. ♂. b. ♀

LATR. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria : Ins. S. Domingo et Cuba.

4. B. SPINOSUS. *Oliv.*

Obscure æneus, glaber, parum nitidus, antennis pedibusque ferrugineo-piceis, thorace anterius subito angustato, ante medium spinulis nonnullis armato, elytris sub-remote punctato-striatis, quadrifariam luteo-lineatis, rostro mediocri, undique scabro, apice sagittiformi.

Patria : Insula S. Domingo. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine ad describendum benevole communicatus.

Mas solum nobis cognitus ; *B. militari* valde affinis, colore minus lucido, elytrorum spinis apicalibus magis acutis, lineolis elytrorum paucioribus, saturatius luteis, etc., distinctus. Caput oblongum, angustum, parum convexum, sub-læve, fusco-æneum, non nitidum, pone oculos leviter constrictum ; oculi glauci, modice prominuli ; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, a basi ad antennas cylindricum, rectum, ante antennarum insertionem angustius, compressum, nonnihil arcuatum, undique tuberculis parvis, acuminatis scabrum, apice utrinque spina valida armatum, totum nigro sub-æneum. Antennæ thoracis basin superant, filiformes, ferrugineo-piceæ. Thorax latitudine dimidio longior, anterius a medio ad apicem valde angustatus, apice truncatus, lateribus anterius obliquis, denticulis pluribus armatis, postico reliquis majori, acuminato ; pone spinam latera sub-recta, versus basin inflexa ; basi constrictus, striga duplici exaratus, supra in disco parum convexus, lævis, fusco-æneus, non nitidus. Elytra antice truncata, thoracis basi angustiora, humeris elevatis, rotundatis ; lateribus non ampliata, apice sub truncata, spina valida, acuta, in angulo externo armata ; thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, juxta suturam sulco unico profundo exarata, superficie reliqua sub-remote punctato-striata ; fusco-ænea, lineolis abbreviatis lutescentibus, quadrifariam in fascias dispositis ornatis. Corpus subtus parce, obsolete punctatum, fusco-æneum, magis nitidum. Pedes elongati, sub-tenues, obscure ferruginei, femoribus modice clavatis, tibiis rectis, anticis in medio interne dente parvo, obtuso armatis. GHL.

GENUS 41. EUTRACHELUS. *Nobis.*

Eutracheles LATR. (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, sub-tenues, in mare versus medium, in femina juxta basin rostri insertæ.

Rostrum porrectum, in mare validum, apice ampliatum, mandibulæ exsertæ ; in femina magis tenue, cylindricum, mandibulæ parvæ.

Caput cylindricum, pone oculos elongatum.

---

(1) Latr. Règne Anim. p. 389. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 503. — Thon Ent. Arch. I. III p. 65.

Thorax ovatus, convexus, lateribus rotundatus.

Elytra elongata, sub-cylindrica.

Descriptio. — *Corpus* majoris magnitudinis, longum, sub-cylindricum, rigidum, alatum. — *Antennæ* rectæ, thoracis basin non attingentes, in masculo mox ante medium, in femina prope basin rostri insertæ, filiformes, 11 articulatæ : articulis inferioribus obconicis, exterioribus cylindricis, ultimo elongato, acuminato. — *Rostrum* basi capiti contiguum, porrectum, paulo arcuatum, in mare capite thoraceque longius, validum, apice ampliatum, mandibulis exsertis, validiusculis; in femina magis tenue, cylindricum, mandibulis parvis. — *Caput* elongatum, thoraci intrusum, in mare thorace vix brevius, sub-cylindricum; in femina dimidio minus, basi latius, antrorsum angustatum. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* longus, antice posticeque truncatus, anterius multo angustior, lateribus ultra medium acute rotundatus, basi marginatus, sub-constrictus, supra convexus, æqualis. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* thorace medio vix latiora et latitudine plus duplo longiora, basi truncata, cylindrica, convexa, humeris obtuse angulatis, apice depressa, aut singulatim obtuse acuminata, aut sub-truncata. — *Pedes* validi, antici longiores, robustiores, femoribus clavatis, subtus denticulo acuto armatis; tibiis sub-compressis, tenuibus, anticis apice dente valido instructis; tarsis longis, angustis, subtus spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bifido, ultimo elongato, falcato, bi-unguiculato

Ab εὖ bene, τράχηλος collum.

Observ. — Caput pone oculos elongatum, fere cylindricum, et rostrum maris apice ampliatum, mandibulis evidenter exsertis instructum, hoc genus a *Brenthis* genuinis præcipue distinguunt.

TYPUS. — *E. Temmincki.* LATR.

1. E. TEMMINCKI. *

Niger, glaber, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, capite transversim strigoso, elytris ferrugineo-lineatis, interne simpliciter, externe profunde punctato-striatis.

Mas : *rostro longo, depresso, striato, capite longissimo, cylindrico, strigoso et granulato, elytris obsolete ferrugineo-lineatis, apice singulatim sub-acuminatis.*

Femina : *brevior, rostro ante antennas tenui, cylindrico; capite duplo breviore, antrorsum sub-angustato, elytris quadrifariam evidenter ferrugineo-lineatis, apice fere truncatis.*

LATR. *Regne anim.* p. 389.—*Dict. classique des sciences nat.* XIV. p. 593.

Brentus heros. DEJEAN *in Litt.*

Patria : Insula Java. A Dom. DEHAAN et CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

E maximis hujus divisionis; mas bi-pollicaris, femina brevior. Maris caput longitudine fere thoracis, cylindricum, basi truncatum, absque collo thoraci adfixum, profunde transversim strigosum, in disco antico granulatum, fronte inter oculos striis nonnullis exarata; totum nigrum; oculi parvi, semi-globosi, glauci; rostrum capite dimidio longius, validum, supra planum, longitudinaliter multi-striatum, apice dilatatum, granulatum, mandibulis validis, exsertis præditum, capiti concolor. Antennæ vix capite cum rostro longiores, filiformes, ferrugineæ, parce pubescentes, paulo ante medium rostri insertæ. Thorax latitudine posteriore paulo longior, basi apiceque truncatus, anterius multo angustior, constrictus, margine alta elevato, strigoso; lateribus obliquis, ultra medium ampliatis; intra basin subito constrictus, supra convexus, pulvinatus, lateribus antice strigosus et granulatus, cæterum lævis, niger, parum nitidus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim oblique truncata cum acumine externo; supra in dorso parum convexa, versus suturam simpliciter striata, externe sulcata, sulcis profunde, remote punctatis; nigra, sub-nitida, basi et interne lineolis pluribus abbreviatis, obscure ferrugineis, obsoletis, notata. Corpus subtus nigrum, thorace disperse granulato, pectore ventreque magis nitidis, sub-lævibus. Pedes mediocres, antici longiores et validiores; femora omnia clavata, nigra, subtus dente parvo armata; tibiæ et tarsi rufo-ferruginei.

Femina brevior, sed fere latior; caput amplo brevius quam in masculo, basi latius, antrorsum nonnihil angustatum; rostrum ante antennas tenue, cylindricum, læve; antennæ basin rostri propius insertæ; elytra apice truncata, absque acumine externo, supra lineolis plurimis abbreviatis, læte ferrugineis, quadrifariam transversim digestis, ornata; cætera ut in mare. GHL.

GENUS 42. BELORHYNCHUS. *Latr.* (1).

Brentus FABR., HERBST. — *Nemorhinus* STEV., SCHH. (2).

Character generis. — Antennæ longæ, tenues, in mare versus apicem, in femina juxta basin rostri insertæ.

Rostrum in mare nutans, rectum, versus apicem curvatum, abrupte angustatum; in femina porrectum, sub-filiforme.

Caput subconicum, collo bulbiformi.

Elytra elongata, linearia, cylindrica.

Descriptio. — *Corpus* longum, sub-cylindricum, porrectum, rigidum, alatum. — *Antennæ* rectæ, longæ, filiformes, tenues, in masculo versus apicem, in femina juxta basin rostri insertæ, 11-articulatæ; articulis inferioribus apice clavatis, exterioribus cylindricis. — *Rostrum* longissimum, in mare nutans, a capite ad insertionem antennarum rectum, validum, sub-angulatum, deinde breve, curvatum, abrupte angustatum; in femina porrectum, rectum, sub-filiforme. — *Caput* subconicum; collo bulbiformi, thoraci intrusum. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* aut oblongo-ovatus, supra convexus, æqualis, aut elongato-ovatus, sulco dorsali instructus, postice marginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* elongata, linearia, cylindrica, in quibusdam apice sub-truncata, dente valido, recurvo, in aliis spina recta, acuminata armata. — *Pedes* validi, antici longiores, robustiores; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, anticis apice unco valido sub-horizontali instructis; tarsis longis, angustis, subtus spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bifido, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A βέλος sagitta, telum, ῥύγχος rostrum.

Observ. — Rostrum maris longum, rectum, apice curvatum et subito attenuatum, ut et antennæ longæ, filiformes, in eodem sexu prope apicem rostri insertæ, notæ sunt singulares, hoc genus facile designantes.

TYPUS. — *Brentus curvidens.* FABR. vel *Brentus myrmecophaga.* HERBST.

---

(1) Latr. Regne Anim. p. 390. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 563. — Thon Ent. Arch. I. III. p. 65.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. [illegible]

1. B. CURVIDENS. ♂ ♀

Niger, parce cinereo-setulosus, thorace subconico, scabro, elytris undique remote punctato-striatis, apice recurvato-spinosis, lineis pluribus elevatis flavis ornatis, anticis duabus longioribus, in medio coeuntibus.—GHL.

Mas : *rostro valido, angulato, scabro, apice abrupte angustato, deflexo, antennis longissimis, filiformibus, prope apicem rostri insertis.*

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 545. n° 2.

LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 59. n° 1.

Dict. des sciences nat. V. p. 332. n° 1.

Brentus nasutus (alter sexus). OLIV. *Ent.* V. 84. p. 436. n° 7. T. 2. f. 7. b.

Brentus longicornis. DEJ. *Cat. Col.* p. 82.

Femina : *rostro ante antennas tenui, cylindrico, recto, nitido; antennis mediocribus, versus basin rostri insertis.*

Brentus myrmecophaga. HERBST. *Col.* VII. p. 185. n° 6. T. 107. f. 6.

Patria : Brasilia.

2. B. GRACILIS. ♂. *Schh.*

Angustus, nigro-piceus, rostro valde tenui, longitudine elytrorum, supra carinato, subtus dense pubescente, thorace profunde sulcato, elytris striato-punctatis, striis duabus suturalibus impressis, apice acute mucronatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Insectum singulare, valde gracile, angustatum. Longit. 7½ lin. latit. vix 1 lin. Caput elongatum, basi valde angustatum, teretiusculum, apicem versus sensim ampliatum, nigro-piceum, impunctatum, collo crasso thoraci adnexum. Oculi ovati, parum prominuli, glauci. Rostrum longitudine elytrorum, tenuissimum, filiforme, apice arcuatum, supra a basi ad insertionem antennarum carinatum et utrinque canaliculatum, apice perparum dilatatum, subtus vellere sat longa, fusca, dense tectum; latum, nigro-piceum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, thorace dimidio longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, fusco-pubescentes, articulo ultimo valde elongato, arcuato, acuminato. Thorax elongatus, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustior, coarctatus, transversim strigosus, lateribus perparum ampliatus, nigro-piceus, impunctatus, dorso depressiusculus, sulco profundo, lato, nec basin nec apicem

attingente, exaratus. Elytra elongata, basi sub-truncata, et in medio impressa, thoracis medio nonnihil latiora et illo plus duplo longiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis, linearia, apicem versus angustata, apice ipso dehiscentia, utrinque mucrone acuto armata, supra dorso fere plana, nigro-picea, subtiliter striatim punctata, striis duabus suturalibus, approximatis, continuatis, profunde impressis, notata. Corpus subtus nigro-piceum, impunctatum. Pedes graciles, elongati, femoribus modice incrassatis, muticis, nigro-piceis, tibiis rectis, ferrugineis, anticis intus in medio denticulo parvo, obtuso, instructis: tarsis valde elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

GENUS 43. BRENTHUS (1).

Brenthus ILLIG., Germ. (2). — *Brentus* FABR. et auct. (3). — *Curculio* LINN., DE GEER. — *Brentus*, *Nemocephalus*, *Uropterus* et *Stenorhyncus* LATR. (4).

Character generis. — Antennæ sæpius breviusculæ, extrorsum paulo crassiores; articulis brevibus, aut sub-obconicis, apice truncatis, aut sub-rotundatis: raro longiusculæ, articulis sub-cylindricris.

Rostrum porrectum, sæpius longissimum.

---

(1) Forma partium corporis singularium in hac divisione maxime variabilis est, inde methodi plures, illos in diversa genera et sub-divisiones distribuere propositæ fuerunt; sic Clar. Dom. Latreille, in *Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p.* 593, secundum diversam capitis formam, *Brenthos* genuinos in duo genera, *Brenthus* nempe et *Nemocephalus* divisit, et in suo opere: *Règne Anim. p.* 390, tertium addidit, sub nomine *Stenorhynchus*, e speciebus, antennas filiformes gerentibus compositum; sed limites, hos inter, parum fixi, nam occurrunt non raro species intermediæ, uno vel alio modo transitum parantes. Porro auctor ille illustrissimus, sub nomine *Uropterus*, genus proposuit ex iis, quorum elytra apice appendiculata; sed hæc nota masculis tantum competit, et *B. anchorago*, cujus mas etiam elytra apice, elongato-attenuata gerit, transitum ad illos evidenter parat. Genera hæc ideo, ut nimis vacillantia, adhibere non aptum censui. Quum plures huc pertinentes species, quæ in calidis regionibus forte numerosæ detectæ exstant, adæquatior distributio verisimiliter construi possit.

(2) Illig. Mag. III. p. 101 n° 165. — Germ. in Nov. Wetter. Annal. I. p. 127. n° 10. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 68. n° 27.

(3) Fabr. Syst. el. II p. 545. n° 163. — Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 242. — Consid. Génér. p. 219. — Cuv. Règne Anim. III p. 928. — *Id.* Dirhist. II. g. 176. c. — Dumér. Zool. Annal. p. 226. — Oliv. Enc. méth. V. p. 187. — Oliv. Ent. V. 84. p. 429. — Herbst. Col. VII. p. 169. Instr. Tab. R. fig. 8 - 17. — Thunb. in Nova Acta Ups. VII. p. 108.

(4) Latr. Règne Anim. p. 321. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 593 *Rhynchophores.* — Thon Ent. Arch. I. III. p. 65.

Caput in plerisque elongatum, aut obconicum, aut lineare, aut conicum; collo bulbiformi.

Thorax plerumque elongato-ovatus.

Elytra elongata, linearia, in paucis apice maxime attenuata vel appendiculata.

Stirps 1. — Caput pone oculos plus minusve elongatum, obconicum vel posterius maxime angustatum. — Femora semper dentata. (*Brentus* Latr.)

1. B. Caudatus.

Depressus, niger, glaber, pedibus piceis, capite, rostro thoraceque canaliculatis, elytris æqualiter punctato-sulcatis, immaculatis, apice in caudam valde elongatam, obtusam, striatam productis.— Ghl.

Herbst. *Col.* VII. p. 201. n° 18. T. 108. f. 10.
Oliv. *Ent.* V. 84. p. 440. n° 12. T. 2. f. 10.
Uropterus id. Latr. in *Dict. classique d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria : Surinam.

2. B. Anchorago. ♂♀

Niger, nitidus, glaber, thorace postice profunde canaliculato, elytris leviter punctato-striatis, striis suturæ proximis profundis, vix punctatis, lineis duabus flavo-rufis ornatis, interiore postice abrupta, laterali antice abbreviata.—Ghl.

Mas : *thorace longissimo, medio strangulato, elytris apice elongato-attenuatis.*

Femina : *thorace breviore, conico, elytris apice obtusis.*

Fabr. *Syst. el.* II. p. 549. n° 14.—*Ent. Syst.* I. II. p. 492. n° 5.—*Mant.* I. p. 96. n° 5.
Oliv. *Ent.* V. 84. p. 437. n° 8. T. 1. f. 2. a. b. ♂. fig. 2. d. e. ♀.—*Enc. méth.* V. p. 190. n° 5. ♂
Herbst. *Col.* VII. p. 194. n° 12. T. 108. f. 4. ♂
Lund in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 72. n° 11.
Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 243. n° 1. — *Hist. nat. des cr. et des ins.* XI. p. 79. T. 91. f. 5. ♂. *Id.* in *Dict. classique d'Hist. nat.* XIV. p. 593.
Gregory. *Dict.* I. Tab. 23. f. 63. ♂
Dict. des sciences nat. V. p. 333. n° 3.
Linn. *Syst. nat.* Ed. Gmel. I. IV. p. 1739. n° 6.
Blumenb. *Handb.* Ed. 7. p. 328. n° 6.

VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 43. n° 1. T. 34. f. 1. 2. ♂

Curc. id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 52. n° 11. — *Syst. nat.* I. II. p. 613. n° 56.

FABR. *Sp. ins.* I. p. 182. n° 118.—*Syst. ent.* p. 143. n° 86.

HERBST (Borowsky). *Naturg.* VI. p. 111. n° 7. T. 14. f. 3. ♂

SULZ. *Gesch. des ins.* p. 39. n° 3. T. 4. f. 6. ♂

Brentus peregrinus. HERBST. *Col.* VII. p. 190. n° 9. T. 108. f. 1. ♀

Brentus canaliculatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 191. n° 6. ♀

Curculio longicollis. DE GEER. *Ins.* V. p. 273. n° 8. T. 15. f. 28. 29. ♂

Curculio hastile. PALLAS. *Icon.* p. 25. n° 2. ♂

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1740. n° 7.

GRON. *Zooph.* p. 168. n° 583. T. 15. f. 4. ♂

♂ ♀ VAR. β. Elytrorum linea colorata interiore ad apicem lineola brevi externe adjecta, aucta.

♂ VAR. γ. Elytrorum linea colorata interiore in medio interrupta, laterali utrinque longius abbreviata.

♀ VAR. δ. Thorace vitta media rubra notato; elytrorum lineæ coloratæ ut in var. β.

Patria : America meridionalis, Cayenna, Brasilia; var. β. Columbia.

3. B. BIDENTATUS. ♂♀

Niger, nitidus, glaber, thorace utriusque sexus conico, profunde canaliculato, elytris apice rotundatis, profundius punctato-striatis, interne lineis duabus approximatis, interruptis, flavo-rufis, aliaque brevi externe in apice ornatis, femoribus posticis dentibus duobus remotis armatis.—GHL.

Mas : *capite, rostro thoraceque longioribus; rostro apice ampliato.*

Femina : *capite, rostro thoraceque brevioribus; rostro tenui, cylindrico.*

FABR. *Syst. el.* II. p. 451. n° 19.

LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 80. n° 15.

OLIV. *Ent.* V. 84. p. 438. n° 9. T. 1. f. 2. c. ♂

LATR. *Dict. class. d'Hist. nat.* p. 593.

DEJ. *Cat. Col.* p. 82.

Patria : Cayenna.

4. B. VOLVULUS. ♂♀

Nigro-piceus, nitidus, glaber, thorace utriusque sexus conico, profunde sulcato, canali rufescente, elytris apice obtusis, confertim punctato-striatis, interne lineis duabus approximatis, interruptis

flavo-rufis, aliisque duabus parvis intra marginem ornatis, femoribus crassius clavatis, anticis posticisque dente unico parvo armatis.—Ghl.

Mas : *angustior, capite, rostro thoraceque longioribus, rostro apice ampliato, antennis longius pilosis, thorace etiam subtus canaliculato.*

Femina : *latior, capite, rostro thoraceque brevioribus, rostro tenui cylindrico, antennis brevius pilosis, thorace subtus vix impresso.*

Fabr. *Syst. el.* II. p. 550. n° 15.—*Ent. Syst.* I. II. p. 493. n° 6.
Lund in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 75. n° 12.
Oliv. *Ent.* V. 84. p. 441. n° 13. T. 1. f. 4. a. b. ♂. Tab. 2. f. 11. a. ♂. b. ♀
Latr. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* p. 593.
Brentus linearis. Oliv. *Enc. méth.* V. p. 192. n° 10.
Curculio anchorago. Pallas. *Icon.* p. 25. n° 1.
Brentus canaliculatus. Herbst. *Col.* VII. p. 198. n° 15. T. 108. f. 7. ♀. ?

Patria : Americæ insulæ.

5. B. Cylindrus.

Niger, nitidus, glaber, thorace elongato, conico, postice profunde sulcato, elytris confertim punctato-striatis, interne lineis duabus approximatis, interruptis, flavo-rufis, aliaque brevi externe in apice ornatis, femoribus clavatis, omnibus dente unico acuto armatis.— Ghl.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 550. n° 16.
Lund in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 77. n° 13.

Observ. — *B. volvulo* valde affinis, sed canalis thoracis multo brevior, disco concolor, et femora intermedia etiam evidenter dentata; specimen nostrum femineum, a Dom. T. Lund donatum.
Patria : America meridionalis.

6. B. Vulneratus. ♂

Nigro-piceus, nitidus, glaber, thorace sub-lineari, elongato, supra subtusque profunde canaliculato, canalibus rufescentibus; elytris apice obtusis, confertim punctato-striatis, lineis pluribus interruptis rufescentibus ornatis, femoribus posticis valide bi-dentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Von Wintheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Mas solum nobis cognitus: masculo *B. volvuli* simillimus, femoribus posticis bi-dentatis præcipue distinctus. Caput obconicum, basi media impressum, cum tuberculo elevato utrinque: supra convexum, læve, nigrum, vitta media saturate rufa, in rostro continuata, notatum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum longitudine thoracis, ab oculis ad antennas crassum, lineare, læve, lateribus et subtus nigrum, supra rufum; ante antennas angustius, sed apice iterum nonnihil ampliatum, supra canaliculatum, rufo-piceum. Thorax valde elongatus, angustus, sub-linearis, posterius parum latior, basi apiceque truncatus, intra basin constrictus, supra in medio profunde canaliculatus, lævis, intra basin utrinque tuberculo parvo instructus, niger, nitidus, vitta media lata, obscure rufa ornatus. Elytra antice conjunctim emarginata, lobo humerali prominulo, rotundato; thorace parum latiora, linearia, apice sub-truncata, thorace vix dimidio longiora, supra minus convexa, confertim punctato-striata, nigra, nitida, lineis variis interruptis rufescentibus ornata, quarum una ad basin, in interstitio quarto a sutura et altera in tertio intra apicem, reliquis longiores, magis elevatæ; in interstitiis 3 et 4, præterea lineolæ duæ breves, pone medium; in 5° et 6° aliæ duæ ejusmodi ante medium, et in 8°, duæ paulo longiores, una anterius, altera ad apicem. Thorax etiam subtus canaliculatus, in medio rufus; venter rufo-piceus, disperse punctulatus, medio canaliculatus. Pedes nigro-picei, nitidi, femoribus clavatis; antici subtus versus apicem dente longiori, acuto: medii dente minuto et postici dentibus duobus remotis armati, anteriore valido, arcuato, posteriore parvo; tibiæ posticæ latæ, compressæ, valde arcuatæ, intus ciliatæ. GHL.

7. B. CANALICULATUS. ♂♀

Niger, nitidus, glaber, thorace supra subtusque profunde canaliculato, elytris confertim punctato-striatis, lineolis nonnullis abbreviatis rufescentibus ornatis, femoribus clavatis, unidentatis, tibiis anticis bidentatis.—GHL.

Mas: *longior, rostro antice nonnihil ampliato, elytris apice valde elongato-productis, attenuatis.*

Femina: *brevior, rostro antice tenui, cylindrico, elytris apice obtusis.*

FABR. *Syst. el.* II. p. 551. n° 18.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 78. n° 14.
B. armiger. HERBST. *Col.* VII. p. 196. n° 13. T. 108. f. 5. ♂
B. interruptus. HERBST. *Col.* VII. p. 197. n° 14. T. 108. f. 6. ♀
B. productus. DEJ. *Cat. Col.* p. 82.

Brentus longi-caudatus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 103.
Uropterus. LATR. *Règne anim.* p. 389.

Patria : Brasilia.

8. B. SIGNATUS. ♂

Niger, angustatus, capite thoraceque elongatis, lævissimis, muticis, collo angustato; elytris punctato-striatis, versus suturam et marginem lineolis flavis abbreviatis.

DALM. *Anal. ent.* p. 86. nº 93.
B. lævicollis. DEJ. *Catal. Col.* p. 82.

Patria : Cayenna.

9. B. LINEICOLLIS. ♀. *Schh.*

Elongatus, rufo-piceus, nitidus, rostro thorace multo breviori, arcuato, thorace oblongo, supra parum convexo, rufo, vittis duabus dorsalibus nigris, elytris ad suturam et marginem simpliciter disco punctato-striatis, apice obtuse rotundatis, singulo maculis quatuor flavis, ornato.

Habitat in Minas Geraës. Teste Dom. Com. MANNERHEIM; in Brasilia. Dom. Von WINTHEIM.

B. anchorago ♀ dimidio fere minor. Caput oblongo-quadratum, basi nonnihil angustius, cum rostro thorace fere brevius, teretiusculum, nigro-piceum, nitidum, impunctatum, collo crasso thoraci adfixum; oculi parvi, ovati, albidi, parum prominentes; rostrum feminæ tenue, teres, inter antennas incrassatum, elevatum, obsolete sulcatum, apice vix dilatatum, nigro-piceum, læve. Antennæ longitudine thoracis, nigro-piceæ, fusco-pubescentes, moniliformes, extrorsum sensim crassiores, articulo apicali oblongo-ovato, acuminato, insertæ rostro fere ad basin. Thorax basi apiceque truncatus, anterius valde angustatus, lateribus pone medium ampliatus, dein versus basin iterum constrictus et transversim valde impressus, supra modice convexus, basi obsoletissime canaliculatus, nigro-piceus, nitidus, lævissimus, linea lata longitudinali dorsali lateribusque et subtus, rufus. Elytra thoracis medio fere angustiora, sed illo vix dimidio longiora, humeris obtuse rotundatis, sub-elevatis; sub-cylindrica, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, dorso depressa, ad suturam et versus latera profunde striata, disco minus regulariter subtiliter punctato-striata, rufopicea, nitida; in dorso singuli elytri macula basalis elongata, altera pone medium sub-oblonga, ambæ e lineolis duabus compo-

sitæ, et intra apicem tertia, parva elongata lineolaque versus marginem ante medium, flavis. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, impunctatum, segmento ultimo abdominis obscuriore, parce punctato. Pedes breviusculi, nigro-picei, femoribus modice clavatis, ante apicem subtus emarginatis, et ante emarginaturam omnibus denticulo distincto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, anticis in medio denticulatis. Tarsi elongati, obscure ferruginei, subtus fulvo-spongiosi.

Mas : major: rostrum crassum, basi conicum, in medio angustius, apice dilatatum : antennæ in medio rostri insertæ; thorax longior, conicus, posterius minus ampliatus; cætera conveniunt.

BHN.

10. B. PYCTES. *. *Schh.*

Supra nigro-piceus, nitidus, glaber, subtus rufo-ferrugineus, thorace conico, vitta media rufa, elytris punctato-striatis, lineolis numerosis, brevibus, saturate rufis ornatis, apice truncatis, angulis exterioribus elevatis, prominulis; antennis brevibus, crassis.

Patria : Brasilia. A Dom. Von WINTHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Mas tantum nobis cognitus; *B. lineicolli* simillimus et valde affinis, distinctus tamen videtur, antennis brevioribus, crassis, lineolis coloratis elytrorum brevibus, aliter locatis, etc. Caput obconicum, convexum, læve, nigrum, nitidum, in medio obsolete rufo piceum; oculi parvi, parum convexi, glauci; rostrum capite duplo longius, ab oculis ad antennas conicum, convexum, læve, ante antennas angulatum, apice ampliatum, supra canaliculatum; nigro-piceum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix capite cum rostro longiores, crassæ, moniliformes, nigræ, versus basin nitidæ, extrorsum tenuiter pubescentes, opacæ. Thorax longus, conicus, intra basin constrictus, supra parum convexus, postice tenuiter canaliculatus, lævis, saturate rufo-ferrugineus, nitidus, apice vittisque duabus latis dorsalibus nigris insignitus. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris rotundatis, alte elevatis; lateribus inflexis, ante medium ampliatis; apice truncata, angulo exteriori elevato, prominulo; thorace vix dimidio longiora, supra singulatim longitudinaliter convexa, juxta suturam profunde impressa, striis vix punctatis exarata, in disco reliquo leviter punctato-striata, nigra, nitida, lineolis numerosis, brevibus, saturate rufis, octo circiter in singulo elytro ornata, nempe : inter strias 2 et 3 a sutura una brevis, lata in basi, altera

pone medium, tertia paulo longior intra apicem; inter strias 3 et 4, lineolæ duæ, una ante, altera pone medium; inter strias 5 et 6, lineola brevis in medio; inter 7 et 8 alia major, ante medium et ultima inter strias 8 et 9, paulo ante apicem anguli exterioris. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, ventris apice late nigro. Pedes breviusculi, validi nigri, nitidi, femoribus crasse clavatis, omnibus subtus dente parvo armatis. GHL.

STIRPS 2. — Caput pone oculos elongatum, sub-lineare. Femora semper mutica.

11. B. SESQUISTRIATUS. ♂ ♀. *Schh.*

Elongatus, obscure æneus, nitidus, thorace elongato, profunde sulcato, capite elongato, rostro thorace longiore, canaliculato, elytris stria sesquialtera suturali, impressa, postice fossularis, apice conjunctim emarginatis, abdomine rufo.

Mas : *B. abdominalis.* DEJ. *in Litt.* Teste Dom. CHEVROLAT.

Femina : *B. bistriatus.* DEJ. *Cat. Col.* p. 82. Teste Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH. et MANNERH.

Longitudo *B. anchoraginis* ♂, sed variat etiam duplo minor. Caput maris elongatum, basi nonnihil angustatum, teretiusculum, obscure æneum, impunctatum; oculi parvi, rotundati, parum prominuli, pallidi; rostrum minus tenue, thorace nonnihil longius, ad insertionem antennarum gibbosum, apice sensim ampliatum et arcuatum, a fronte ad antennas tenuiter, dein apicem versus profundius canaliculatum, obscure æneum, vix punctatum. Antennæ rostro vix longiores, longe ante ejus medium apici propius insertæ, filiformes, nigræ, fusco-pubescentes, articulo ultimo elongato, acuminato. Thorax oblongus, antice capite parum latior, truncatus, lateribus ad medium sensim ampliatis, dein iterum angustatus, ante basin constrictus, postice truncatus, supra in dorso depressiusculus, profunde late longitudinaliter sulcatus, basi transversim strigosus, totus obscure æneus, lævis. Scutellum in metathorace situm, elongatum, apice acuminatum, nigrum, subtilissime punctulatum. Elytra basi singulatim in medio impressa vel emarginata, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo duplo fere longiora, linearia, apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim denticulo obtuso armata, quare conjunctim profunde emarginata, videntur; obscure ænea, ni-

tida, supra in dorso depressa, striis duabus suturalibus, approximatis, profunde impressis, exteriore ante basin abbreviata, striis postice remote et sat profunde punctatis; utrinque intra apicem profunde impressa, et supra impressionem carinata, versus latera striis nonnullis profundis impressa, superiore versus medium desinente, disco toto impunctato. Corpus subtus obscure æneum, nitidum, impunctatum, segmento basali abdominis rufo, reliquis nigris, ultimo rude punctato. Pedes breviusculi, obscure ænei, femoribus modice clavatis, muticis, ante apicem subtus emarginatis; tibiis rectis, tenuiter pallido-ciliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Femina differt : capite, rostro thoraceque multo brevioribus; rostro ante antennas tenui, cylindrico; antennis brevioribus et crassioribus, basin rostri propius insertis; cætera exacte conveniunt. BHN.

12. B. OBTUSUS. ♂

Nigro-piceus, nitidus, thoracis sulco medio elytrorumque suturali profundis, latis, cinereo-villosis, antennis moniliformibus, elytris apice obtusis, callosis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 546. n° 6.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 64. n° 4.

Patria : America meridionalis.

13. B. ACUTIPENNIS. ♂. *Schh.*

Elongatus, niger, obscurus, antennis extrorsum pedibusque rufo-piceis, rostro thorace multo longiori, sub-carinato, thorace elongato, basi apiceque transversim strigoso, longitudinaliter sulcato, elytris subtilissime striato-punctatis, striis duabus suturalibus impressis, apice acute spinosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *B. sesquistriati*, sed abunde distinctus. Caput minus elongatum, basi multo angustius, teretiusculum, collo crasso, nitido, thoraci adfixum; totum nigrum, obscurum, impunctatum; oculi parvi, rotundati, parum prominuli, pallidi: rostrum capite cum thorace longius, tenue, teres, ad insertionem antennarum gibbosum, apicem versus nonnihil ampliatum, arcuatum, nigrum, obscurum, dorso basali sub-carinato, vix punctatum. Antennæ rostro breviores, longe ante ejus medium insertæ, filiformes, ni-

græ, fusco-pubescentes, articulis tribus ultimis elongatis, rufo-ferrugineis, ultimo acuminato. Thorax antice posticeque truncatus, basi coarctatus, dein nonnihil ampliatus, apicem versus sensim iterum angustatus, supra in dorso depressiusculus, profunde canaliculatus, canalicula nec basin nec apicem attingente; antice posticeque transversim strigosus, latus niger, obscurus, lævis. Elytra thoracis basi parum latiora, humeris obtuse rotundatis, linearia, sub-cylindrica, thorace plus duplo longiora, versus apicem nonnihil angustata, apice ipso singulatim dente valido, acuto armata, dorso interiore depressa, striis duabus suturalibus approximatis, profunde impressis, ad basin usque continuatis; extus subtiliter striatim-punctata, apice sub-coarctata, profundius punctata et carinata; tota nigra, obscura. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, impunctatum; pedes breviusculi, rufo-picei, femoribus modice clavatis, muticis, tibiis sub-rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Observ. Mas hujus speciei nobis solum cognitus. Bhn.

14. B. Lævis. ♂

Ferrugineo-piceus, glaber, anterius sub-opacus, rostro longissimo, tenuiter, thorace profunde canaliculato, elytris stria sesquialtera suturali impressa, disco singuli dilutiore, obsoletissime striatim punctato; pedibus tenuibus, tarsis elongatis, sub-cylindricis.

Germ. *Ins. spec.* I. p. 190. n° 315.

Observ. Descriptioni Cl. Germar addendum : Elytra dilutius rufo-castanea, sutura, margine laterali, plaga inæquali baseos apiceque nigro-piceis. Pedes subtenues, tibiis elongatis, rectis, interne pilis longis, raris, ciliatis; tarsi elongati, tenues, sub-cylindrici, articulo unguiculari ferrugineo.—Ghl.

Patria : Brasilia.

15. B. Tarsatus. ♂

Ferrugineo-piceus, nitidus, glaber, rostro mediocri, cylindrico, integro, apice ampliato, thorace profunde canaliculato, canali rufescente, elytris rufo-castaneis, striis duabus suturalibus sub-integris impressis; pedibus brevibus, validis, nigris, tarsis latiusculis.

Patria : Brasilia. A Dom. Von Wintheim benevole communicatus. Mus. Schh.

B. lævi Germ. proximus, sed vix ejus mas, nam contra analogiam in hoc genere, brevior et robustior est et in pluribus distinctus. Caput elongatum, exacte cylindricum, læve, nigrum, nitidissimum; oculi modice prominuli, glauci; rostrum a basi ad antennas capite duplo longius, tenue, cylindricum, ad antennarum insertionem tumidum, anterius breve, nutans, apice ampliatum, totum nigrum, nitidissimum, læve, non canaliculatum. Antennæ vix rostro longiores, crassiusculæ, nigro-piceæ, nitidæ, parce pubescentes. Thorax elongatus, conicus, lateribus obliquis, ultra medium ampliatis, posterius iterum angustior, intra basin constrictus, margine postico alte elevato, medio ferrugineo; supra in medio late et profunde canaliculatus, canali rufescente, cæterum supra convexus, niger, sub-opacus, subtus et lateribus ferrugineus, nitidus. Elytra antice inæqualia, singulatim impressa, callo humerali elevato, rotundato; lateribus non ampliata, apice obtusa, fere truncata, thorace vix dimidio longiora, supra juxta suturam impressa, profunde bi-sulcata, sulco exteriore antice parum abbreviato; in margine laterali inflexo etiam sulco uno alterove exarata, disco reliquo convexo, obsoletissime, remote striatim punctato; rufo-castanea, nitida, sutura margineque laterali nigro-piceis. Pectus et ventris maxima pars rufo-castanea, nitida, ventre postice nigro, segmento ultimo scabro et tomentoso. Pedes breves, validi, toti nigri, nitidi, femoribus parum clavatis, muticis, tibiis latis, compressis, interne densius breviter ciliatis, tarsis brevioribus, latis, articulo primo obconico, apice dilatato, secundo quadrangulo, tertio profunde bilobo, unguiculari clavato, etiam nigro. GHL.

16. B. INTERRUPTOLINEATUS. *Chevrolat.*

Niger, sub-opacus, antennis, rostro subtus tibiisque interne pubescentibus, thorace conico, profunde sulcato, elytris ad suturam bisulcatis, linea dorsali elevata, pone medium interrupta, rufo-flava ornatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

B. lævi Germ. magnitudine æqualis et affinis; *B. tarseto* etiam propinquus, ab utroque tamen distinctus, lineis elytrorum coloratis, etc. Caput valde elongatum, cylindricum, læve, nigrum, opacum; oculi semi-globosi, glauci; rostrum a basi ad antennas capite parum longius, conicum, læve, nigrum, opacum, subtus dense pubescens seu ciliatum, ad antennarum insertionem eleva-

tum, tumidum, supra canaliculatum; ante antennas breve, rotundato-ampliatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, filiformes, nigræ, articulis 1-8, nitidis, nigro-pilosis, apice incrassatis, tribus ultimis longioribus, opacis, pubescentibus; 9-10, cylindricis, apicali acuminato. Thorax elongatus, anterius valde angustatus, lateribus obliquis, ultra medium ampliatis; posterius iterum angustior, intra basin constrictus, bi-strigosus, supra parum convexus, in medio profunde canaliculatus, lævis, niger, opacus; subtus piceus, non canaliculatus. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris elevatis, sub-angulatis; lateribus non ampliata, ante apicem constricta, apice obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra inæqualia, ad suturam bi-sulcata, sulco interiore profundiore; in disco subtiliter remote punctato-striata, versus marginem iterum sulco sesquialtero exarata, nigra, opaca; interstitium secundum a sutura alte elevatum, linea rufo-flava, pone medium interrupta et postice abbreviata ornatum, cui externe adjectæ sunt lineolæ nonnullæ breves, et intra medium marginis linea longior ejusdem coloris. Pectus subtus et venter nigro-picea, nitida, lævia, glabra; pedes breves, validi, femoribus crassis, clavatis, nigris, nitidis, tibiis compressis, piceis, intus dense cinereo-ciliatis, tarsis, præsertim anticis, latiusculis, subtus cinereo-spongiosis. GHL.

Incerta species, mihi invisa.

17. B. BARBICORNIS.

Rostro longissimo, subtus barbato, elytris elongato-clavatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 545. n° 1.—*Ent. syst.* I. II. p. 491. n° 103.—*Mant.* I. p. 95. n° 1.

OLIV. *Ent.* V. 84. p. 432. n° 1. T. 1. f. 5. a. et T. 2. f. 5. b.—*Enc. méth.* V. p. 190. n° 1.

HERBST. *Col.* VII. p. 187. n° 7. T. 107. f. 7.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1739. n° 1.

Curculio id. FABR. *Sp. ins.* I. p. 171. n° 59. — *Syst. ent.* p. 134. n° 41.

Nemocephalus id. LATR. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria: Nova Zelandia.

STIRPS 3.—Caput breve, conicum, vel posterius non angustatum.

Manipulus I. — Femora mutica.

18. B. SUTURALIS. ♂

Viridi-æneus, supra sub-opacus, subtus nitidus, rostro, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, æneo-tinctis, thorace profunde canaliculato, canali purpurascente, elytris interne bi-striatis, sutura margineque purpurascentibus.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 546. n° 5.
OLIV. *Ent.* V. 84. p. 433. n° 3. T. 2. f. 15.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 63. n° 3.
Nemocephalus id. LATR. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria : Minas Geraës in Brasilia.

19. B. MONILIS. ♂♀

Niger, sub-nitidus, glaber, fronte fovea impressa, thorace profundius canaliculato, elytris remote punctato-sub-striatis, sulco unico profundo juxta suturam exaratis.—GHL.

Mas : *rostro longo, basi tenui, cylindrico, apice ampliato, antennis apicem rostri propius insertis, elytris apice longius appendiculato-productis.*

Femina : *rostro ab oculis ad antennas crasso, anterius longiore, valde tenui, cylindrico, antennis basin rostri propius insertis, elytris apice singulatim breviter acuminatis.*

FABR. *Syst. el.* II. p. 546. n° 4.—*Ent. Syst.* I. II. p. 492. n° 3.—*Mant.* I. p. 95. n° 3.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 61. n° 2.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 190. n° 3.
HERBST. *Col.* VII. p. 202. n° 19.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1739. n° 3.
Nemocephalus id. LATR. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Patria : Americæ Insulæ.

20. B. SULCIROSTRIS. ♂. *Schh.*

Elongatus, castaneus, nitidus, fronte rostroque profunde canaliculatis, rostro brevi, arcuato, thorace oblongo, basi leviter canaliculato, elytris subtiliter striato-punctatis, apice obtuse rotundatis, stria unica suturali, profunda impressis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo *B. lineicollis.* Caput parvum, breve, collo crasso thoraci adfixum, castaneum, impunctatum, inter oculos sulco pro-

fundo, lato, ad apicem rostri continuato, exaratum; oculi parvi, ovati, prominuli, glauci; rostrum cum capite longitudine thoracis, vix capite angustius, modice arcuatum, in medio ad insertionem antennarum nonnihil ampliatum, elevatum, supra planum; apicem versus tenue, rufo-castaneum, impunctatum, subtus ultra medium parce pubescens. Antennæ capite cum rostro nonnihil longiores, rufo-piceæ, fusco-pubescentes, moniliformes, articulo apicali ovato-acuminato, insertæ rostro in medio inter oculos et os. Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra parum convexus, a basi ad medium tenuiter longitudinaliter canaliculatus, totus rufo-castaneus, nitidus, impunctatus, margine antico obscuro. Elytra basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illa duplo longiora, linearia, sub-cylindrica, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, rufo-castanea, nitida, immaculata, subtiliter striatim-punctata, stria unica profunda, impunctata, continuata, juxta suturam et alia intra apicem valde abbreviata. Corpus subtus rufo-castaneum, nitidum, impunctatum; pedes breviusculi, rufo-ferruginei, geniculis nigro-fuscis; femoribus modice clavatis, muticis, tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

21. B. Nanus. ♀. *Schh.*

Elongatus, rufo-castaneus, nitidus, capite rotundato, carinato, rostro longitudine thoracis, arcuato, basi sulcato, thorace antice valde coarctato, elytris impunctatis, stria unica suturali, profunde impressa notatis, apice sub-truncatis.

Nemorhinus id. Schh. *Curc. Disp. Meth.* p. 71.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Parvus; longit. insect. vix 3 lin. Paris. Caput fere rotundatum, rufo-castaneum, impunctatum; fronte elevata, carinata; collo crasso thoraci adfixum; oculi sat magni, ovati, modice prominuli, glauci; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, teres, apicem versus arcuatum, supra a basi ad antennarum insertiones late sed parum profunde sulcatum, totum rufo-castaneum, nitidum, impunctatum. Antennæ ad medium rostri insertæ, thorace cum rostro longiores, sub-tenues, rufo-ferrugineæ, fusco-pubescentes, articulo ultimo valde elongato, recto, acuminato. Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, ante apicem valde coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi transversim nonnihil

impressus et strigosus, supra modice convexus, rufo-castaneus, nitidus, impunctatus. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo dimidio longiora, humeris sub-angulatis, elevatis, lateribus tenue marginata, linearia, apice ipso conjunctim sub-truncata, supra modice convexa, rufo-castanea, impunctata, stria unica suturali, profunda, impressa. Corpus subtus rufo-castaneum, nitidum, impunctatum; pedes elongati, mutici, castanei, femoribus modice clavatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

22. B. ASSIMILIS (1).

Rostro apice glabro, atro, elytris ferrugineo sub-fasciatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 546. n° 3. — *Ent. Syst.* I. II. p. 491. n° 2. — *Mant.* I. p. 95. n° 2.

OLIV. *Ent.* V. 84. p. 433. n° 2. T. 2. f. 6.—*Enc. méth.* V. p. 190. n° 2.

HERBST. *Col.* VII. p. 188. n° 2. T. 107. f. 8.

BOEM. *Gen. Ins.* Tab. 34. fig. 19.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1739. n° 2.

Nemocephalus id. LATR. in *Dict. Class. d'Hist. nat.* XIV. p. 593.

Curculio id. FABR. *Sp. Ins.* I. p. 171. n° 60. — *Syst. ent.* p. 134. n° 42.

Patria : Nova Zelandia.

23. B. MONILICORNIS. *Schh.* (2).

Nigro-purpurascens, thorace oblongo canaliculato, elytris bi-striatis, apice fimbriatis. — OLIV.

Brentus monilis. OLIV. *Ent.* V. 84. p. 434. n° 5. T. 2. f. 12. (vix idem Fabr.)

Patria : S. Domingo.

Manipulus II. — Femora dentata.

24. B. PICIPES. ♀

Niger, nitidus, rostro, antennarum basi elytrumque apice rufo-piceis, pedibus rufo-testaceis, geniculis tarsisque piceis, thorace subconico, profunde sulcato, elytris sulcatis, sulcis catenato-punctatis. — GHL.

---

(1) Verisimile hujus generis, mihi invisus.

(2) Verisimile hujus generis, mihi invisus.

Oliv. *Ent.* V. 84. p. 442. n° 15. T. 2. f. 18.

Observ. — Variat magnitudine ut et colore rostri pedumque, jam dilutius rufo-ferrugineo, jam saturatius rufo-piceo.

Patria : Oware in Africa, Cap. Bonæ Spei.

25. B. Striatulus

Niger, glaber, pedibus piceis, thorace subconico, canaliculato, elytris ad suturam bi-sulcatis, in disco convexis, sub-remote striato-punctatis, externe striatis, apice obtusis. — Ghl.

Oliv. *Ent.* V. 84. p. 441. n° 14. T. 2. f. 13.

Patria : India orientalis.

Genus 44. CEOCEPHALUS. *Nobis.*

Brentus Fabr. — *Uropterus* Latr. — *Hormocerus* Schh. olim (1).

Character generis. — Antennæ breviusculæ versus medium rostri insertæ, sub-moniliformes.

Rostrum elongatum, sub-cylindricum, sub-porrectum.

Caput mox pone oculos abrupte truncatum, vel quasi abscissum et incisum; collo bulbiformi.

Thorax elongatus, lateribus parum ampliatus, supra sub-depressus, longitudinaliter canaliculatus.

Elytra valde elongata, linearia, dorso depressa, apice aut caudata, aut rotundata.

Descriptio. — *Corpus* longissimum, porrectum, angustius, rigidum, sordidum, alatum. — *Antennæ* rectæ, thoracis apicem vix superantes, validiusculæ, sub-moniliformes, in utroque sexu versus medium rostri insertæ, 11-articulatæ: articulo 1° longiusculo, sub-obconico, 2-10 sub-rotundatis, ultimo oblongo-sub-ovato, acuminato. — *Rostrum* thoracis longitudine, sub-porrectum, aut rectum, apicem versus sensim angustatum, aut paulo curvatum, sub-cylindricum. — *Caput* sub-quadratum, mox pone oculos tanquam abscissum et in medio incisum; collo bulbiformi, thoraci adfixum. — *Oculi* parvi, laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* elongatus, oblongo sub-ovatus, anterius paulo angustior, lateribus ante medium parum ampliatum, antice posticeque truncatus, basi marginatus, supra in dorso depressiusculus, sulco profundo exa-

(1) Latr. Règne Anim. p. 389. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. p. 593. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 70.

ratus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* valde elongata, linearia, thoracis parte postica vix latiora, et illo plus duplo longiora, antice introrsum junctim emarginata, apice aut abrupte appendiculata vel caudata, aut depressa, conjunctim rotundata, dorso depresso. — *Pedes* validi, antici longiores; femoribus clavatis, maris subtus dentatis, feminæ muticis; tibiis sub-teretibus, rectis, anticis apice unco minuto acuto, sub-horizontali intus instructis, in masculis interne in medio dentatis; tarsis aut latiusculis, subtus evidenter spongiosis, aut sub-cylindricis, haud spongiosis, articulo ultimo valido, falcato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Ceocephalus appendiculatus.* Nobis.

A κέω findo, κεφαλὴ caput.

Observ. — *Brenthis* genuinis, Nob. hoc genus habitu quidem simile, sed caput mox pone oculos quasi abscissum, constrictione profunda a collo distinctum, differentiam notabilem præbet; hac in re speciebus nonnullis generis *Arrhenodis* propinquum est hoc genus, sed structura corporis in cæteris diversa.

1. C. APPENDICULATUS. ♂. *Schh.*

Elongatus, niger, umbrino-farinosus, rostro thorace longiore, apicem versus sensim angustato, thorace elongato, remote rugoso-punctato, profunde sulcato, elytris carinatis, flavo-lineatis, interstitiis punctatis, apice elongato-caudatis, vage punctulatis.

Habitat. . . . Mus. SCHH.

Species forma singulari, videlicet rostro apicem versus sensim angustato, elytrorum apice valde producto. *B. anchoragine* ♂ dimidio longior. Caput sub-quadratum, nigrum, obsolete remote punctatum, supra planum, impressum, pulvere umbrino tectum; collo crasso, nigro, denudato, thoraci adnexum. Oculi parvi, ovati, parum prominuli, pallidi; rostrum thorace nonnihil longius, basi capite parum angustius, ad insertionem antennarum sensim angustatum, supra planum, pulvere umbrino tectum, dein tenue teres, apice perparum ampliatum, nigrum, subtiliter punctulatum, inter antennas canaliculatum, subtus a basi ultra medium vellere densa fulvescenti, tectum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thoracis apicem vix attingentes, moniliformes, nigræ, fusco-pubescentes, articulo ultimo ovato, acuminato. Thorax valde elongatus, basi apiceque truncatus, anterius parum angustatus, antice posticeque sub-coarctatus, lateribus parum ampliatus, supra in dorso depressiusculus, longitudinaliter late sulcatus, niger, parum

profunde, remote rugoso-punctatus, pulvere umbrino tectus. Elytra basi conjunctim introrsum sub-emarginata, antice thoracis basi angustiora, et illo plus duplo longiora, linearia, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso in spinam communem, valde elongatam, denudatam, profunde canaliculatam, remote punctulatam, apice fasciculis duabus parvis e setulis auctam, producta; supra nigra, pulvere umbrino tecta, dorso fere plana; in singulo lineæ, vel costæ sex nigræ, denudatæ, elevatæ, præter costam lateralem et suturam, 2°, 4° et 6° ante apicem desinentibus, et in singulo interstitio, serie e punctis sat magnis, parum profundis, impressa, lineolis flavis hoc ordine : in costa prima a sutura, longe pone medium, lineola angusta, altera apicalis brevior; in secunda lineola elongata, basali, et ante medium alia longior. Corpus subtus nigrum, obscurum, profundo remote punctatum; pedes breviusculi, rufo-picei; femoribus modice clavatis muticis; tibiis rectis, remote punctatis, intus pubescentibus, anterioribus ante apicem denticulo parvo instructis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

2. C. Turcillatus. *Chevrolat.*

Niger, opacus, squamis rotundatis albis vittatim ornatus, antennis pedibusque piceis, albo setosis, thorace rude punctato, obsolete canaliculato, elytris profunde seriatim punctatis, apice singulatim mucrone elongato, conico auctis.

Patria : Insula Java. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum benevole communicatus.

C. reticulato majori longior, pollicaris, sed angustior. Caput oblongum, parum convexum, profunde punctatum, nigrum, opacum, supra versus latera squamis majusculis, rotundatis, albis fere tectum, in medio et subtus squamulis parvis ejusdem coloris parce adspersum; oculi laterales, postice acuminati, nigro brunnei, modice prominuli; rostrum cum capite thorace fere longius, a basi ad antennas crassum, sub-cylindricum, punctatum, supra dense, subtus et lateribus parcius albo-squamosum; ante antennas angustius, læve, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ vix rostro cum capite longiores, crassæ, nigro-piceæ, dense albo-setosæ, clava paulo crassiore, nuda, nigra, opaca. Thorax valde elongatus, anterius paulo angustior, apice truncatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus pone medium nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, undique rude varioloso-punctatus, niger, opacus,

supra vittis tribus, media angusta, subtus utrinque unica lata, e squamis majoribus rotundatis albis ornatus, interjectis in interstitiis squamulis minoribus dispersis. Elytra antice sub-truncata, margine elevato, thoracis basi vix latiora, lateribus non ampliata, fere linearia, apice singulatim mucrone elongato, conico aucta; thorace triplo longiora, supra in dorso fere plana, sutura lata, elevata; juxta suturam utrinque sulco lato, profundo, obsolete punctato exarata; superficies reliqua punctis magnis, profundis, seriatim digestis impressa, interstitiis tam longitudinalibus quam transversis elevatis, unde quasi favosa; nigra, opaca, interne et ad margines squamis majoribus rotundatis, albis, vittatim congestis ornata, disco interjacente parce subtilius squamuloso. Pectus et venter lævia, nigra, squamis majusculis, rotundatis, albis, versus latera vittatim condensatis adspersa. Pedes mediocres, simplices, ferrugineo-picei, squamulis setisque albis parce adspersi.

GHL.

3. C. RETICULATUS. ♂♀

Piceus, opacus, furfure cinereo adspersus, subtus sub-pilosus, thorace sulco lineari profundo insculpto, lateribus varioloso-punctato, elytris punctato-striatis, punctis coarctatis, transversis, antennis moniliformibus. — GHL.

Mas : *rostro versus apicem sensim ampliato, elytrorum apice interiore nonnihil producto.*

Femina : *rostro anterius lineari, cylindrico; elytris apice conjunctim rotundatis.*

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 552. n° 20.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 81. n° 16.

Patria : Sumatra, Java.

4. C. DEHAANI. ♂♀. *Schh.*

Rufo-piceus, sub-nitidus, furfure cinereo adspersus, subtus pilosus, thorace sulco lineari profunde insculpto, lateribus varioloso-punctato, elytris punctato-striatis, punctis magnis, rotundatis, interstitiis angustis, convexis.

Mas : *elytris apice callosis, singulatim sub-acuminatis, femoribus anticis posticisque tibiisque primi paris dente acuto armatis.*

Femina : *elytris apice conjunctim obtuse rotundatis, femoribus tibiisque muticis.*

Patria : Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

C. reticulato simillimus et valde affinis, diversus tamen, elytrorum punctis majoribus, paucioribus, rotundatis, articulis funiculi antennarum breviter obconicis, femoribus maris dentatis et colore magis nitido. Caput breve, impunctatum, piceum, nitidum, fronte et vertice fovea sub-triangulari impressis; oculi semi-globosi, nigri; rostrum cum capite longitudine fere thoracis, basi crassum, angulatum, supra canaliculatum, ante antennarum insertionem tenue, cylindricum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ vix rostro longiores, rufo-ferrugineæ, pilosæ, articulis funiculi breviter obconicis. Thorax elongatus, basi apiceque truncatus, intra apicem late impressus, lateribus modice ampliatus, supra parum convexus, in medio sulco lineari, profundo, neque apicem nec basin exacte attingente insculptus, versus latera punctis majusculis, variolæ-formibus impressus et furfure cinereo adspersus, rufo-piceus, sub-nitidus. Elytra thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, maris apice singulatim sub-acuminata, margine elevato, calloso; feminæ conjunctim rotundata, in utrisque vix thorace dimidio longiora, supra modice convexa, leviter sulcata et in sulcis punctis magnis, rotundatis impressa, interstitiis angustis, convexis; rufo-picea, sub-nitida, punctis in fundo et interstitio externo laterali furfure cinereo vestitis. Corpus subtus varioloso-punctatum, piceum; pilis longioribus cinereis parce adspersum et inæqualiter furfuraceum. Pedes breviusculi, validi, dilutius rufo-picei, cinereo-pilosi; primi paris crassiores, femoribus maris subtus versus apicem dente magno, acuto armatis, tibiisque ejusdem paris interne in medio dente minori instructis; femora postica ejusdem sexus dente parvo armata, pedes vero feminæ omnino mutici. Ghl.

Dom. W. Dehaan, doctor et director Musæi lugdunensis, rerum naturalium investigator laudandus. Placuit illi plures raras species curculionum mihi communicare; quapropter mihi liceat hujus insecti appellatione nominis ejus memoriam grate observare. Schh.

5. C. Caudatus.

Nigro-brunneus, capite cum rostro longitudine dimidii corporis, elytris maculis rufescentibus in lineam dispositis, apice subito coarctatis, appendiculo lineari caudæ-formi auctis. — Latr.

Brentus id. Latr. in *Cuv. Règne Anim.* IV. p. 188. n° 7. T. 13. f. 7.

Patria : Ile-de-France.

GENUS 45. CLÆODERES. *Nobis.*

Brenthus. SCHH. olim.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ, extrorsum crassiores, in mare versus medium, in femina juxta basin rostri insertæ.

Rostrum porrectum, maris basi crassum, conicum, in medio angustum, apice abrupte dilatatum; feminæ tenue, sub-filiforme.

Caput pone oculos abscissum; collo distincto, bulbiformi, thoraci adfixum.

Thorax elongatus, a medio ad apicem sensim angustatus.

Elytra elongata, linearia.

Tibiæ antice curvatæ, ante apicem intus dente valido armatæ.

Descriptio.—*Corpus* longum, sub-cylindricum, rigidum, alatum. — *Antennæ* rectæ, thoracis medium vix attingentes, in masculo versus medium, in femina juxta basin rostri insertæ, validæ, extrorsum crassiores, apicem versus latere inferiore pubescentes, 11-articulatæ: articulis inferioribus sub-obconicis, exterioribus sub-cylindricis, ultimo elongato, apice obtuse acuminato. — *Rostrum* longitudine thoracis, porrectum, in mare basi crassum, a capite ad insertionem antennarum sensim attenuatum, conicum, postea tenue, apice ipso iterum abrupte ampliatum, antice rotundatum; in femina tenue, sub-filiforme. — *Caput* brevissimum, collo convexo, thoraci adfixum. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli, parvi. — *Thorax* longus, basi truncatus, marginatus, coarctatus, dein subito rotundato-ampliatus, porro versus apicem sensim attenuatus, antice sub-emarginatus, supra parum convexus, fere planus, in nonnullis longitudinaliter canaliculatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* thoracis medio vix latiora et illo paulo longiora, basi junctim leviter emarginata, linearia; humeris obtuse angulatis; apicem versus nonnihil angustata, apice ipso sub-truncata, dorso sub-plana. — *Pedes* validi, antici longiores; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis anticis valde curvatis, interne canaliculatis, ante apicem dente valido armatis, dein emarginatis, ciliatis; posticis subteretibus, rectis, muticis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo unguiculari longo, valido, falcato, vix clavato, unguiculis acutis, validis.

TYPUS. — *Clæoderes radulirostris.* Nobis.

A κληω obstringo, δέρη collum.

Observ.—Facies generis Brenthi genuini, Nob., sed caput postice abscissum, rostrum basi valde crassum, versus medium attenua-

tum, conicum, apud masculos iterum apice abrupte ampliatum, ut et tibiæ anticæ valde incurvæ, notas egregie distinctivas præbent.

1. C. Radulirostris. *Schh.*

Elongatus, niger, rostro basi crasso, canaliculato, pone medium tenui, scabro, apice ipso abrupte ampliato, thorace elongato, tenuiter canaliculato, elytris medio simpliciter-lateribus punctato-striatis, apice truncatis, singulo linea angusta flava, pone medium interrupta, femoribus anticis subtus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Reg. Acad. scient. Holm.

Mas magnus, poll. 1. lin. 3 longus, robustus. Caput brevissimum, postice abscissum, supra collum elevatum, medio læviter impressum, nigrum, sub-opacum, impunctatum, collo crasso thoraci adfixum; oculi parvi, parum prominentes, ovati, glauci; rostrum longitudine fere thoracis, basi crassitie capitis, ad antennas sensim nonnihil angustatum, subconicum, supra tenuiter canaliculatum, ad basin antennarum iterum paulo crassius, sub-elevatum, anterius tenue, supra planum, scabrum, apice ipso abrupte ampliatum, rotundatum; totum nigrum, sub-opacum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thoracis medium vix superantes, nigræ, extrorsum valde incrassatæ, sub-perfoliatæ, articulis inferioribus obconicis, ultimo valde elongato, acuminato, apicem versus latere interiore pube longa, fusca, dense adspersæ. Thorax antice sub-emarginatus, ibique angustatus, ab apice longe ultra medium sensim ampliatus, lateribus pone medium dilatatus, versus basin iterum angustior, coarctatus, basi truncatus, marginatus; supra fere planus, niger, sub-nitidus, obsoletissime canaliculatus, impunctatus, apice transversim subtiliter strigosus, ante basin transversim impressus, striga transversa elevata, subrecta, notatus. Elytra basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thoracis basi dimidio latiora, et illo paulo longiora; humeris elevatis, obtuse angulatis; linearia, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, nigra, nitida, supra in dorso fere plana, striis suturæ proximis profundis impunctatis, lateribus subtilioribus, punctatis; in singulo inter strias 2 et 3 a sutura linea flava, longe pone medium interrupta, basin sed non apicem, attingens. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, obsoletissime remote punctulatum. Pedes breviusculi, nigro-picei, antici validi, femoribus clavatis, ante apicem subtus emarginatis, et ante emarginaturam bi-dentatis, denticulo exteriore parvo; tibiis

valde arcuatis, apice ampliatis, emarginatis, multidentatis; posteriores magis tenues, femoribus modice incrassatis, subtus uni-denticulatis, tibiis rectis, tarsis minus elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

2. C. RIMABUNDUS. ♂. *Schh.*

Niger, sub-nitidus, glaber, corpore subtus pedibusque rufo-piceis, thorace elongato, evidenter canaliculato, elytris concinne punctato-striatis, lineis pluribus interruptis flavescentibus ornatis, femoribus anticis sub-bidentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Von WINTHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Mas modo nobis cognitus; mari *C. radulirostris* simillimus, sed plus duplo minor, thorax evidentius canaliculatus, lineolæ pallidæ elytrorum plures, etc. Caput brevissimum, postice abscissum, supra convexum, læve, nigro-piceum, parum nitidum; oculi parvi, minus prominuli, pallidi; rostrum basi crassitie capitis et illi contiguum, ab oculis ad antennas capite triplo longius, conicum, læve, supra tenuiter canaliculatum, ad basin antennarum tumidum, elevatum; ante antennas angustius, scabrum, apice abrupte ampliatum, antice rotundatum, capiti concolor. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, thoracis medium vix superantes, extrorsum incrassatæ, nigro-piceæ, pubescentes, præsertim subtus, versus apicem. Collum magnum, convexum, nigrum, nitidum. Thorax elongatus, subconicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, sensim versus posteriora ampliatis; intra basin abrupte constrictus, supra parum convexus, in medio evidenter canaliculatus, nigro-piceus, lævis, parum nitidus. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, angulatis; lateribus non ampliata, apice truncata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso plana, interne sulcata, sulco suturæ proximo impunctato; exterius concinne punctato-striata; nigro-picea, sub-nitida, lineis pluribus flavescentibus ornata, nempe : inter strias 2 et 3 a sutura linea, apicem fere attingens, pone medium breviter interrupta; inter strias 3 et 4, lineolæ duæ pone medium; in interstitio sequente punctum parvum, posterius, et intra marginis medium linea oblongior. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, læve, segmentis apicalibus ventris nigro-piceis; pedes breviusculi, validi, rufo-picei, tarsis obscurius piceis; antici longiores et robustiores, femoribus clavatis, subtus sub-bidentatis, tibiis valde incurvis.

GHL.

Observ. In Musæo Reg. Acad. scient. Holm. individuum plus duplo majus, etiam masculini sexus vidimus, in quo lineola posterior flava interstitii tertii elytrorum et punctum adjacens interstitii quarti desunt; in cæteris vero exacte simillimum.

3. C. Planicollis. ♀. *Schh.*

Elongatus, niger, rostro brevi, tenui, inter antennas canaliculato, thorace elongato, supra plano, lævi, elytris medio simpliciter lateribus punctato-striatis, apice sub-truncatis, singulo linea angusta longitudinali pone medium interrupta, femoribus uni-dentatis.

Habitat . . . . A Dom. Steven benevole communicatus. Mus. Schh.

Femina tantum nobis cognita; *Brenthi anchoraginis* feminæ statura non dissimilis, sed dimidio fere major. Caput breve, nigrum, impunctatum, vertice elevato, collo crasso thoraci adnexum; oculi parvi, parum prominentes, glauci; rostrum cum capite thorace multo brevius, ab oculis ad insertionem antennarum crassum, convexum, supra canaliculatum, dein tenue, teres, apicem versus nullo modo ampliatum, parum arcuatum, nigrum, vix punctatum. Antennæ longitudine thoracis, basin rostri propius insertæ, nigræ, in medio nonnihil incrassatæ, articulis obconicis, apicali elongato-acuminato, apicem versus fusco-pubescentes. Thorax apice sub-emarginatus, anterius multo angustior, ab apice longe ultra medium sensim ampliatus, versus basin iterum abrupte coarctatus, postice truncatus, marginatus, late transversim impressus, supra planus, niger, impunctatus. Elytra basi conjunctim introrsum nonnihil emarginata, antice thoracis basi latiora, et illo dimidio fere longiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; linearia, apicem versus parum angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, nigra, nitida, supra in dorso fere plana, striis suturæ proximis profundis impunctatis, lateralibus subtilioribus punctatis; in singulo inter strias 2 et 3 a sutura, linea flava, longe pone medium macula nigra interrupta, basin sed non apicem attingens; præterea inter strias 3 et 4, longe pone medium, lineola parva, brevis, ejusdem coloris. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, impunctatum, segmentis tribus ultimis abdominis nigro-piceis, sat rude sed minus crebre punctatis, ano ipso ferrugineo; pedes breviusculi, nigro-picei, femoribus omnibus subtus ante apicem denticulo acuto armatis; tibiis anticis arcuatis, intus pone medium ampliatis, bi-dentatis, apice valide uncinatis; posterioribus rectis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Boh.

GENUS 46. TAPHRODERES. *Nobis* (1).

Brentus FABR., LUND, DUMÉRIL.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, extrorsum paululum crassiores, sub-moniliformes; articulis brevibus, apice truncatis, ultimo oblongo, obtuso.

Rostrum longiusculum, sub-porrectum, basi crasso, conico, convexo.

Caput breve, basi truncatum, antice rostro contiguum.

Thorax valde elongatus, anterius angustior, in utroque latere fovea magna, lata, profunde impressus.

Elytra elongata, cylindrica, apice introrsum singulatim oblique truncata.

Tibiæ brevissimæ, compressæ.

Tarsi compressi, haud spongiosi.

1. T. BREVIPES. ♀. *Schh.*

Lineari-elongatus, angustus, nigro-piceus, nitidus, glaber, rostro basi crasso, conico, convexo, thorace elongato, ante medium valde angusto, lateribus excavato, supra obsolete, remote punctulato, anterius canaliculato, elytris obsoletissime striato-punctatis, stria unica suturali impressis, apice conjunctim emarginatis.

Patria : Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Longitudo *Brenthi anchoraginis* ♀, sed angustior, gracilior, linearis. Caput breve, parum convexum, disperse punctulatum, nigrum, nitidum; oculi parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum basi crassitie capitis et illi contiguum, ab oculis ad antennas illo duplo longius, subconicum, inter antennas planum, anterius breve, apice nonnihil ampliatum, nigro-piceum, nitidum. Antennæ vix capite cum rostro longiores, validæ, extrorsum crassiores, nigro-piceæ, sub-moniliformes, articulo ultimo ovato. Thorax elongatus, basi apiceque truncatus, ante medium valde angustus, utrinque emarginatus, fovea magna, profunda, ovata sub-singulo latere insculptus, dein lateribus ampliatus, supra modice convexus, subtilissime, disperse punctulatus, anterius anguste canaliculatus, nigro-piceus, sub-nitidus. Elytra cylindrica, antice singulatim impressa, thoracis basi non latiora, humeris elevatis, sub-angu-

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 72. n° 28. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 593.

latis; apice conjunctim profunde emarginata, angulo exteriore producto; thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, obsoletissime striato-punctata, sulco unico profundo, impunctato juxta suturam insculpta; nigro-picea, nitida. Corpus subtus nigro-piceum, anterius nitidum, ventre obscuro, punctulato, antice utrinque impresso, in medio elevato, canaliculato. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei, antici longiores et robustiores, femoribus clavatis, muticis, tibiis brevissimis, compressis, tarsis elongatis, crassiusculis, dilutius piceis. GHL.

2. T. FOVEOLATUS. ♀

Ferrugineus, nitidus, glaber, thorace fascia unica, sinuata, elytris tribus latis, nigris, antennarum articulis tribus ultimis abrupte majoribus.—GHL.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 548. n° 12.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 69. n° 9.
Dict. des sciences nat. V. p. 333. n° 2.

Patria : America meridionalis.

Ad divisionem BRENTHIDES *referendæ sunt, incerti generis, species mihi invisæ.*

Manipulus I. — Femora mutica.

1. B. GLABRATUS.

Ater, thorace elytrisque uni-sulcatis, sulco glabro, tibiis anticis glabris. — FABR.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 547. n° 7.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn,* V. II. p. 65. n° 5.

Patria : America meridionalis.

2. B. PUSILLUS.

Piceus, thorace canaliculato punctato, elytris punctato-striatis, litura interrupta flava. — OLIV.

Brentus id. OLIV. *Ent.* V. 84. p. 435. n° 6. T. 2. f. 16.

Patria : India orientalis.

Manipulus II. — Femora dentata.

3. B. DEPRESSUS.

Rufus, thorace canaliculato, elytrorum sutura atra. — FABR.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 552. n° 21.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 83. n° 17.

Patria: Guinea.

4. B. CALCAR.

Ater, thorace integro, elytris flavo-lineatis, tibiis anticis bi-dentatis. — FABR.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 552. n° 22.
LUND in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* VII. p. 84. n° 18.

Patria : America meridionalis.

5. B. CYLINDRICORNIS.

Thorace rotundato, nigro-æneo, elytris ferrugineis, flavo substriatis. — FABR.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 554. n° 26. — *Ent. Syst.* I. II. p. 494. n° 9. — MANT. I. p. 96. n° 8.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 192. n° 9.
HERBST. *Col.* VIII. p. 203. n° 21.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1740. n° 10.

Patria : Nova Zelandia.

6. B. MINUTUS.

Niger, elytris striatis, nigro-brunneis. — HERBST.

Brentus id. HERBST. *Col.* VII. p. 200. n° 17. T. 108. f. 9. B.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 192. n° 13.?
Curculio id. DRURY. *Ins.* I. p. 95. n° 3. T. 42. f. 3. 7. — Ed. PANZ. I. p. 159. T. 42. f. 3. 7.
Brentus brunneus. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 44. n° 3. T. 34. f. 3.?

Patria : Virginia.

7. B. DRURYANUS.

Æneus, thorace tereti, antennis rostro longioribus, elytris apice spinula mucronatis, flavo-maculatis. — GMEL.

Brentus id. LINN. Ed. GMEL. *Syst. nat.* I. IV. p. 1739. n° 5.
Curculio id. PALLAS. *Icon.* p. 26. n° 3.

Patria : . . .

8. B. FASCIATUS. *Schh.*

Brentus cylindricornis. Dict. des sciences nat. V. p. 333. n° 4.

Patria: . . . .

SECTIO 2. — *Antennæ articulis*, 9, 10.

Divisio X. CYLADES. *Nobis* (1).

Rostrum porrectum. Antennæ clavatæ, 10-articulatæ; clava longissima, linearis, uni-articulata. Thorax elongatus, sub-bi-partitus. Elytra oblongo-ovata, fornicata.

GENUS 47. — CYLAS.

Cylas LATR., OLIV., GERM., DEJEAN, BILLB. (2). *Brentus* FABR., HERBST.

Character generis. — Antennæ validæ, 10-articulatæ: articuli 1-9 longissimi, transversi, coarctati; ultimo longissimo, clavam maxime elongatam linearem formante.

Rostrum sub-porrectum, teres, validum.

Caput postice elongatum.

Oculi approximati, rotundati, parum prominuli, magni.

Thorax elongatus, anterius latior, sub-bi-partitus.

Elytra oblongo-ovata, fornicata.

Observ. — Clava antennarum in uno sexu (quem opinor esse masculum), longissima, aut lineari-elongata, cylindrica, aut extrorsum sub-incrassata, fere clavata; in altero sexu oblongo-ovata, articulis non discernendis. Rostrum aut longiusculum, teres, sub-arcuatum, aut breve, crassiusculum. — Corpus elongatum, fornicatum, alatum, minoris magnitudinis.

1. C. TURCIPENNIS. ♂♀. *Schh.*

Elongatus, viridi-cœrulescens, nitidus, antennis thorace pedibusque rufis, capite cruciatim impresso, rostro punctulato, elytris modice convexis, subtiliter striato-punctatis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 74. Div. XIII. — Latr. Regne Anim. p. 387. Tribus *Attelabides*.

(2) Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 244. — *Id.* Consid. Gener. p. 219. — *Id.* Regne Anim. p. 389. — *Id.* in Cuvier. Regne Anim. III. p. 328. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist nat. XIV. p. 594. — Illig. Mag. III. p. 101. n° 166. — Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 126. n° 9. — Oliv. Ent. V. 84 bis p. 445. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 74. n° 30.

Habitat in Java, Dom. MELLERBORG; in India orientali, Dom. GRONDALL. Mus. Reg. Acad. Scien. Holm. et SCHH.

Longit. 3 lin. Paris. Caput oblongum, teretiusculum, obscure viridi-cœruleum, impunctatum; fronte depressa littera X impressa; oculi magni, sub-approximati, ovati, prominuli, glauci; rostrum capite nonnihil longius, sub-porrectum, validiusculum, teres, paulo arcuatum, fere nigrum, parce punctulatum. Antennæ longitudine thoracis cum capite, in medio rostri insertæ, validæ, rufo-ferrugineæ, articulis 9 infimis brevissimis, transversis, coarctatis, ultimo in mare longissimo, pallide piloso, clavam lineari-elongatam, cylindricam, præcedentibus simul junctis duplo longiorem formante, in femina clava ovata obtuse acuminata. Thorax elongatus, antice posticeque truncatus, anterius latior, pone medium profunde constrictus, et transversim impressus, binodosus, nodo antico multo majore, ovato, valde convexo, postico parvo, sub-cylindrico; totus rufus, nitidus, impunctatus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim introrsum sub-emarginata, antice thoracis basi duplo latiora et illo etiam duplo longiora, humeris oblique angulatis, callo elevato, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra convexa, fornicata, cœrulescenti-virescentia, subtiliter striatim-punctata, interstitiis planis, angustis, impunctatis. Corpus subtus, præter thorace rufo, cœruleo-virescens, remote obsolete punctulatum. Pedes longi, sub-tenues, rufi; femoribus versus apicem clavatis, muticis; tibiis teretibus; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Femina differt mare: forma et structura antennarum, thorace pedibusque obscurioribus, femoribus in medio virescenti-annulatis. BHN.

2. C. BRUNNEUS.

Castaneus, nitidus, elytris obscurioribus, subtiliter punctulatis, lævibus, humeris prominulis.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 244. n° 1. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 81. — OLIV. *Ent.* V. 84 bis. p. 446. n° 1. *Brentus.* T. 1. f. 3. a. b.

Brentus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 548. n° 11. — *Ent. Syst.* I. II. p. 492. n° 4.

OLIV. *Ent. méth.* V. p. 190. n° 4.

HERBST. *Col.* VII. p. 200. n° 16. T. 108. f. 8.

Patria: Senegalia.

3. C. Formicarius.

Piceus, thorace ferrugineo.

Oliv. *Ent.* V. 84 bis. p. 446. n° 2. *Brentus.* T. 2. f. 19.
Brentus id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 549. n° 13. — *Ent. Syst. Supp.* p. 174. n° 5-6.
Lund in *Acta Hist. nat. Soc. Hafn.* V. II. p. 71. n° 10.
Attelabus id. Fabr. *Ent. Syst. Supp.* p. 163. n° 13-14.
Apion brentiforme. Megerle. *Catal. Vien. Nov.* 1802.

Patria: India orientalis.

4. C. Cyanescens. *Dejean.*

Elongatus, niger, glaber, rostro brevi, crasso, sat rude punctato, subcanaliculato, thorace obsolete remote punctulato, basi tenue canaliculato, elytris valde convexis, fornicatis, subtiliter striato-punctatis.

Habitat in Senegalia. Mus. Dom. Chevrolat.

C. lævicolli statura et colore simillimus, sed plus duplo major; rostro profunde crebre, thorace remote punctatis, ab illo tamen facile distinctus. *Mas:* caput oblongum, teretiusculum, nigrum, obscurum, vertice lævi, fronte inter oculos læviter impressa, sat crebre punctulata; oculi magni, ovati, parum prominuli, nigri, nitidi; rostrum capite nonnihil brevius, crassiusculum, parum arcuatum, supra planum, nigrum obscurum, crebre sat rude punctatum, canalicula tenui, abbreviata impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, thorace nonnihil longiores, crassæ, nigræ, pilosæ, articulis 9 infimis brevissimis, transversim coarctatis, apicali longo, griseo-pubescens, clavam elongatam, cylindricam, reliquis simul sumptis longitudine æqualis, formante. Thorax antice posticeque truncatus, anterius latior, globosus, pone medium valde constrictus et transversim profunde impressus, postice sub-cylindricus, niger obscurus, remote obsolete licet perspicue punctulatus, mox pone basin canalicula tenui, abbreviata insculptus. Scutellum nullum. Elytra sub-ovata, antice thoracis basi plus duplo latiora, humeris oblique angustatis, prominulis, thorace dimidio longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, fornicata, nigra, parum nitida, punctis parvis seriatim impressa, interstitiis angustis, planis, impunctatis. Corpus subtus nigrum obscurum, subtilissime punctulatum. Pedes elongati, sub-tenues, nigri, nitidi; femoribus versus apicem incrassatis, muticis; tibiis teretibus; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

5. C. Lævicollis. *Schh.*

Elongatus, niger, capite rostroque vix punctatis, carinatis, rostro brevi, crasso, thorace lævi, gibbo antico thoracis basi tenui canaliculato, elytris valde convexis, fornicatis, subtiliter striato-punctatis.

Habitat in Insula Java. Dom. Mellerborg. Mus. Reg. Acad. scient. Holm.

C. turcipenni paulo brevior. Specimen masculum. Caput oblongum, teretiusculum, nigrum obscurum, vix punctatum, a vertice ultra medium rostri tenue carinatum, supra oculos elevatum; oculi magni, ovati, parum prominentes, nigri, nitidi; rostrum capite brevius, crassum, sub-porrectum, nonnihil arcuatum, supra planum, nigrum, obscurum, læve, ante apicem canalicula brevi, parum profunda, impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine thoracis cum capite, sub-crassæ, nigræ, articulis 9 infimis brevissimis, transversis, coarctatis, apicali longo, griseo-pubescens, clavam elongatam, cylindricam, reliquis simul sumptis nonnihil brevior, formante. Thorax elongatus, antice posticeque truncatus, anterius latior, globosus, pone medium valde constrictus et transversim profunde impressus, postice sub-cylindricus, totus niger obscurus, impunctatus, gibbo antico a basi ad medium tenuissime canaliculato. Scutellum nullum. Elytra ovata, antice thoracis basi vix latiora, coarctata, sed mox pone basin valde ampliata, humeris oblique angulatis, prominulis, thorace parum longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, fornicata, nigra sub-nitida, subtiliter striato-punctata, interstitiis angustis, planis, impunctatis. Corpus subtus nigrum obscurum, læve. Pedes longi, sub-tenues, nigro-cyanei, nitidi; femoribus versus apicem clavatis, muticis; tibiis teretibus; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

6. C. Puncticollis. *Schh.*

Elongatus, niger, fronte rostroque canaliculatis, minus crebre punctatis, rostro longiore, tenuiore, thorace evidenter at minus confertim punctato, basi non canaliculato, elytris elongatis, minus convexis, subtilissime confertim striato-punctatis.

Habitat in Senegalia. Mus. Dom. Chevrolat.

Statura fere *C. turcipennis*, attamen nonnihil longior; rostro tenuiori, longiori, canaliculato, thorace evidenter elytris adhuc subtiliter striato-punctatis ut et statura graciliori a *C. cyanescente*

abunde distinctus. *Femina* : caput oblongum, anterius nonnihil angustatum, teretiusculum, nigrum sub-nitidum, vertice læve, fronte inter oculos remote punctata, sat late canaliculata, canalicula tamen tenuiori ultra medium rostri continuata, superciliis nonnihil elevatis. Oculi magni, sub-approximati, ovati, nigri, nitidi; rostrum capite dimidio longius, sub-porrectum, minus crassum, teres, sub-rectum, nigrum, apicem versus magis nitidum, minus crebre sed evidenter punctatum. Antennæ rostro nonnihil longiores, validiusculæ, nigræ, articulis 9 infimis brevissimis, transversis, coarctatis, ultimo elongato-ovato, obtuse acuminato, cinereo-piloso. Thorax elongatus, antice posticeque truncatus, anterius latior, globosus, pone medium profunde constrictus et transversim impressus, postice sub-cylindricus, niger nitidus, sat profunde minus crebre punctatus, gibbo antico basi non canaliculato. Scutellum nullum. Elytra elongata, antice thoracis basi vix latiora, coarctata, mox pone basin ampliata, humeris oblique angulatis, prominulis, thorace fere duplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, fornicata, nigra nitida, subtiliter et confertim striato-punctata, interstitiis angustis, lævibus. Corpus subtus nigrum nitidum, pectore profunde, remote, ventre obsolete punctatis. Pedes longi, sub-tenues, nigri nitidi; femoribus apicem versus clavatis, muticis; tibiis teretibus; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

Divisio XI. ULOCERIDES. *Nobis* (1).

Rostrum porrectum. Antennæ breves, crassæ, aut squamulatæ, aut hirtæ; articuli 7 vel 8 ante clavam; clava parva, sub-solida. Corpus aut alatum, sub-cylindricum, angustum, aut apterum, postice obtusatum, antrorsum sensim angustatum.

GENUS 48. ULOCERUS.

Ulocerus DALM., SCHH. (2). *Cladione* LATR. (3). *Brentus* DEJ.

Character generis. — Antennæ breves, crassæ, difformes, squamatæ, pone medium rostri insertæ, articulis 8 ante clavam; clava parva, sub-solida.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 75. Div. XIV. — Latr. Dict. d'Hist. nat. XIV p. 593. — *Id.* Règne Anim. p. 390. Tribu *Brentides*.

(2) Dalm. Ephem. Ent. I. p. 25. — Thon Ent. Arch. I. III. p. 86. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 75. n° 31.

(3) Latr. Règne Anim. p. 390. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 593.

Rostrum longum, porrectum, basi crassum, teres, sulcatum, pone antennarum insertionem angustatum.

Caput pone oculos elongatum, sub-cylindricum, antice rostro contiguum, basi abscissum.

Thorax elongatus, sub-cylindricus.

Elytra longissima, linearia.

Observ. — Corpus valde elongatum, sub-cylindricum, squamatum, alatum, mediæ magnitudinis, statura generis *Brenthi*.

* 1. U. LACERATUS.

Exalbidus, thorace capiteque nigris, uni-sulcatis; antennis compressis, nigris, medio dilatatis; pedibus robustioribus, femoribus sub-clavatis.

DALM. *Ephem. Ent.* I. p. 26. n° 1.
THON *Ent. Arch.* I. III. p. 86. n° 1.

Patria : Brasilia.

* 2. U. IMMUNDUS.

Lineari-elongatus, sordide cinerascens; capite quam thorax plus duplo longiore, rostro squamuloso; antennarum articulo apicali longiore, nigro.

DALM. *Ephem.* I. p. 27. n° 2.
THON *Ent. Arch.* I. III. p. 86. n° 2.

Patria : Brasilia.

* 3. U. SQUALIDUS.

Griseo-fuscus, punctis elevatis adspersus, rostro tereti nudo, ferrugineo; antennarum articuli apicali brevi, fusco.

DALM. *Ephem.* I. p. 28. n° 3.
THON *Ent. Arch.* I. III. p. 87. n° 3.
Brentus id. DEJ. *Catal. Col.* p. 82.

Patria : Brasilia.

GENUS 49. EPISUS.

Episus BILLB., SCHH. (1). *Brachycerus* FABR., OLIV., THUNB., HERBST, LATR. (2).

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 78. n° 33.
(2) Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 597

Character generis. — Antennæ porrectæ, breves, lineares, setosæ, in apice rostri insertæ; articuli 7 ante clavam; clava parva, angusta, indistincte bi-articulata.

Rostrum breve, crassum, capiti contiguum, porrectum.

Oculi laterales, sub-ovati, sub-depressi, parvi.

Thorax elongatus, sub-linearis.

Elytri elongato-sub-quadrata, apice retusa.

Observ. — Corpus exasperatum, elongatum, postice obtusatum, antrorsum sensim angustatum, apterum, mediocris magnitudinis.

* 1. E. HYPOCRITA. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, undique dense cinereo-squamulosus, capite depresso rostroque uni-sulcatis, thorace oblongo, utrinque tuberculato, supra tri-sulcato, elytris angustis, convexis, inordinate punctato-striatis, singulis duplici serie tuberculatis, interiore minus regulari, sub-continua.

Brachycerus rostratus. OLIV. *Ent.* V. 82. p. 65. n° 36. T. 1. f. 4. — *Enc. méth.* V. p. 186. n° 18.

HERBST. *Col.* VII. p. 82. n° 4. T. 101. f. 4.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A. Dom. FALDERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo lin. 4 cum dimidia, valde angustus. Caput depressum, inæquale, pone oculos constrictum, in medio canaliculatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi sub-ovati brunnei, sub lamina alte elevata locati; rostrum longitudine capitis et illo parum angustius, crassum, supra late et profunde uni-sulcatum, apice emarginatum, lobis lateralibus productis; nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ vix capite cum rostro longiores, crassæ, cylindricæ, nigræ, cinereo-squamosæ et nigro-setosæ. Thorax elongatus, angustus, antice truncatus, lateribus in medio tuberculo rotundato instructus, basi sub-emarginatus, squamulis cinereis fimbriatus, supra convexus, sulcis tribus profundis, sub-interruptis exaratus, confertim punctatus, niger, squamulis cinereis tectus. Elytra antice thoracis basi non latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice declivia, obsolete punctato-striata, nigra, fusco-squamosa, vitta dorsali dimidiata albidiore; latera inflexa albido-squamosa, profunde punctato-striata, punctis majusculis, fusco-pupillatis; in singulo elytro series lateralis e tuberculis quinque validis, subconicis, et in disco series

altera elevata, antice flexuosa, sub-continua, postice tuberculis duobus discretis terminata, posteriore minore. Corpus subtus squamositate densa cinerea tectum, ventre plano. Pedes longiusculi, validi, squamositate densa cinereo-albida tecti, punctisque fuscis irrorati. GHL.

2. E. CYATHIFORMIS. *Chevrolat.*

Elongatus, angustus, niger, supra dense cinereo, subtus cretaceo-squamosus, capite rostroque profunde uni-sulcatis, thorace lateribus lævi, supra tri-sulcato, elytris convexis, singulo serie sub-triplici tuberculatis.

Patria: Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum amice communicatus.

Magnitudo et facies *E. hypocritæ*, sed thorax lateribus non tuberculatus, lamina nulla elevata supra oculos, etc. *E. simulatori* etiam affinis, sed thoracis latera non impressa, sulci dorsales non interrupti, etc. Caput oblongum, remote punctatum, pone oculos transversim late impressum, fronte distincte canaliculata; nigrum, dense cinereo-squamosum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capiti contiguum, illique parum angustius nec longius, porrectum, supra late et profunde canaliculatum, granulatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Antennæ capite cum thorace breviores, crassæ, nigræ, cinereo-squamosæ et nigrosetosæ. Thorax elongatus, angustus, antice truncatus, margine elevato, calloso, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi vix sinuatus, supra parum convexus, sulcis tribus parallelis, latis et profundis exaratus, obsolete punctatus, niger, dense cinereo-squamosus. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed lateribus æqualiter ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, juxta suturam sulcis nonnullis latis, obsolete punctatis exarata, superficie reliqua disperse, inordinate punctata; interstitium secundum a sutura antice elevatum, contiguum, posterius tuberculis 3 seu 4 instructum; in tertio anterius tubercula 2 seu 3 oblonga et in quinto posterius 3 vel 4, distinctiora; nigra, in dorso squamositate fusca tecta, ad latera albida variegata. Corpus subtus obsolete punctatum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, dense albo-squamosi, fusco-setosi et pubescentes. GHL.

3. E. SIMULATOR. *Schh.*

Griseus, rostro fusco; elytris dorso convexis, tuberculato-hispidis, postice declivibus.

Habitat in Africa (meridionali?). Mus. Reg. Acad. scient. Holm.

Affinis *E. mendoso*, sed vere distinctus; differt corpore convexiore, elytris apice declivibus sed non retusis, alioque modo tuberculatis. Corpus squamulis griseis vel fuscescentibus tectum. Antennæ longitudine rostri, fuscæ, apice nigro. Caput supra canaliculo sat determinato. Thorax forma ut in *E. mendoso*, sed aliquantum convexior, tri-sulcatus. Elytra basi vix latiora thorace, illo plus duplo longiora, posterius valde incrassata, gibba, apice declivia, supra tuberculis pluribus, inæqualibus, squamosis; lateribus lævia. Tubercula in singulo elytro seriebus tribus irregularibus disposita, in elytrorum summitate majora. Corpus subtus fuscescens, cinereo-atomarium, pedibus concoloribus. DALM.

* 4. E. MENDOSUS. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, dense cinereo-squamosus, capite rostroque depressis, scabris, thorace sub-lineari, rugoso, elytris dorso planis, seriatim spinoso-tuberculatis, apice retusis.

E. rostratus. BILLB. *Enum. Ins.* p. 40.

Brachycerus rostratus. FABR. *Syst. el.* II. p. 413. n° 8.—*Ent. Syst.* I. II. p. 381. n° 6.?

THUNB. in *Acta Ups. nov.* VI. p. 32. n° 27.?

Curculio rostratus. FABR. *Mant.* I. p. 119. n° 245. — *Sp. Ins.* I. p. 194. n° 187.?

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1789. n° 400.?

Habitat in Africa meridionali? Mus. SCHH.

Statura et similitudo *E. simulatoris*, sed paulo minor. Caput oblongo-quadrangulum, supra longitudinaliter impressum seu canaliculatum, nigrum, punctatum, cinereo-squamosum; oculi laterales, minus prominuli, brunnei, sub lamina elevata in margine capitis locati; rostrum latitudine fere capitis et illo paulo longius, apice nonnihil crassius, supra planum, nigrum, punctatum, scabrum, apicem versus canaliculatum. Antennæ in apice rostri insertæ, rostro cum capite breviores, crassæ, nigræ, pubescentes et setosæ, clava parva, rotundata. Thorax elongatus, angustus, sub-linearis, capite parum latior, antice truncatus, lateribus ante medium impressus, basi sub-bisinuatus, squamulis

cinereis fimbriatus, supra parum convexus, valde inæqualis, sulcis tribus interruptis impressus, niger, punctatus, squamis cinereis tectus. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et mox pone basin ampliata, lateribus valde inflexa, apice obtusa, supra in dorso plana, posterius valde retusa, in planitie dorsali et lateribus rude striato-punctata; in margine planitiei dorsalis series arcuata e tuberculis majoribus, acuminatis, et interne in singulo elytro alia series, e tuberculis parvis, fasciculatis, ultimis in utraque serie majoribus, retrorsum supra partem retusam prominulis; tota squamulis densis cinereis undique tecta. Corpus totum subtus etiam squamulis cinereis tectum, ventre plano. Pedes mediocres, nigri, dense cinereo-squamosi et setis nigris adspersi. GHL.

5. E. SPUTATILIUS. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, cinereo-squamosus, capite rostroque profunde sulcatis, thorace ovali, tri-sulcato, elytris ovatis, convexis, bifariam tuberculatis, apice declivibus.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. MUS. GHL.

E. mendoso fere dimidio minor, elytris brevioribus, magis convexis. Caput breve, nigrum, punctatum, cinereo-squamosum, profunde canaliculatum, inter oculos transversim impressum, lamina rotundata, supra singulum oculum adscendente, instructum; oculi oblongi brunnei, sub lamina memorata locati; rostrum capite vix longius et parum angustius, porrectum, nigrum, punctatum, ad os usque profunde canaliculatum. Antennæ vix capite cum rostro longiores, nigræ, dense cinereo-squamosæ, basi crassæ, extrorsum tenuiores, clava ovata. Thorax latitudine media non longior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra convexus, valde inæqualis, intra basin et apicem transversim impressus, dorso sulcis tribus sub-interruptis exaratus, niger, punctatus, dense cinereo-squamosus. Elytra ovata, thorace fere triplo longiora, antice posticeque attenuata, apice rotundata, supra convexa, nigra, rude punctata, dense cinereo-squamosa; in singulo series duæ longitudinales e tuberculis magnis, crassis, subconicis, interiore in medio, altera versus marginem. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense cinereo-squamosum, ventre plano. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamosi, tarsis elongatis, angustis, fere nudis. GHL.

Divisio XII. OXYRHYNCHIDES.

Rostrum elongatum, filiforme, arcuatum. Antennæ breves, porrectæ, validæ; articuli 7 ante clavam; clava sub-solida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens. Corpus oblongum, durum.

GENUS 50. OXYRHYNCHUS.

Oxyrhynchus SCHH., LATR. (1). *Octotoma* HAGENBACH, STURM. *Calandra* FABR.

Character generis. — Antennæ porrectæ, breviusculæ, validæ, ante basin rostri insertæ; articuli 1-7 breviter obconici, sub-æqualibus, 8 et 9 clavam formantibus : articulo basali magno, scyphiformi, ultimo minuto, spongioso, retractili.

Rostrum elongatum, sub-filiforme, arcuatum; in mare ante antennarum insertionem validum, rugosum, in femina magis tenue, glabrum, læve.

Oculi laterales, sub capite fere connexi.

Thorax oblongo-ovatus, basi bi-sinuatus.

Scutellum elongatum.

Elytra oblongo-ovata, convexa, versus apicem callosa.

Observ.—Corpus elongatum, sub-cylindricum, durum, alatum, mediæ magnitudinis.

1. O. DISCORS. ♂♀

Elongatus, niger, pulvere griseo-cervina tectus, rostro piceo, thorace crebre, profunde, rude punctato, albo-tri-lineato, elytris basi transversim impressis, confertim sat profunde punctato-striatis, linea laterali, cruce obliqua, scutelloque albido-squamosis.—BHN.

Calandra discors. FABR. *Syst. el.* II. p. 432. n° 13.
Octotoma Germari. HAGENB. *in Litt.*

Patria : Java, Sumatra.

2. O. LATERALIS. ♂♀. *Dejean.*

Elongatus, niger, pulvere cervino tectus, rostro piceo, thorace longiore, profunde punctato, albo-tri-lineato, elytris confertim profunde punctato-striatis, linea utrinque laterali, albida, decoratis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 77. — Latr. Règne Anim. p. 35

Mas : *rostro ante antennarum insertionem valido, rugoso, longitudinaliter strigoso, elytris basi erosis.*

O. cristatus. Dom. DALM. *in Litt.*

Femina : *rostro tenuiori, striato-punctato, glabro, elytris basi sub-truncatis.*

O. cinctus. DEHAAN *in Litt.*

Habitat in Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *O. discordi*, abunde tamen distinctus : paulo major, thorace longiore, elytrorum signaturis aliis, etc. Caput breve, crassum, convexum, nigrum, pulvere cervino tectum; vertice denudato, remote obsolete punctato; oculi laterales, oblongi, depressi, sub capite connexi, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, ante insertionem antennarum crassum, dein cylindricum, sub-filiforme, lineare, arcuatum, nigro-piceum; in mare rugoso-punctatum, longitudinaliter strigosum, in femina magis tenue, striato-punctatum, glabrum. Antennæ longe ante medium rostri insertæ, vix longitudine thoracis, crassæ, nigræ, griseo-pubescentes, clava minuta, obtusa. Thorax latitudine media multo longior, anterius angustior, intra apicem transversim coarctatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo ante scutellari acuto, supra modice convexus, niger, profunde punctatus, pulvere cervino tectus, lineis tribus angustis albidis notatus, quarum dorsalis recta, laterales sub-arcuatæ. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, nigrum, pulvere flavescenti adspersum. Elytra sub-obconica, antice thoracis basi paulo latiora, et illo vix triplo longiora, ad basin in mare erosa vel multidentata, in femina sub-truncata, lateribus valde inflexa, apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, pulvere cervino tecta, confertim et sat profunde punctato-striata, interstitiis angustis, transversim rugulosis, linea angusta longitudinali in medio singulo elytro albido-squamosa, ornata. Corpus subtus nigro-piceum, pulvere grisea adspersum, linea utrinque pectorali, obsoleta, albida notatum. Pedes elongati, nigri, griseo-squamosi et albido-setulosi, antici longiores; femoribus vix incrassatis, remote punctatis; tibiis teretibus ad apicem inflexis, uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

3. O. Rivulosus. ♂. *Dehaan.*

Elongatus, angustior, niger, pulvere grisea parce adspersus, thorace angustiore, rude minus crebre punctato, elytris profunde minus regulariter punctato-striatis, transversim rugosis.

Habitat in Insula Borneo. A. Dom. Dehaan communicatus. Mus. Schh.

Specimen descriptum marem esse puto, nam elytra basi erosa. *O. laterali* multo minor; statura angustiori, thorace magis rude punctato, elytris transversim rugosis, etc., ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, pulvere cinereo dense tectum; oculi laterales, oblongi, depressi, sub capite connexi, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, ante insertionem antennarum incrassatum, dein tenuiore, cylindricum, filiforme, arcuatum, nigrum, pulvere grisea dense obsitum, apice denudatum, supra ad basin rugosum, dein longitudinaliter strigosum. Antennæ longe ante medium rostri insertæ, longitudine thoracis, crassæ, nigræ, pube et pulvere griseo tectæ, clava parva, obtusa. Thorax subconicus, latitudine multo longior, apicem versus nonnihil angustatus, intra apicem transversim constrictus, lateribus vix rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo acuto ante scutellari instructus, supra modice convexus, niger, rude minus crebre punctatus, punctis pulvere griseo repletis. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, pulvere albido tectum. Elytra sub-obconica, antice thoracis basi parum latiora et illo plus duplo longiora, basi erosa vel multidentata, lateribus inflexa, versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, confertim profunde sed minus regulariter punctato-striata, interstitiis transversim rugosis, punctis undique pulvere griseo repletis. Corpus subtus nigrum, punctatum, pulvere griseo tectum. Pedes elongati, nigri, griseo-squamosi et setulosi; femoribus vix incrassatis, remote punctatis; tibiis teretibus, apice inflexis, uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

SYNONYMIA INSECTORUM.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

TOMUS PRIMUS. — PARS SECUNDA.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Viâ du Pont-de-Lodi, n° 6.

GENERA ET SPECIES
CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A DOM. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN,
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS PRIMUS. — PARS SECUNDA.

PARISIIS,

APUD RORET, VIA HAUTEFEUILLE, N° 10 bis.

LEIPZIG,

APUD FRED. FLEISCHER.

1833.



FAMILIA.

CURCULIONIDES.

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

Antennæ geniculatæ (in nonnullis tamen indistincte, quarum scapus etiam brevior, sed semper in scrobe rostrali insertus); scapus (articulus basilaris) plerumque elongatus, sæpissime in canalicula seu scrobe ad latera rostri insertus (1).

Legio I. BRACHYRHYNCHI. (*Curculiones* Fabr.)

Rostrum plus minusve crassum et deforme, breviusculum, parum arcuatum. Antennæ prope apicem rostri sæpe juxta sinum oris insertæ, sæpissime 12-articulatæ. (Brachycerides *tantum excepti.*)

Phalanx I. — *Canalicula antennalis (scrobs) infra-ocularis, curvata vel obliqua.*

Sectio 1. — *Rostrum aut deflexum, aut sub-porrectum, liberum.*

Divisio I. BRACHYCERIDES (2).

Rostrum breve sæpius, deflexum, in paucis porrectum. Antennæ breves, validæ, nonnihil fractæ; articuli 7 vel 8 ante clavam; clava parva, sub-solida, apice spongiosa, forte articulos indistinctos includens; tarsi angustati, setosi, haud spongiosi. Corpus durum, apterum.

Genus 51. BRACHYCERUS.

B. Fabr. plerumque auctor. (3). *Curculio* Linn., De Geer, Rossi, Drury.

---

(1) Confer observationem ad *Orthoceros* in Tab. synopt. ante allatam, p. 1.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 78. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 594.

(3) Fabr. Syst. el. II. p. 412. n° 155. — Oliv. Ent. V. 82. p. 41. — Id. in Enc. méth. V. p. 181. — Latr. Gen. Cr. et Ins. II. p. 251. n° 276. et IV. p. 381. — Id. Consid. génér. p. 220. n° 221. — Id. Rég. Anim. p. 392. — Id. in Dict. Class. d'Hist. nat.

Character generis. — Antennæ breves, validæ, sub-arcuatæ; scapus brevis, sub-obconicus; articuli funiculi transversi, contracti; clava minuta, sub-solida, apice obtusa vel sub-acuminata.

Rostrum crassum, deflexum, apice valde incrassatum.

Oculi oblongo-ovati, immersi.

Thorax transversus, antice in medio productus, pone oculos lobatus, subtus pone gulam late emarginatus, supra convexus.

Elytra magna, connata, rigida, fornicata.

Observ. — Corpus ovatum, crassum, gibbum, sæpissime asperum, aut variatim rugosum, inæquale, apterum; genus hocce species plures maximas amplectit.

STIRPS 1. — Thorax lateribus spinosus, angulatus vel inæqualis.

* 1. B. APTERUS.

Ovatus, niger, rostro basi profunde excavato, thorace utrinque spinoso, supra fovea profunda cruciformi, crucem elevatam includente, impresso, elytris sub-lævibus corporeque subtus maculis ferrugineo-squamosis ornatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 412. n° 1. — *Ent. Syst.* II. p. 379. n° 1.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 44. n° 1. T. 1. f. 3. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 183. n° 1.

VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 41. A. Tab. 33. f. A.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* II. p. 619. n° 45. — Ed. GMEL. I. p. 1792. n° 95.

FABR. *Mant.* I. p. 121. n° 267. — *Sp. Ins.* I. p. 196. n° 206. — *Syst. Ent.* p. 154. n° 142.

SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. p. 54. n° 31. T. 3. f. 31.

Curculio cruciatus. DE GEER. *Ins.* V. p. 275. n° 9. T. 16. f. 1.

Habitat in Africæ arenosis. Mus. SCHH.

Maximus forte in hac familia, *Geotrupi nasicorni* æqualis. Caput breve, latum, profunde, remote punctatum, supra oculos utrinque callo valde elevato, auriformi instructum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, depressi, brunnei, margine elevato cincti; rostrum capite duplo longius, valde crassum, basi angustius, versus apicem ampliatum, supra inæqualiter impressum, marginibus valde

XIV. p. 597. — Id. in Cuvier. Règne Anim. III. p. 327. — Cuvier. Dyrhist. II. p. 177. n° 2. — Illig. Mag. III. p. 103. n° 168. — Thunb. in N. Acta Up. VII. p. 110. — Germ. in N. Annal. d. Wetteravisch. Gesell. I. I. p. 120. n° 3. — Herbst. Col. VII. p. 71. Tab. Q. fig. 1-5. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 79. n° 34.

elevatis; ad basin nempe fovea magna, profunda, triangulariter in frontem adscendens, et versus apicem alia latior, sinuata, in cujus antico carina elevata, obtusa; nigrum, parce punctatum, in cavitatibus fusco-ferrugineo-squamosum. Antennæ vix longitudine rostri, crassæ, nigræ et nigro-setosæ, apice ipso cinereo-squamoso. Thorax latitudine media vix brevior, antice posticeque angustior, apice leviter sinuato-emarginatus, lateribus fere angulatim ampliatus et spina valida, acuta, nonnihil reclinata armatus; basi sub-emarginatus, margine reflexo; supra convexus, valde inæqualis, versus latera et basin tuberculis remotis, inæqualibus, supra poriferis adspersus; in medio dorsi lacuna cruciformis, valde profunda, in cujus medio plaga elevata, lævis, etiam cruciformis, ramis acuminatis; in antica parte, ante lacunam, plaga magna elevata, punctis paucis impressa, utrinque angulum validum emittens; totus niger, non nitidus, in cavitatibus squamulis fusco-ferrugineis vestitus. Scutellum nullum. Elytra ampla, exacte ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus sensim valde ampliata, apicem versus angustiora, apice ipso conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora et ultra, supra convexa, fornicata, abdominis latera includentia, maxima parte lævia vel subtilissime tantum rugulosa, marginibus inflexis et apice ruguloso-punctatis; nigra, maculis magnis, seriatis, leviter impressis, fusco-ferrugineo-squamosis ornata. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, punctis vagis, remotis impressum et maculis ferrugineo-squamosis ad latera pectoris et ventris decoratum. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus parum clavatis, profunde punctatis, basi sub-squamosis, tibiis tuberculato-scabris, tarsis elongatis, non dilatatis. Ghl.

* 2. B. Granosus. *Schh.*

Ovatus, niger, rostri impressione basi carinata, thoracis dorso valde inæquali, sculpturato, spina laterali obtusa, tuberculata, elytris seriatim tuberculatis, interjectis maculis sub-impressis, rotundatis, ferrugineo-squamosis.

B. apterus. Herbst. *Col.* VII. p. 75. n° 1. T. 101. f. 1.
Curculio ornatus. Drury. *Ins.* II. p. 63. n° 3. T. 34. fig. 3.?

Habitat ad Cap. Bonæ Spei Africes. Dom. Sparrman. Mus. Schh.

Statura præcedentis, et *B. ferrugineo* magnitudine æqualis, sculptura thoracis et elytrorum præcipue distinctus. Caput brevissimum, postice subtiliter rugulosum, fronte confertim profunde

punctata, callo supra oculos minus elevato quam in priori: oculi ut in antecedente; rostrum capite plus duplo longius, apicem versus valde ampliatum, supra anterius late excavatum, cavitate versus basin rostri sensim angustata et in frontem acuminate adscendente, in fundo profunde punctata et versus basin carinulam elevatam includente; totum nigrum, squamulis fusco-ferrugineis adspersum. Antennæ ut in priori. Thorax latitudine medii brevior, antice posticeque angustior, apice leviter sinuato-emarginatus et intra apicem versus latera profunde constrictus, lateribus fere angulatim ampliatus, et spina brevi, obtusa, conica, basi tuberculata armatus; basi sub-emarginatus, margine elevato; supra convexus, valde inæqualis, versus latera confertim tuberculatus; in medio dorsi lacuna cruciformis, minus profunda, basin non attingens, in cujus centro elevatio cruciformis acutangula; in medio antico plagæ duæ, pares, valde elevatæ, supra planæ, profunde punctatæ, et versus medium disci duæ aliæ, multo minores, sub-transversæ, sinuatæ; totus niger, in cavitatibus squamulis fusco-ferrugineis vestitus. Elytra quoad formam ut in priori, supra valde convexa, foveolis plurimis rotundatis, seriatim dispositis, leviter impressis, squamulis fusco-ferrugineis repletis, ornatis; inter singulas foveas in dorso tubercula majora, elevata, nigra, nitida, seriata, et in interstitiis plurima parva, sparsa. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, lateribus plagis et maculis rufo-ferrugineo-squamosis decoratum. Pedes ut in priori.

GHL.

* 3. B. TESSELLATUS.

Ovatus, niger, rostro longitudinaliter impresso, thorace utrinque acute spinoso, supra lacuna profunda cruciformi impresso, plagam elevatam, tricuspidem, postice emarginatam, includente, elytris rugoso-tuberculatis, maculis seriatis, sub-impressis, ochraceo-ferrugineis ornatis.

B. apterus. THUNB. in *Act. Ups.* VI. p. 17. n° 1.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A. Dom. Doct. THUNBERG benevole communicatus. Mus. GYLL. et SCHH.

B. aptero fere dimidio minor, præsertim angustior, sculptura thoracis et elytris sub-reticulato-tuberculatis distinctus. Caput breve, latum, vertice subtiliter ruguloso, fronte anterius profunde punctata, lateribus utrinque callo valde elevato, auriformi instructum, ut in prioribus; oculi etiam ut in illis; rostri forma eadem, et excavatio paginæ superioris ut in *B. ferrugineo.* Thoracis

forma et lacuna dorsalis cruciformis fere ut in antecedentibus, sed plaga media elevata aliter constructa, postice nempe profunde emarginata, lateribus acuminata et cum disco connexa, et antice tuberculo parvo tantum aucta; plaga antica thoracis elevata, profunde punctata, ut in *B. ferrugineo;* latera thoracis tuberculata, squamulis ochraceo-ferrugineis tecta; spina lateralis valida, acuta, reflexa. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus sensim ampliata, abdomen includentia, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora et ultra, supra valde convexa, fornicata, maculis plurimis seriatis, sub-impressis, punctatissimis, squamulis ochraceo-ferrugineis repletis, ornata, interstitiis elevatioribus rugoso-tuberculatis, nigris, sub-nitidis, circum-circa inclusis, unde elytra quasi reticulata. Corpus subtus nigrum, profunde, remote punctatum, lateribus thoracis et pectoris plagis, ventris marginibus maculis ovatis ferrugineo-squamosis ornatis. Pedes ut in prioribus. Ghl.

* 4. B. Ferrugineus.

Ovatus, niger, supra squamulis purpureis tectus, rostro longitudinaliter excavato, thorace utrinque acute spinoso, supra lacuna profunda cruciformi, crucem elevatam includente, impresso, elytris noduloso-scabris.

Oliv. *Ent.* V. 82. p. 45. n° 3. T. 3. f. 28.

Habitat in insula Madagascar et ad Cap. Bonæ Spei. Mus. Gyllenh. et Schh.

B. aptero quidem in multis similis, distinctus tamen rostro aliter impresso, elytris nodulosis vel tuberculato-scabris, squamositate aliter locata et colorata. Caput breve, latum, convexum, fronte anterius punctis profundis impressa; supra oculos callus elevatus, auriformis, ut in priori; oculi ut in præcedente; rostri forma etiam ut in illo, sed excavatio paginæ superioris minus profunda, confertius punctata. Antennæ ut in *B. aptero.* Thoracis forma, ejus lacuna dorsalis cruciformis, crucem elevatam includens, omnino ut in illo, sed plaga antica elevata profundius punctata, latera tota squamulis minutis, nitidis, purpurascenti-ferrugineis eleganter tecta et spina lateralis plerumque magis acuminata. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus sensim ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, fornicata, abdominis latera includentia, nigra, tuberculis granulisque elevatis, nigris, nitidis, confertim obsita squamulisque minutis, depressis, nitidis, purpureo-

ferrugineis quoad maximam partem tecta. Corpus subtus nigrum punctis profundis, remotis impressum, lateribus thoracis et pectoris plagis, ventris maculis rotundatis purpureo-squamosis ornatis. Pedes ut in priori. GHL.

5. B. PUSTULOSUS. *Schh.*

Ovatus, niger, rostro varioloso, basi impresso, apice sub-carinato, thorace acute spinoso, lateribus tuberculato, medio lineis duabus calloso-elevatis, antice connatis instructo, elytris obsolete, disperse punctatis, maculis numerosissimis olivaceo-squamulosis adspersis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Statura et facies *B. obesi*, sed paulo minor. Caput majusculum, postice convexum, sub-læve, fronte arcuatim impressa, inæqualiter punctata; nigrum, glabrum; oculi perpendiculares, ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, valde crassum, inæquale, basi triangulariter in frontem adscendens, marginibus elevatis; in medio baseos plaga ovata, sub-impressa, varioloso-punctata notatum, anterius breviter carinatum, nigrum, in cavitatibus parce cinereo-squamulosum. Antennæ brevissimæ, crassæ, nigræ, fusco-setosæ. Thorax transversus, antice leviter emarginatus, lateribus in angulum acute spinosum dilatatus, basi truncatus, supra modice convexus, inæqualis, in medio lineis duabus calloso-elevatis, antice connatis, nigris, nitidis, glabris, punctis paucis impressis, instructus; versus latera tuberculis inæqualibus, nitidis adspersus, niger, in cavitatibus squamositate fusco-olivacea vestitus. Elytra antice thoracis basi vix latiora, lateribus valde rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, gibbosa, punctis rarioribus dispersis impressa, nigra, maculis numerosissimis, inæqualibus, olivaceo-squamulosis notata. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, squamulis minutis albo-argenteis adspersum. Pedes robusti, nigri, femoribus varioloso-punctatis, tibiis scabris, tarsis parce nigro-setosis. GHL.

6. B. OCELLATUS (1).

Thorace antice excavato, elytris cinereis, punctis atris, sub-ocellatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 412. n° 2. *Ent. Syst.* I. II. p. 379. n° 2.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 183. n° 4.

---

(1) Mihi invisus.

Herbst. *Col.* VII. p. 89. n° 13.

Thunb. in *Acta Ups. nov.* VI. p. 19. n° 5.

Curculio id. Fabr. *Mant.* I. p. 121. n° 268.—*Sp. Ins.* I. p. 196. n° 207.—*Syst. Ent.* p. 154. n° 143.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1792. n° 424.

Patria : Madagascar.

* 7. B. Obesus.

Ovatus, niger, pedibus rufo-piceis, thorace lateribus spinoso, subquinque sulcato, elytris punctulatis rufis, punctis nigris, seriatim acervatis adspersis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 473. n° 4.—*Ent. Syst.* I. II. p. 380. n° 4.

Herbst. *Col.* VII. p. 78. n° 2. T. 101. f. 2.

Thunb. *Nov. Act. Ups.* VI. p. 18. n° 2.

Curculio id. Fabr. *Mant.* I. p. 120. n° 254. — *Sp. Ins.* I. p. 195. n 194.—*Syst. Ent. App.* p. 822. n° 135-136.

Sparrm. *Act. Holm.* 1785. p. 54. n° 32. T. 3. f. 32.

Herbst. *Arch.* p. 167. n° 98. T. 45. f. 8.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1788. n° 395.

B. scalaris. Oliv. *Ent.* V. 82. p. 46. n° 4. T. 2. f. 18.— *Enc. méth.* V. p. 183. n° 5.

Curculio afer. Wulf. *Ins. Cap.* p. 15. n° 7. T. 1. f. 11. a. b.

Curculio œdematosus. Sulz. *Gesch. Ins.* p. 40. T. 4. f. 10.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1807. n° 494.

Var. β. Rugis lateralibus thoracis transversim interruptis.

B. obesus. Oliv. *Ent.* V. 82. p. 46. n° 5. T. 1. f. 1. a. b.—*Enc. méth.* V. p. 184. n° 6.

Curculio tuberculatus. De Geer. *Ins.* VII. p. 658. n° 63. T. 49. f. 8.

Var. γ. ut α, sed elytra longitudinaliter sub-rugosa.

Var. δ. Thorace, elytris pedibusque rufo-ferrugineis, elytris parcius nigro-punctatis.

B. punctulatus. Oliv. *Ent.* V. 82. p. 48. n° 7. T. 3. f. 37.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei.

Observ. — Species colore et textura variabilis; rostrum basi canaliculatum, extrorsum ampliatum, foveis duabus impressum, marginibus elevatis; sed impressiones istæ jam profundiores, jam magis obsoletæ; thorax sulcis quinque exaratus, extimis postice abbreviatis; in var β, rugæ elevatæ laterales interruptæ et fere in duo tubercula divisæ. Elytra in α, β et δ, lævia, punctis minutis, vagis, remotis adspersa; in var. γ, vero rugis, parum elevatis, longitudinalibus et transversalibus rubris fere reticulata, cavitatibus

interjacentibus, nigris, punctulatis; var. δ, præterea colore pallidiore elytrisque parcius nigro-punctatis diversa; in cæteris tamen omnes exacte conveniunt, vix specie distinguendæ.

B. scalaris Fabricii et Thunbergii, nobis ignotus, specie distinctus videtur, nam « Thorax punctis quatuor baseos impressis » describitur, quod cum *B. obeso* non convenit. GHL.

8. B. SCALARIS.

Thorace spinoso, inæquali, ater, elytris striis rufis, denticulatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 412. n° 3.—*Ent. Syst.* I. II. p. 380. n° 3.

HERBST. *Col.* VII. p. 87. n° 10.

THUNB. in *Acta Ups. nov.* VI. p. 19. n° 4.

Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 120. n° 255. — *Sp. Ins.* I. p. 195. n° 195.—*Gen. Ins. Mant.* p. 228. n°s 135-136.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1789. n° 396.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

* 9. B. GLOBOSUS.

Ovatus, niger, rostro varioloso, sub-carinato, medio bi-foveolato, basi bi-tuberculato, thorace utrinque spinoso, quinque-sulcato, postice punctato, elytris lævibus.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 413. n° 6.—*Ent. Syst.* I. II. p. 381. n° 5.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 47. n° 6. T. 2. f. 10. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 184. n° 7.

HERBST. *Col.* VII. p. 85. n° 7. T. 101. f. 1.

THUNB. in *Acta Ups. nov.* VI. p. 18. n° 3.

Dict. des sciences nat. V. p. 296. n° 2.

Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 120. n° 253. — *Sp. Ins.* I. p. 195. n° 193.—*Syst. Ent.* p. 153. n° 135.

DRURY. *Ins.* I. p. 69. n° 4. T. 32. f. 4.

SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. p. 54. n° 33.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1788. n° 394.

Observ. — Sulci laterales thoracis breves, in ipso angulo, intra spinam, profunde impressi. Elytra aut omnino lævia, aut obsolete rugulosa, tota nigra.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

* 10. B. Hottentottus. *Schh.*

Ovatus, niger, in cavitatibus fusco-squamosus, capite rostroque profunde, remote punctatis, thorace utrinque obtuse spinoso, supra inæquali, remote punctato, rugis duabus elevatis, undulatis; elytris sub-lævibus.

Habitat ad Prom. Bonæ Spei. Mus. Schh.

B. obeso proximus, paulo major, punctura et indumento capitis thoracisque, ut et colore elytrorum distinctus. Caput breve, nigrum, punctis magnis, profundis, inæqualiter adspersum, ad basin rostri arcuatim impressum, cavitate fusco-squamulosa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, depressi, brunnei, sub callo elevato locati; rostrum capite duplo longius, crassum, inæquale, profunde, remote punctatum, versus basin fovea magna, oblonga impressum, marginibus elevatis; nigrum, in cavitatibus fusco-squamulosum. Antennæ vix rostro longiores, crassæ, nigræ, nigro-setosæ. Thorax latitudine media brevior, apice leviter sinuato-emarginatus, lateribus angulatim in spinam obtusam ampliatus, basi sub-emarginatus, supra valde inæqualis, niger; in medio dorsi costæ vel rugæ duæ, alte elevatæ, undulatæ, remote punctatæ, antice posticeque confluentes, glabræ, aream depressam, inæqualem, fusco-squamosam includentes; superficies reliqua remote punctata, dense fusco-squamosa, spina laterali nuda. Elytra ampla, ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, punctis paucis, remotis, vagis adspersa, tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus nigrum, punctis majusculis, remotis adspersum. Pedes robusti, nigri, nigro-setosi, femoribus profunde punctatis, tibiis rugosis, tarsis elongatis, non dilatatis. Ghl.

11. B. Farctus (1).

Thorace spinoso, septem-sulcato, elytris sub-rugosis, punctatis.

Illig. in *Schneid. Mag.* V. p. 617. n° 21.
Herbst. *Col.* VII. p. 98. n° 25.
Patria :

(1) Mihi invisus.

* 12. B. CAFFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, rostro impresso capiteque remote punctatis, thorace antice utrinque inciso, lateribus spina acuta, reclinata armata, supra fovea profunda, crucem elevatam includente impresso, elytris subtiliter reticulato-punctatis, interjectis foveolis obsoletis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. SCHH.

B. obeso paulo longior, sed angustior, minus convexus. Caput breve, parum convexum, profunde inæqualiter punctatum, nigrum, opacum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, parum convexi, nigro-brunnei, superne et antice orbita elevata cincti; rostrum capite duplo longius, crassum, latum, supra triangulariter impressum, remote variolosum, marginibus elevatis in angulum acutum ad frontem concurrentibus; nigrum, opacum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, extrorsum parce nigro-setosæ. Thorax latitudine multo brevior, apice utrinque profunde incisus, lobo medio lato, elevato, sub-truncato; lateribus ampliatus, spina valida, acuta, nonnihil reclinata armatus, basi sub-emarginatus et intra basin transversim impressus, supra convexus, inæqualis; in medio dorsi fovea longitudinalis, profunda, cruciformis, cujus margines valde elevati, sinuati, supra plani remote punctati, et in centro foveæ tuberculum elevatum, sub-cruciatum; reliqua superficies confertim subtiliter reticulato-punctata, immixtis foveolis parvis, sparsis, rugulisque elevatis, vario modo confluentibus; totus niger, opacus. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus ante medium modice ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, fornicata, præsertim posterius; confertim subtilissime reticulato-punctata, immixtis foveolis majoribus sparsis, rugulisque difformibus, parum elevatis; tota nigra opaca. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctis magnis, valde remotis, vage sparsis impressum. Pedes robusti, nigri, femoribus profunde, remote punctatis, tibiis rugoso-scabris, tarsis elongatis, magis nitidis, obsolete punctatis. GHL.

13. B. GEMMIFERUS (1).

Ater, sanguineo-variegatus, thorace cruciatim canaliculato, elytris tuberculis magnis sanguineis triplici serie.

(1) Mihi invisus.

Habitat ad Prom. Bonæ Spei. Mus. Germar.

B. muricato duplo major. Rostrum breve, crassum, inæquale, basi rugis duabus elevatis, obliquis, convergentibus; atrum, nitidum. Thorax trapezoidalis, lateribus bi-tuberculatus, inæqualis, infra ater, supra sanguineus, dorso costis duabus percurrentibus, parallelis, in medio subangulo recto dehiscentibus, tunc rursus conniventibus atris. Coleoptera ovato-globosa, in medio thorace duplo latiora, cute sordida obtecta, utrinque seriebus tribus e tuberculis magnis, rotundis, basi nigris, supra sanguineis, quarum suturæ proxima tubercula maxima, lateralis minora habet. Margo inflexus niger, foveolis striatus. Corpus subtus cum pedibus atrum, immaculatum. Germ.

* 14. B. Cordiger.

Oblongo-ovatus, niger, albido-pulverulentus, rostro plano, leviter carinato, profunde punctato, thorace canaliculato, confertim rugoso-tuberculato, lateribus obtuse spinoso, elytris striato-punctatis, interstitiis numerosissime tuberculatis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 413. n° 5.

B. scabrosus. Oliv. *Ent.* V. 82. p. 48. n° 8. T. 2. f. 11. — *Enc. méth.* V. p. 184. n° 8.

Herbst. *Col.* VII. p. 93. n° 19.

Curculio cordiger. Sparrm. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 50. n° 23. T. 3. f. 23.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 568. n° 43.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1793. n° 431.

B. papillosus. Thunb. *Nov. Acta Ups.* VI. p. 20. n° 7.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei.

Observ.—In statu illæso pulvere denso cinereo-albido tectus, et tunc in elytris tubercula numerosissima, parva, seriata, nigra, glabra, versus latera paulo majora conspiciuntur; pulvere detrito facies aliena evadit, et tunc elytra punctis profundis, seriatis perforata, tuberculis interstitiorum, apice ipso glabris, ægre observandis; juxta scutellum utrinque callus elevatus, tuberculatus.

Ghl.

15. B. Maculatus (1).

Thorace spinoso sulcatoque, niger, thoracis lateribus elytrorumque maculis ferrugineis.

---

(1) Mihi invisus.

FABR. *Syst. el.* II. p. 413. n° 7.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 45. n° 2. T. 2. f. 8.—*Enc. méth.* V. p. 183. n° 2.—forte.

HERBST. *Col.* VII. p. 92. n° 7.—forte.

Patria : Madagascar, teste Dom. OLIV.

* 16. B. VERRUCOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, brunneo-pulverulentus, thorace acute spinoso, dorso costis sub-tribus elevatis notato, media minore, abbreviata, elytris scabris, singulo costis duabus elevatis, antice fere contiguis, posterius remote tuberculatis.—GHL.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 49. n° 9. T. 1. f. 2.—*Enc. méth.* V. p. 184. n° 9.

HERBST. *Col.* VII. p. 94. n° 20. T. 101. f. 9.

B. tæniatus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 28. n° 20.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

* 17. B. BULLATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, fusco-squamulosus, capite rostroque profunde, remote punctatis, thorace canaliculato, tuberculato, lateribus obtuse spinoso, elytris tuberculis magnis, obtusis, punctatis, seriatim adspersis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. GRONDAHL. Mus. SCHH.

B. obeso paulo longior, sed non latior. Caput breve, parum convexum, punctis magnis, remotis, pulvere fusco repletis, adspersum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, parum convexi, nigri, orbita anteriore nonnihil elevata; rostrum capite dimidio longius, crassum, supra fere planum, marginibus elevatis, in fronte conniventibus; undique variolis magnis, pulvere fusco repletis, sat crebre impressum; totum nigrum. Antennæ crassæ, nigræ et nigro-setosæ, clava apice cinerea. Thorax latitudine media brevior, apice bi-sinuato-emarginatus, lateribus angulatim ampliatis, obtuse spinosis; basi sub-truncatus, supra convexus, inæqualis, in medio late et profunde canaliculatus, sulco in medio sub-interrupto, rugis adjacentibus elevatis, irregularibus, remote punctatis, superficie reliqua foveis rugisque inordinatis aspera; niger, in cavitatibus pulvere fusco-cinereo repletus. Elytra ovata, antice thoracis basi vix latiora, sed lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, tuberculis magnis, remotis, obtusis, punctulatis, seriatim disposi-

tis, adspersa, interjectis foveolis remotis, obsoletis; nigra, squamositate fusco-cinerea in omni cavitate tecta. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, punctis magnis, remotis adspersum, ad latera fusco-ferrugineo-squamosum. Pedes robusti, nigri et nigrosetosi, femoribus profunde, remote punctatis, tibiis rugosis, tarsis remote punctatis. Ghl.

18. B. Semiocellatus. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, squamositate densa fusco-cinerea vestitus, capite rostroque obsoletius punctatis, thorace granulato, lateribus sub-acute spinoso, elytris confertim granulatis, tuberculis semi-ocellatis duplici serie in singulo notatis.

Patria: Senegalia. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

B. bullato magnitudine et facie simillimus, in pluribus tamen distinctus. Caput brevissimum, inæquale, supra impressum, punctatum, nigrum, fusco-squamulosum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite plus duplo longius, valde crassum, anterius ampliatum, supra planum, marginibus posterius elevatis, basi arcuatim confluentibus; obsoletius punctatum, nigrum, opacum, fusco-squamulosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax antice bi-sinuatus, lateribus angulatim in spinam conicam ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, inæqualis, antice callis duobus elevatis, brevibus, foveam sat profundam ambientibus instructus, cæterum rugoso-tuberculatus, niger, opacus, squamositate densa fusco-cinerea vestitus. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi fere angustiora, lateribus æqualiter ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, fornicata, granulis parvis nigris, nitidis, glabris undique adspersa, et præterea in singulo series duæ e tuberculis longe majoribus antice semi-circulo nigro, glabro, nitido cinctis; cæterum uti superficies reliqua dorsalis, squamositate densa fusco-cinerea tectis; latera elytrorum deflexa, fere nuda, nigra, confertim tuberculata. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, sub-nudum. Pedes longiusculi, validi, nigri, femoribus punctatis, versus apicem fascia cinereo-squamosa cinctis, tibiis scabris, fusco-pilosis. Ghl.

19. B. Cinctipes. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, squamulis cervinis in cavitatibus vestitus, thorace varioloso, utrinque spinoso, elytris dorso lacunosis, posterius tuberculatis, femoribus fascia cervino et rubro-squamosa ornatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. FALDERMANN.

B. transverso paulo major, convexior. Caput breve, disperse punctatum, nigrum, antice sulco arcuato a rostro distinctum : oculi depressi, nigri; rostrum capite longius, valde crassum, supra carinula apice bifida instructum, lateribusque elevatis; varioloso-punctatum, nigrum. Antennæ brevissimæ, crassæ, nigræ. Thorax transversus, antice angustior, apice profunde bi-emarginatus, lateribus utrinque spina valida, conica armatus, basi truncatus, retusus, supra in dorso minus convexus, varioloso-punctatus, antice foveis tribus profundioribus impressus, niger, opacus, in cavitatibus cervino-squamulosus. Elytra brevissime ovata, antice thoracis basi fere angustiora, lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, supra valde convexa, fornicata, postice retusa, in dorso anteriore foveolis inæqualibus, sub-seriatis impressa, lateribus et postice rugoso-tuberculata, nigra, squamulis cervinis in cavitatibus vestita. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, nigrum. Pedes validi, nigri, profunde, disperse punctati, nigro-setosi, femoribus externe versus apicem fascia cervino- et purpureo-squamosa ornatis. GHL.

20. B. MARGARITACEUS (1).

Thorace spinoso, punctis impressis reticulatus, niger, supra margaritaceus, elytris tuberculis dimidiato-nigris triplici serie.

Habitat ad Prom. Bonæ Spei. Mus. GERM.

B. gemmifero parum minor. Rostrum breve, crassum, parallelipipedum a capite superne impressione angulata sejunctum, una cum capite punctis latis dense obsitum, ut superficies reticulata videatur, squamis margaritaceis parce obtectum. Thorax longitudine duplo latior, lateribus dente insigni armatus, medio interrupte canaliculatus, punctato-reticulatus, margaritaceo-squamosus. Coleoptera sub-globosa, in medio thorace duplo fere latiora, punctato-reticulata, tuberculis magnis elevatis, antice margaritaceis, postice nudis, atris, utrinque triplici serie : serie suturæ proxima et vicina usque ad basin elytrorum haud protensis. Corpus subtus atrum, remotius punctatum, punctis squamulis margaritaceis coloratis. Pedes fortes, punctati, tibiis compressis, apice emarginatis. GERM.

(1) Mihi invisus.

21. B. MACULOSUS.

Niger, sub-cinereus, thorace spinoso, late canaliculato, elytris nodulosis, cinereo seriatim maculosis.

Habitat apud Prom. Bonæ Spei. D. GREEN.

Long. corp. (rostro incluso), lin. 14.

Corpus sub-ovatum, crassum, obscurum, pollinoso-sub-cinereum. Rostrum inæquale, punctatum, postice triangulo elevato, utrinque ante oculos strangulatum. Thorax utrinque acute spinosus; spina valida, supra inæqualis, nodulis et tuberculis complanatis utrinque notandus: lineis duabus latis dorsalibus elevatis, lævibus, canalem latum inter se includentibus. Coleoptera sub-globosa, nodulosa, punctulis minutissimis confertissimis quasi reticulata, polline cinereo seriatim maculosa. Pedes rugosi.

KIRBY in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 429. n° 67.

* 22. B. CORNUTUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamositate densa albida et fusca variegatus, rostro basi bicorni, thorace sub-spinoso, confertim tuberculato, elytrorum interstitiis sub-costatis, seriatim tuberculatis, tuberculis posterius fasciculato-setosis.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 415. n° 15.—*Ent. Syst.* I. II. p. 322. n° 11.
HERBST. *Col.* VII. p. 90. n° 15.
THUNB. in *Acta Ups. nov.* VI. p. 20. n° 6.
Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 57. n° 16.—*Syst. nat.* I. II. p. 618. n° 91.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1790. n° 91.
FABR. *Mant.* I. p. 120. n° 257. — *Sp. Ins.* I. p. 195. n° 197. — *Syst. Ent.* p. 153. n° 137.
SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. p. 51. n° 24. T. 3. f. 24.
B. spinirostris. OLIV. *Ent.* V. 82. p. 59. n° 25. T. 2. f. 9. —*Enc. méth.* V. p. 183. n° 3.
HERBST. *Col.* VII. p. 93. n° 18.

Patria: Prom. Bonæ Spei.

23. B. HYSTRIX (1). *Schh.*

Niger, thorace rugoso, utrinque spinoso, elytris tuberculis pilosis.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 53. n° 15. T. 2. f. 14.—*Enc. méth.* V. p. 183. n° 13.

Patria: India orientalis.

---

(1) Mihi invisus.

24. B. SCOPOSUS. *Schh.*

Ovatus, niger, cinereo-squamulosus et atro-setosus, fronte impressa, medio carinata, thorace rugoso, canaliculato, utrinque spinoso, elytris seriatim tuberculatis, tuberculis fasciculato-setosis.

B. serratus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 25. n° 16. — forte.

B. sticticus. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 42. D. Tab. 34. fig. D. —forte.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. FALDERMANN.

B. erinaceo paulo major. Caput breve, nigrum, fronte valde impressa, inæquali, carina media alte elevata, lævi, postice divisa; lamina supra oculos rotundata, atro-setosa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite longius, valde crassum, disperse punctatum, postice carinatum, nigrum, setosum. Antennæ brevissimæ, nigræ, atro-setosæ. Thorax transversus, antice tri-sinuatus, lateribus in medio spina conica armatus, basi truncatus, supra in medio profunde canaliculatus, cum carinula brevi anterius; cæterum lacunis impressis et rugis elevatis valde inæqualis, niger, cinereo-squamulosus et atro-setosus. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus modice ampliata, apice singulatim in tuberculum conicum excurrentia, supra convexa, fornicata, punctis tuberculisque minoribus sub-seriatis alternantibus notata, et præterea in singulo series duæ, una in medio, altera lateralis, e tuberculis magnis, conicis, fasciculatim atro-setosis; sub serie laterali anterius utrinque tuberculum magnum, solitarium; tota nigra, cinereo-squamulosa et atro-setosa. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, nigrum, opacum, cinereo-squamulosum. Pedes longi, validi, profunde disperse punctati, nigri, dense atro-setosi. GHL.

* 25. B. ERINACEUS.

Ovatus, niger, cinereo-squamulosus, rostro plano, postice bicorni, thorace rugoso, tuberculato, lateribus multi-spinoso, elytris foveato-sulcatis, interstitiis costatis, seriatim tuberculatis, tuberculis seta brevi, declinata, nigra instructis.—GHL.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 53. n° 16. T. 3. f. 25.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

* 26. B. HÆDUS. *Schh.*

Ovatus, niger, cinereo-squamulosus, fusco-pilosus, rostro basi bi-tuberculato, thorace rugoso, tuberculato, lateribus multi-spinoso, elytris sub-sulcatis, interstitiis seriatim tuberculatis, tuberculis seta longa, erecta, fusca instructis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere facies *Trocis sabulosi; B. erinaceo* in multis similis, sed triplo minor, longius pilosus. Caput parvum, sub lobo producto thoracis fere occultatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi laterales, ovati, nigri, parum prominuli; rostrum valde crassum, alte elevatum, sub-quadratum, supra planum, obsolete punctatum, nigrum, squamulis fuscis tectum pilisque erectis nigris adspersum, basi tuberculis duobus conicis instructum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes, nigro-setosæ. Thorax latitudine vix brevior, antice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, supra caput producto, apice emarginato; lateribus angulatim ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, in medio canaliculatus, antice profundius; tuberculis sub-remotis, conicis, plerisque apice seta longa, erecta, nigra instructis, adspersus, nonnullis lateralibus majoribus, sub-spinosis; niger, squamulis cinereis in cavitatibus tectus. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra valde convexa, obsoletius sulcata, sulcis punctis magnis, parum profundis impressis, interstitiis sub-costatis, tuberculis parvis, conicis, apice nitidis, nigris, seta longa, erecta, nigra instructis, seriatim digestis, munita; nigra, opaca, squamulis cinereis et fuscis inæqualiter adspersa. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, squamulis cinereis pilisque nigris adspersum. Pedes validi, nigri, remote punctati, squamulis densis cinereis undique tecti, pilisque nigris adspersi, unguibus longis, arcuatis, nigris, nudis.

Observ.—B. setosus, Wiedem. in Germ. Mag. IV. p. 160. 10, primo intuitu huic simillimus et in multis conveniens; abunde tamen differt: lamina supra oculos elevata, rostro inermi, thorace lateribus rotundato, tuberculis parvis, obtusis adsperso, etc. GHL.

27. B. ECHINATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, ater, parce cinereo-squamulosus et nigro-setosus, callo supra-oculari alte elevato, setoso, rostro basi bi-tuberculato, thorace lateribus obtuse spinoso, supra tuberculato, elytris rude rugosis punctatisque, singulo serie duplici tuberculatis, exterioribus conicis, omnibus apice setosis.

B. inæqualis. THUNB. *Nov. Acta Ups.* VI. p. 27. n° 18.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Statura *B. undati* et majoribus ejus æqualis. Caput inæquale, postice varioloso-punctatum, fronte foveis duabus profundis, ovatis impressa, carina conica distinctis; nigrum, in cavitatibus cinereo-squamulosum; calli supra oculos alte elevati, setis brevibus nigris adspersi; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite parum longius, valde crassum, sub-tetragonum, basi utrinque tuberculo conico, alte elevato instructum; varioloso-punctatum, atrum, parce nigro-setosum. Antennæ breves, crassæ, nigro-setosæ. Thorax antice profunde bi-sinuatus, lateribus angulariter valde ampliatus, angulo conico, obtuse spinoso; basi truncatus, supra valde inæqualis, in medio antico profunde canaliculatus, tuberculis parvis, nitidis inæqualiter adspersus, foveolisque pluribus impressus; ater, in cavitatibus cinereo-squamulosus. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin in callum conicum excurrentia, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra fornicata, postice retusa, juxta suturam seriatim punctata, superficie reliqua rude rugosa et foveolata; in singulo elytro series duæ e tuberculis magnis, 7 vel 8, in quavis serie, interioris obtusiora, exterioris magis conica, omnia apice parce atro setosa; atra in cavitatibus cinereo-squamulosa. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, disperse punctati, cinereo-squamulosi et nigro-setosi. GHL.

* 28. B. UVA.

Oblongo-ovatus, niger, thorace maculis, femoribus annulo flavo vel ferrugineo-squamoso ornatis, thorace inæquali, obtuse spinoso, elytris remote, vage punctulatis, tuberculis plurimis obtusis, inæqualibus adspersus.— GHL.

FABR. *Syst. el.* I. p. 416. n° 23. — *Ent. Syst.* I. II. p. 383. n° 16.
HERBST. *Col.* VII. p. 86. n° 8.
THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 23. n° 13.

Curculio uva. Sparrm. in *Acta Holm.* 1785. p. 53. n° 29. T. 3. f. 29.

Linn. *Syst. Nat.* Gmel. I. IV. p. 1794. n° 436.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 569. n° 48.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

29. B. Detritus (1).

Thorace spinoso, uni-sulcato, punctato, elytris obsolete papillosis, nigris.

Thunb. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 21. n° 9.

Observ. — Corpus magnitudine *B. globosi*, cui valde simile, totum nigrum.—Thunb.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

30. B. Globiferus (1).

Thorace spinoso, uni-sulcato, varioloso, elytris papillosis, nigris.

Thunb. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 21. n° 8.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

31. B. Emeritus (1).

Thorace spinoso, obsolete tri-sulcato, elytris variolosis, postice papilloso-spinosis, pilosis.

Thunb. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 29. n° 23.

Curculio id. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 56. n° 15.—*Syst. nat.* I. II. p. 617. n° 87.—Ed. Gmel. I. IV. p. 1788. n° 87.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 535. n° 170.—*Ent. Syst.* I. II. p. 480. n° 360. —*Mant.* I. p. 120. n° 249.—*Sp. Ins.* I. p. 194. n° 190. — *Syst. Ent.* p. 152. n° 133.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 546. n° 341.

Observ. — Corpus magnitudine *Scarabæi stercorarii*, cinereo-fuscum, totum scabrum, punctatum et variolosum, hirtum, imprimis abdomen.—Thunb.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

32. B. Cribrarius (1).

Niger, thorace anguloso, punctato, tri-sulcato, elytris punctis excavatis innumeris.

(1) Mihi invisus.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 58. nº 23. T. 3. f. 33.

Patria : Mesopotamia.

33. B. SCROBICULATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, valde convexus, in cavitatibus cinereo-squamulosus, thorace brevi, utrinque acute spinoso, supra scrobiculato, elytris scrobiculatis, interstitiis elevatis, reticulatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. FALDERMANN.

E majoribus; *Pimelia fornicata* paulo major et facie sub-similis. Caput breve, nigrum, punctis paucis majoribus impressum, sulco semi-circulari a rostro distinctum; oculi perpendiculares, oblongi, depressi, nigri, liberi, absque lamina elevata superne; rostrum capite longius, valde crassum, basi semi-circulariter elevatum, supra scrobiculatum, nigrum, in cavitatibus cinereo-squamulosum. Antennæ brevissimæ, crassæ, nigræ, sub-setosæ. Thorax brevis, transversus, antice tri-sinuatus, lateribus utrinque spina conica, acuminata, lævi armatus, basi truncatus, supra modice convexus, in medio antico fovea majuscula rotundata impressus, cæterum confertim scrobiculatus, interstitiis reticulatim elevatis; niger, cinereo-squamulosus. Elytra ampla, breviter ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, fornicata, postice retusa, undique scrobiculis majusculis inordinatis, in fundo squamulis cinereis repletis impressa, interstitiis retiformiter elevatis, lævibus, sub-nitidis; tota nigra. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Pedes validi, profunde, disperse punctati, nigri, dense cinereo-squamulosi et nigro-setosi. GHL.

34. B. CANCELLATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, in cavitatibus dense cinereo et albido-squamosus, fronte excavata cum carinula, thorace ruguloso, medio impresso, utrinque acute spinoso, elytris sub-costatis, profunde scrobiculatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. FALDERMANN.

B. scrobiculato non brevior, sed angustior. Caput breve, disperse punctatum, nigrum, fronte profunde excavata, cum carinula elevata in medio, postice abbreviata; callus supra oculos modice elevatus; oculi perpendiculares, oblongi, nigri, depressi; rostrum capite paulo longius, valde crassum, supra sub-impressum, rude

punctatum, fere scrobiculatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-albido-squamosæ Thorax brevis, transversus, antice vix emarginatus, lateribus spina minori, acuta, utrinque armatus, basi truncatus, supra minus convexus, in medio fovea lata longitudinali, antice profundiore impressus, marginibus foveæ anterius elevatis, punctatis; superficies reliqua rugulis elevatis, brevibus adspersa; niger, supra squamulis densis cinereis, lateribus et subtus albidis vestitus, punctisque elevatis nigris irroratus. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice retusa, undique scrobiculis majusculis, profundis, inordinatis, inæqualibus impressa; in dorso squamulis cinereis, versus latera albidis repletis; interstitia omnia elevata, angusta, reticulatim connexa; sutura et costæ 2 vel 3, in singulo elytro elevatiores, sub-undatæ. Corpus subtus rude, disperse punctatum, nigrum, versus latera albo-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis densis albidis vestiti et punctis nigris irrorati. Ghl.

* 35. B. Nebulosus.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis tectus, thorace vix angulato, valde rugoso-tuberculato, dorso sub-tricostato, elytris bifariam tuberculatis, plagis duabus communibus fusco-squamosis. —Ghl.

Oliv. *Ent.* V. 82. p. 60. n° 27. T. 3. f. 20.

Observ. — Pube detrita facies aliena evadit; distinguitur tamen, thoracis dorso rugis duabus alte elevatis, rude rugoso-punctatis, antice posticeque connexis, sulco incluso carinula angusta instructo; series interior tuberculorum in elytris antice continua, alte elevata, rugosa; exterior tuberculis sex majoribus, remotis composita.

36. B. Pulverulentus (1).

Thorace quinque-sulcato lineaque media elevata; vertice tuberculato.

Oliv. *Ent.*

Patria: Ægyptus inferior.

---

(1) Mihi invisus.

37. B. PTERYGOMALIS. ♂♀. *Ghl.*

Oblongo-ovatus, niger, dense fusco-squamulosus, rostro basi impresso, fronte carinata, superciliis elevatis, thorace angulato, confertissime rugoso-punctato, canaliculato cum carinula, elytris sutura costisque duabus elevatis, sub-undulatis, posterius parce tuberculatis.

B. serratus. OLIV. *Ent.* V. 82. p. 52. nº 14. T. 3. f. 30. (an idem?)

B. algirus. HERBST. *Col.* VII. p. 91. nº 16. T. 101. f. 3.?

Habitat in Barbaria. Mus. SCHH.

B. globoso vix minor. Caput posterius sub-convexum, remote, profunde punctatum, nigrum, antice impressum, fusco-squamulosum, fronte carinula elevata, abbreviata instructa; oculi laterales, ovati, nigri, modice prominuli, superciliis satis alte elevatis, punctatis; rostrum valde crassum, ovatum, profunde disperse punctatum, basi late impressum, nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax latitudine media multo brevior, antice sat profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, sub-emarginato, lateribus angulatim valde ampliatus, basi sub-truncatus, supra inæqualis, in dorso sulcatus, sulco basi apiceque profundiore, in medio disci carinula abbreviata, parum elevata notato; intra apicem utrinque fovea magna, profunda, ovata, et juxta basin utrinque alia minor, obsoletior; tota superficies præterea confertissime varioloso-rugosa, fere reticulata; niger, in cavitatibus squamositate fusca tectus. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, dein versus apicem sensim angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra valde convexa, postice abrupte declivia, veluti transverse truncata; margo suturalis fere totus elevatus, posterius fasciculis nonnullis parvis notatus; in medio singuli elytri costa elevata, a basi ad medium contigua, leviter undata, posterius tuberculis nonnullis parvis continuata; costa lateralis etiam anterius contigua, sub-undata, posterius interrupta, tuberculis tribus vel quatuor majoribus aucta; interstitia costarum supra rugis variis, sub-transversis, elevatis notata, et latera inflexa rugis majoribus, transversis, anastomozantibus reticulata; nigra, squamulis minutis fusco-cinereis seu cervinis in omni cavitate dense tecta. Corpus subtus nigrum, profunde, sub-remote punctatum, vix squamulosum. Pedes validi, nigri, sub-remote punctati, cinereo-squamulosi et nigro-pilosi. GHL.

* 38. B. Lateralis. *Ghl.*

Oblongo-ovatus, niger, parce fusco-pulverulentus, rostro plano, varioloso, basi acuminato, superciliis parum elevatis, thorace angulato, confertim varioloso, profunde sulcato, elytrorum costa laterali multi-tuberculata, interna sub-contigua undulata, latera inflexa tuberculato-rugosa.

B. barbarus. Fabr. *Syst. el.* II. p. 414. n° 11.—*Ent. Syst.* I. II. p. 381. n° 8.?

Oliv. *Ent.* V. 82. p. 49. n° 10. T. 2. f. 15. a. b.?—*Enc. méth.* V. p. 185. n° 14.?

Herbst. *Col.* VII. p. 80. n° 3.?

Dict. des sciences nat. V. p. 296. n° 1.?

Voet. *Col.* Ed. Panz. IV. p. 42. B. Tab. 33. fig. B.?

Curculio barbarus. Linn. *Syst. nat.* I. II. p. 617. n° 88. ♀.—Ed. Gmel. I. IV. p. 1788. n° 88.?

Fabr. *Mant. Ins.* I. p. 120. n° 250.—*Sp. Ins.* I. p. 194. n° 191.—*Syst. Ent.* p. 152. n° 134.?

Vill. *Ent. Linn.* I. p. 211. n° 155.?

B. barbarus. Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 252. n° 1. Et IV. Add. p. 381.?

Habitat in Barbaria, Lusitania. Mus. Schh. et Ghl.

Statura oblongior et fere magnitudo *B. serrati.* Caput postice parum convexum, remote punctatum, antice et lateribus depressum, nigrum, vix pulverulentum; oculi breviter ovati, nigri, subdepressi, superciliis parum elevatis; rostrum magnum, crassum, ovatum, elevatum, supra planum, rude varioloso-punctatum, basi acuminatim in frontem adscendens, totum nigrum, nudum. Antennæ breves, crassæ, nigræ et nigro-setosæ. Thorax latitudine media multo brevior, antice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, producto, apice leviter emarginato, lateribus in ungulum sub-acutum ampliatus, basi sub-truncatus, supra inæqualis, in medio late et profunde secundum totam longitudinem canaliculatus, absque carinula manifesta; juxta apicem utrinque fovea magna, profunda impressus, undique confertim rude varioloso-punctatus, saturate niger, opacus, in cavitatibus fusco-pulverulentus. Elytra oblongo-sub-quadrangula, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice abrupte declivia, veluti transverse truncata; suturæ margines elevati, ante medium contigui, fere recti, posterius undulati et sub-tuberculati; in medio singuli

elytri costa, anterius alte elevata, undulata, contigua, posterius in tubercula sensim minora interrupta; costa lateralis elevata, secundum totam longitudinem tuberculata, tuberculis circiter duodecim composita, posterioribus multo majoribus, subconicis, omnibus supra punctatis; interstitia costarum rugulis variis elevatis, internis longitudinalibus, externis transversalibus notata; latera inflexa confertim tuberculata, tuberculis inæqualibus, alte elevatis, nitidis, interjectis punctis parvis in cavitatibus. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, disperse punctatum, fere nudum. Pedes validi, nigri, varioloso-punctati, parce squamulosi. GHL.

39. B. UNDATUS. ♂ ♀

Oblongo-ovatus, niger, varie pulverulentus, rostro plano, varioloso, basi acuminato, canaliculato, superciliis alte elevatis, thorace subacute angulato, canaliculato, punctato, elytris sub-reticulato-rugosis, costis duabus undatis, posterius tuberculatis, apice retusis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 414. n° 12.—*Suppl.* p. 162. n° 8-9.
OLIV. *Ent.* V. 82. p. 50. n° 11. T. 2. f. 16. a. b.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 305. n° 12.
DEJ. *Cat. Col.* p. 82.
B. lacunatus. LATR. *Gen. Crust. et Ins.* II. p. 252. not. 1. *
Curculio algirus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 185. n° 15.
B. crispatus. THUNB. *Nov. Acta Ups.* VI. p. 29. n° 21.
Curculio barbarus. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 617. n° 88. ♂
VILL. *Ent.* I. p. 211. n° 155. ♂
ROSS. *Faun. Etr.* I. p. 122. n° 323.? Ed. HELLW. I. p. 135. n° 323.?
PETAGN. *Ins. Cal.* p. 13. n° 67.?—*Inst. Ent.* Tab. 2. f. 3.?

Habitat in Europa meridionali, Barbaria. Mus. SCHH. et GHL.

Species magnitudine, indumento et textura, præsertim thoracis, valde varians; minores *Troce sabuloso* sub-æquales, plerumque saturate nigri, nudi; alii dimidio majores, sæpe albido aut ochraceo-pulverulenti; alii iterum adhuc duplo majores, magis convexi, parcius pulverulenti, forte fœminæ. Caput fere planum, punctis paucis, majusculis in fronte adspersum; nigrum, lateribus et antice sæpius cinereo-pulverulentum; oculi ovati, nigri, modice convexi, superciliis alte elevatis, præsertim posterius; rostrum crassum, ovatum, supra planum, sub-remote punctatum, basi canaliculatum, acuminatim in frontem adscendens; totum nigrum, sub-nudum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-squamulosæ. Thorax latitudine media multo brevior, antice bi-sinuatus, lobo medio producto, elevato, leviter emarginato; lateribus in angulum

sub-acutum valde ampliatus, basi truncatus, supra inæqualis; canalicula media, lata, non semper similis: in nonnullis integra, punctata; in aliis carinula elevata, abbreviata instructa; in aliis iterum quasi interrupta, in medio elevatior, antice posticeque tantum impressa; rugæ canaliculam ambientes valde elevatæ, externe in medio rotundato-ampliatæ, interdum antice confluentes, semper profunde, sub-remote punctatæ; intra apicem utrinque fovea major, profunda, et juxta basin utrinque alia minor, sulco arcuato invicem connexæ; niger, in cavitatibus plus minusve pulverulentus. Elytra sub-ovata, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, dein posteriora versus nonnihil angustiora, ad apicem retusum, conjunctim acute rotundatum, subito attenuata, thorace plus triplo longiora, supra in disco minus convexa, postice abrupte declivia, veluti transverse truncata; margo suturalis duplex a basi ad medium elevatus, contiguus, fere rectus, dein tuberculis parvis, alternantibus obsitus; in medio singuli elytri costa, a basi ad medium contigua, undata, postice tuberculo uno alterove indicata; costa lateralis anterius sub-undata, posterius interrupta, tuberculis 2, 3, rarius 4, sensim majoribus aucta; juxta suturam anterius plerumque costa humilior, abbreviata, et interstitia costarum rugis transversis quasi texata vel reticulata, præsertim interius; margines inflexi transversim rugosi, inferne seriatim foveolati; nigra, in cavitatibus pulvere albido, cinereo, interdum ochraceo tecta. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, disperse punctatum. Pedes validi, nigri, punctati, plus minusve pulverulenti. Ghl.

40. B. Corrosus. *Dejean.*

Ovatus, niger, parce cinereo-squamulosus; rostro varioloso, basi sub-acuminato, superciliis alte elevatis, thorace lateribus sub-acute angulato, supra canaliculato, rude varioloso-punctato, elytris fortiter reticulato-rugosis, singulo costis duabus tuberculatis instructo.

Patria: Corsica. Ex Musæo Dom. Chevrolat, sub hoc nomine, ad describendum amice communicatus.

B. undato nimis affinis, sed longe minor, glabrior; thorax magis confertim punctatus, elytra fortius rugosa et illarum costæ distinctius tuberculatæ, etc. Caput sub-convexum, punctis rarioribus, majusculis, variolæ-formibus impressum, callis supra-ocularibus alte elevatis, rotundatis; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum crassum, ovatum, supra fere planum, remote foveolatum, nigrum, in cavitatibus cinereo-squamulosum. An-

tennæ breves, crassæ, nigræ, parce nigro-setosæ. Thorax transversus, antice bi-sinuatus, lateribus in angulum sub-acuminatum valde ampliatus, basi truncatus, supra inæqualis, in medio elevatus, sulco lato, antice et postice profundiore, in fundo anguste carinato insculptus; lateribus deplanatus, undique punctis magnis, variolæ-formibus confertim impressus, niger, fere glaber. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique valde ampliata, lateribus inflexa, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra in dorso minus convexa, postice abrupte declivia, veluti truncata, in disco et lateribus rugis sub-transversis, distincte elevatis, inæqualiter anastomozantibus sub-reticulata, nigra, fere glabra; in singulo elytro costæ duæ elevatiores, interiore antice flexuosa, sub-continua, posterius in tubercula 4 vel 5, interrupta; laterali evidentiore, e tuberculis 5 vel 6 magnis composita. Corpus subtus nigrum, disperse punctatum, vix squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi, femoribus varioloso-punctatis, tibiis scabris, atro-sub-setosis. GHL.

41. B. CRISPATUS (1).

Niger, thorace spinoso canaliculatoque, elytris cinereis; angulo exteriori crispato-dentato.

FABR. *Syst. el.* II. p. 418. n° 14.—*Ent. Syst.* I. II. p. 382. n° 10.
OLIV. *Ent.* V. 82. p. 54. n° 17. T. 3. f. 27. (An *B. undati* var.?
LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p 253.
HERBST. *Col.* VII. p. 86. n° 9.

Patria : Barbaria.

42. B. ÆGYPTIACUS.

Ovatus, niger, in cavitatibus cinereo-squamulosus, fronte profunde bi-foveolata, thorace sub-quinque-sulcato, lateribus obtuse spinoso, elytris supra varioloso-punctatis, bifariam tuberculatis, lateribus confertim tuberculato-rugosis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 51. n° 52. T. 3. f. 34.

Patria : Ægyptus, Hispania.

---

(1) Mihi invisus.

* 43. B. Incultus. *Ghl.*

Breviter ovatus, niger, pulvere cinereo-albido in cavitatibus tectus, rostro basi canaliculato, acuminatim in frontem adscendente, superciliis minus elevatis, thorace remotius punctato, canaliculato cum carinula, elytris costis duabus flexuosis, postice sub-interruptis, interstitiis reticulatis.

Habitat in Barbaria. Mus. Schh. et Ghl.

B. undato auctorum proximus, sed brevior et latior, supercilia minus elevata, elytra postice sensim declivia et interstitia costarum aliter reticulata, etc. Caput parum convexum, in fronte punctis paucis, remotis, majusculis impressum, nigrum, in cavitatibus pulvere albido tectum; oculi ovati, nigri, sub-convexi, superciliis minus elevatis; rostrum crassum, ovatum, supra planum, remote, disperse punctatum, basi canaliculatum, angulum acuminatum in frontem emittens; nigrum, parce pulverulentum. Antennæ breves, nigræ, cinereo-pulverulentæ. Thorax latitudine media multo brevior, antice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, emarginato, lateribus valde ampliatus, obtuse angulatus, basi truncatus, supra inæqualis, fere tri-sulcatus, profunde, sed sub-remote punctatus; sulcus dorsalis basi apiceque profundior, in medio carinula abbreviata instructus; laterales arcuati, foveas baseos et apicis conjungentes; niger, pulvere cinereo-albido in cavitatibus tectus. Elytra brevissime ovata, antice thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, dein posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, fornicata, posterius sensim declivia; suturæ margo parum elevatus, undato-flexuosus, tuberculisque parvis alternantibus instructus; costa media contigua, valde undato-flexuosa, pone medium abbreviata, adjecto tuberculo oblongo, magis elevato, oblique posito; costa lateralis anterius contigua, undata, postice interrupta, tuberculis duobus magnis, obtusis, punctatis aucta; interstitia costarum confertim, inordinate reticulata, rugulis elevatis, ramosis inter se et cum costis connexis; latera elytrorum inflexa punctis et foveis sub-seriatis impressa; nigra, aut fere tota aut in cavitatibus tantum, pulvere cinereo-albido tecta. Corpus subtus nigrum, profunde, remote punctatum, parce squamulosum. Pedes validi, nigri, remote punctati, plus minusve cinereo-pulverulenti.

Observ. — *B. barbarus*, Oliv. Ent. V. 82. p. 49. n° 10. T. 2. f. 15. a, b. *B. algirus*, Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p. 252. I. secundum des-

criptiones in plurimis cum jam descripto convenit, sed latera inflexa elytrorum non tuberculata, sed lacunoso-punctata, unde vix idem. GHL.

* 44. B. LATRO. *Schh.*

Ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, rostro sub-impresso, remote punctato, basi acuminato, superciliis parum elevatis, thorace obtuse angulato, sub-quinque-sulcato, remote punctato, elytris tuberculis plurimis, plerisque obtusis, seriatim obsitis, seriebus alternis majoribus.

Habitat ad Alger. Mus. SCHH.

Magnitudo *B. undati* mediocris, sed paulo brevior. Caput postice convexum, antice utrinque impressum, remote punctatum, nigrum; oculi ovati, nigri, sub-depressi, superciliis parum elevatis; rostrum magnum, crassum, ovatum, supra sub-planum, in medio leviter impressum, remote punctatum, nigrum, sub-nitidum, basi elevatum, acuminatim in frontem adscendens. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-pulverulentæ. Thorax latitudine brevior, antice bi-sinuatus, lobo medio lato, elevato, sub-truncato, lateribus valde ampliatus, angulo rotundato, elevato, basi sub-sinuatus, supra convexus, inæqualis, quinque-sulcatus, sulco medio profundiore, recto, lateralibus arcuatis, obsoletioribus; rugæ interjacentes et anguli laterales elevata, parce, remote punctata, nigra, nitida, glabra, cavitatibus omnibus cinereo-pulverulentis. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin versus medium rotundato-ampliata, dein posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, postice abrupte declivia; margo suturalis antice duplex, elevatus, contiguus; dein confertim tuberculatus, tuberculis parvis, oppositis; paulo exterius series, postice abbreviata, e tuberculis adhuc minoribus, rotundatis, nitidis; dein in medio singuli elytri series e tuberculis magnis, anticis difformibus, confluentibus, posticis remotioribus, sensim minoribus, subconicis; tum iterum series, postice abbreviata, e tuberculis parvis, obtusis, et demum series marginalis e tuberculis 10 vel 12 majoribus composita, anterioribus obtusis, posticis sub-conicis; latera elytrorum inflexa, etiam sub-seriatim tuberculata, tuberculis plurimis, parum elevatis: tota nigra, in cavitatibus cinereo-pulverulenta. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum. Pedes longiusculi, validi, nigri, sub-remote punctati, nigro-setosi et cinereo-pulverulenti. GHL.

* 45. B. BESSERI. *Dejean.*

Breviter ovatus, niger, vix pulverulentus, rostro plano, sub-remote punctato, superciliis alte elevatis, thorace quinque-sulcato, costis remote punctatis, elytrorum sutura scalari, costis tribus interioribus undatis, quarta marginali remote tuberculata.

Habitat in Volhinia et in Podolia australi. Dom. BESSER. — Ad Odessa. Dom. STEVEN. In Persia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

B. undato mediocri latior et convexior, sed non longior. Caput vix punctatum, nigrum, antice utrinque impressum; oculi ovati, nigri, sub-depressi, superciliis altius elevatis; rostrum magnum, crassum, ovatum, supra fere planum, profunde, sub-remote punctatum, basi acuminatim in frontem adscendens; totum nigrum, nudum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, nigro-setosæ. Thorax latitudine brevior, antice bi-sinuatus, lobo medio lato, rotundato, lateribus valde ampliatus, angulo acute rotundato, sub-elevato; basi truncatus, supra convexus, inæqualis, sulcis quinque exaratus; sulcus dorsalis jam contiguus, jam in medio sub-interruptus; laterales sub-arcuati; rugæ interjacentes et anguli laterales elevata, nitida, punctis paucis, remotis impressa; totus niger, in sulcis fusco-pulverulentus. Elytra breviter ovata, pone basin versus medium ampliata, dein posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, posterius non abrupte sed sensim declivia; sutura communis lata nonnihil elevata, plana, utrinque alternatim dentata, quasi scalaris; juxta suturam in singulo elytro linea sub-elevata, undata, antice contigua, posterius per tubercula parva continuata; dein in medio elytri costa altior, anterius contigua, undata, posterius tuberculata, longior; tum iterum linea humilior, abbreviata, primæ similis, et demum in margine series e tuberculis 8 vel 9 majoribus, distinctis composita; latera inflexa etiam seriatim tuberculata, quadruplici serie, tuberculis inæqualibus, parum elevatis. Corpus subtus nigrum, disperse punctatum. Pedes validi, nigri, punctati, fusco-pubescentes.

Observ.— descriptio *B. sinuati,* Oliv. Ent. V. 82. p. 58. n° 24. T. 3. f. 26, huic exacte conveniens, magnitudine excepta, quæ secundum iconem duplo major, quare de identitate specifica dubium manet.

GHL.

46. B. SICULUS. *Mannerheim.*

Oblongo-ovatus, niger, fere glaber, rostro plano, punctato, callo supra-oculari parum elevato, thorace sub-acute angulato, supra quinque-sulcato, vix punctato, elytris versus suturam scrobiculatis, externe et versus apicem obtuse tuberculatis.

Patria : Sicilia. Dom. LEFEBVRE. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM.

B. undato simillimus et affinis, sed calli supra oculos parum elevati, thorax evidentius quinque-sulcatus, vix punctatus, elytrorum textura quoque nonnihil diversa. Caput rotundatum, disperse punctatum, nigrum, fronte impressa, carinula triangulari e rostri basi adscendente divisa; calli supra oculos parum elevati; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite longius, crassum, supra planum, obsolete punctatum, nigrum. Antennæ brevissimæ, crassæ, nigræ. Thorax transversus, antice perparum sinuatus, lateribus in angulum sub-acutum ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, sulcis quinque exaratus, interstitiis vix puncto uno alterove impressis; totus niger, glaber. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus modice ampliata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, postice retusa, anterius juxta suturam sub-seriatim scrobiculata; in disco singuli elytri linea elevata, anterius continua, undata, posterius in tubercula majuscula, obtusa divisa; externe series marginalis e tuberculis 7 vel 8, ejusmodi, posterioribus majoribus; tota nigra, glabra. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes validi, disperse punctati, nigri, tibiis tarsisque nigro-setosis. GHL.

47. B. SINUATUS (1).

Niger, thorace angulato sub-spinoso, quinque sulcato, elytris sutura scalari lineisque sinuatis elevatis.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 51. n° 13. T. 3. f. 22.

Patria : Mesopotamia.

48. B. MAURITANICUS (1).

Niger, thorace sub-spinoso, inæquali, elytris lineis duabus elevatis, exteriori dentata; rostro sulcato.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 51. n° 13. T. 3. f. 22.
B. barbarus. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 253.

Patria : Barbaria.

(1) Mihi invisus.

49. B. Plicatus. *Schh.*

Breviter ovatus, ater, opacus, parce squamulosus, superciliis elevatis, rostro basi impresso, thorace late canaliculato, varioloso-punctato, lateribus sub-acute spinoso, elytris confertim reticulato-rugosis, singulo duplici serie tuberculatis, interiore postica, abbreviata.

Patria : Hispania. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Statura brevis, in elytris lata, et similitudo *B. Europæi*, sed plus triplo major et in pluribus distinctus. Caput breve, latum, sub-depressum, punctis paucis majoribus adspersum, nigrum, parce squamulosum, callo supra-oculari lato, alte elevato; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, crassum, sub-ovatum, supra inæquale, disperse punctatum, versus basin impressum, atrum, opacum. Antennæ breves, atræ, cinereo-squamulosæ et nigro-setosæ. Thorax transversus, antice profunde bi-emarginatus, lobo medio producto, sub-emarginato; lateribus valde ampliatus, sub-acute spinosus, sub-sinuatus, supra inæqualis, in medio sulco lato, basi apiceque profundiore, in fundo tenuiter carinato, exaratus, marginibus sulci alte elevatis; superficies reliqua confertim varioloso-punctata; ater, opacus. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi latiora, pone basin oblique valde ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, postice retusa, undique rugulis angustis, elevatis, vario modo anastomozantibus sub-reticulata; in singuli disco, anterius linea elevatior, undata, posterius in tubercula nonnulla minora interrupta; series marginalis multi-tuberculata, posterioribus majoribus, subconicis; latera inflexa obsolete sulcata, tuberculata; tota atra, opaca. Corpus subtus disperse punctatum, atrum, opacum. Pedes validi, nigri, densius cinereo-squamulosi et fusco-setosi. Ghl.

* 50. B. Transversus.

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, rostro punctato, sulcato, superciliis parum elevatis, thorace obtuse angulato, canaliculato, costis duabus alte elevatis, sub-lævibus, elytrorum costis duabus approximatis, anterius contiguis, sub-rectis, interstitiis transversim rugosis.

Oliv. *Ent.* V. 82. p. 57. n° 22. T. 3. f. 23.

Habitat in Barbaria. Mus. Schh. et Ghl.

Maximis *B. undati* individuis adhuc latior, sed brevior; magni-

tudo tamen variat. Caput punctis parvis, remotis adspersum, nigrum, lateribus impressum et pulverulentum; frons sulco brevi, e rostro continuato, impressa; oculi parvi, ovati, sub-depressi, nigri, superciliis parum elevatis; rostrum crassum, ovatum, supra inæquale, remote punctatum, basi canaliculatum et in frontem adscendens, nigrum, sub-nudum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax latitudine brevior antice bi-sinuatus, lobo medio lato, subtruncato; lateribus valde ampliatus, angulo rotundato, elevato; basi truncatus, supra inæqualis, in medio late canaliculatus, costis sulcum cingentibus alte elevatis angulisque lateralibus nitidis, perrare punctatis, superficie reliqua inæquali sulcoque dorsali pube cinerea vestitis. Elytra ampla, breviter ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, posterius sensim declivia; sutura communis non elevata, sed versus marginem singuli elytri costæ duæ alte elevatæ, subapproximatæ, arcuatæ, sed non undatæ, a basi ultra medium contiguæ, nitidæ, glabræ, posterius subtiliter tuberculatæ; interstitia crebre transversim rugosa, internum in medio duplo latius externo; latera inflexa seriebus quatuor punctorum impressa, et apex declivus etiam seriato-punctatus; nigra, pube tenui cinerea vestita. Corpus subtus nigrum, nitidum, glabrum, remote punctatum. Pedes validi, nigri, remote punctati, nigro-setosi. GHL.

* 51. B. ALGIRUS.

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, fuscoque setosus, rostro sulcato, capite depresso, superciliis parum elevatis, thorace lateribus acute spinoso, tri-sulcato, tuberculato, elytris tuberculis setosis triplici serie in singulo, extima tuberculis plurimis minoribus composita.—GHL.

FABR. *Syst. el.* II. p. 415. n° 16.—*Ent. Syst.* I. II. p. 382. n° 12.
OLIV. *Ent.* V. 82. p. 54. n° 18. T. 2. f. 19. a. b.
THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 26. n° 17.
Curculio alginus. FABR. *Mant. Ins.* I. p. 120. n° 251.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1788. n° 392.
B. muricatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 186. n° 19.
LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 253.
B. alpinus. Dom. Com. DEJEAN *in Litt.*

Patria : Barbaria, Gallia meridionalis.

52. B. Planirostris. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, indumento denso cinereo undique tectus, parce fusco-setosus, rostro plano, punctato, thorace tri-sulcato, lateribus obtuse spinoso, elytris amplis, singulo serie triplici tuberculato, serie laterali tuberculis plurimis majusculis composita.

Patria : Italia. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

B. algiro simillimus, sed dimidio major; rostrum planum, non sulcatum ; spinæ laterales thoracis obtusæ, tubercula seriei lateralis elytrorum majora, etc. Caput breve, latum, depressum, obsolete punctatum, nigrum, furfure denso cinereo tectum, callis supra-ocularibus modice elevatis; oculi sub-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite longius, crassum, sub-ovatum, supra planum, disperse punctatum, nigrum, magis nudum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-squamulosæ et fusco-setosæ. Thorax latitudine brevior, antice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, sub-emarginato; lateribus in medio valde ampliatus, angulo obtuso; basi sub-truncatus, supra inæqualis, sulcis tribus latis exaratus, intermedio longiore, utrinque callo alte elevato, sub-rugoso incluso; niger, furfure denso cinereo tectus. Elytra ampla, antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin oblique valde ampliata, posterius angustata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra fornicata, postice retusa, singulo triplici serie tuberculato; series suturalis tuberculis paucis, parum elevatis constat; media inæqualibus, posticis majoribus; lateralis magis regularis, tuberculis circiter duodecim composita, posterioribus sensim majoribus, omnibus obtusis; interstitia serierum etiam sub-tuberculata: nigra, indumento denso cinereo tecta et parce fusco-setosa. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, cinereo-furfuraceum. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-furfurosi et fusco-pilosi, femoribus confertim varioloso-punctatis, tibiis scabris. Ghl.

* 53. B. Lutosus. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, rostro plano, varioloso, capite depresso, carinato, superciliis parum elevatis, thorace obtuse spinoso, quinque-sulcato, confertim rugoloso, elytris tuberculis obtusis, setosis, triplici serie, marginali tuberculis paucis, remotis.
B. algirus. Dom. Megerle *in Litt.*

Habitat in Gallia australi. Dom. Megerle; in Italia. Dom. Chevrolat. Mus. Schh. et Ghl.

B. algiro paulo minor; rostro non canaliculato, thorace quinque-sulcato, subtilius rugoso, elytrorum tuberculis marginalibus paucioribus distinctus. Caput latum, depressum, ruguloso-punctatum, nigrum, dense cinereo-pulverulentum, carinula media elevata, angusta, contigua, nuda, nigra notatum; oculi ovati, nigri, sub-depressi, superciliis modice elevatis; rostrum capiti contiguum, crassum, ovatum, supra planum, confertim variolosum, nigrum, pulverulentum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax latitudine brevior, antice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, producto, elevato, truncato; lateribus in angulum obtusum valde ampliatus, basi sub-sinuatus, supra inæqualis, sulcis quinque exaratus, dorsali recto, basi apiceque profundiore, in medio carinula abbreviata notato, lateralibus nonnihil arcuatis, obsoletioribus, interstitiis elevatis confertim subtilius rugosis; niger, pulvere denso cinereo tectus. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, posterius abrupte declivia; juxta suturam utrinque series e tuberculis seu verrucis rotundatis, planis, parum elevatis, remotis, alternantibus; in medio singuli elytri series altera, cujus verrucæ anteriores oblongæ, oblique positæ; series marginalis constat tuberculis sex vel octo minoribus, subconicis, remotis; verrucæ, præsertim serierum interiorum, supra quasi spongiosæ; interstitia serierum rugulis inordinatis, anastomozantibus scabra; latera inflexa, confertim rugulosa, interjectis foveolis sub-seriatis; nigra, pulvere denso cinereo tecta. Corpus subtus nigrum, profunde, sub-remote punctatum, pulverulentum. Pedes validi, nigri, pulverulenti, femoribus confertim punctatis, tibiis granulato-scabris. GHL.

* 54. B. LUTULENTUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, rostro sub-plano, varioloso, capite impresso, superciliis elevatis, thorace acute angulato, sub-quinque-sulcato, elytris obsoletissime costato-tuberculatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Statura *B. algiri*, sed paulo minor, *Byrrho dorsali* sub-æqualis. Caput depressum, remote punctatum, nigrum, opacum; oculi ovati, nigri, parum prominuli, superciliis satis alte elevatis, rotundatis; rostrum magnum, crassum, ovatum, supra sub-planum, confertim variolosum, basi rotundatum, sub-depressum; nigrum, opacum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax latitudine brevior, antice leviter bi-sinuatus, lobo medio rotundato, lateribus in an-

gulum sub-acutum ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, sulcis quinque exaratus, dorsalibus tribus latis, fere rectis, intra angulum lateralem utrinque sulcus brevior, omnes pulvere cinereo repleti; costæ duæ dorsales antice elevatæ, nigræ, nitidæ, posterius ut et costæ laterales minus elevatæ, confertim variolosæ. Elytra ampla, brevissime ovata, antice thoracis basi non latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, posterius sub-abrupte declivia; juxta suturam et in disco rudimenta costarum tuberculatarum observantur, at obsoletissima, costa laterali tamen paulo evidentiore; margines elytrorum inflexi etiam obsolete seriatim tuberculati. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, sub-nudum. Pedes validi, nigri, remote punctati, fusco-sub-setosi. GHL.

55. B. MURICATUS (1).

Thorace spinoso, sulcato, niger, obscurus, elytris lineis tribus elevatis, crenatis.

FABR. *Syst. el.* II. p. 415. n° 19.—*Ent. Syst.* I. II. p. 383. n° 15.
THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 29. n° 22.

Patria : Hungaria.

* 56. B. FOVEICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, rostro oblongo, varioloso, capite impresso, superciliis parvis, thorace lateribus angulato, supra varioloso, basi apiceque tri-foveolato, elytris tuberculis obtusis triplici serie in singulo, seriebus externis approximatis.

B. muricatus. OLIV. *Ent.* V. 82. p. 55. n° 19. T. 3. f. 21.
HERBST. *Col.* VII. p. 97. n° 24. T. 101. f. 8.
B, gemmatus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 22. n° 10.?

Patria : Europa meridionalis.—(Cap. Bonæ Spei.?) Teste Dom. THUNBERG.

Habitat in Europa meridionali. Mus. SCHH. et GHL.

Statura *B. algiri*, sed paulo minor. Caput antice foveis duabus magnis, carinula parva distinctis, impressum, posterius convexum; remote punctatum, nigrum, in cavitatibus cinereo-pulverulentum; oculi ovati, nigri, sub-depressi, superciliis parvis, angustis, parum elevatis; rostrum oblongo-ovatum, supra convexum, confertim rugoso-punctatum seu variolosum, lateribus utrinque im-

(1) Mihi invisus.

pressum, basi rotundatum, elevatum, totum nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ et nigro-setosæ. Thorax latitudine parum brevior, antice bi-sinuatus, lobo medio lato, sub-truncato; lateribus modice angulatim ampliatus, basi truncatus, supra inæqualis, confertim variolosus, seu punctis magnis, parum profundis, sæpe umbilicatis impressus; in ipso apice foveæ tres profundæ, quarum media paulo minor, utrinque ruga brevi, elevata cincta; in basi etiam foveæ tres impressæ, quarum media maxima, profunda, quasi exsculpta. Elytra brevissime ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus æqualiter rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, posterius abrupte declivia; suturæ margines non elevati, sed juxta marginem series e tuberculis parvis, posterius sensim minoribus; in medio singuli elytri series e tuberculis majoribus, anterioribus difformibus; tum series, utrinque abbreviata, e tuberculis minoribus, et demum series marginalis e tuberculis paulo majoribus, circiter decem distinctis; tubercula omnia obtusa, apice poro et seta parva instructa; latera elytrorum inflexa seriato-punctata; tota nigra, parum pulverulenta. Corpus subtus nigrum, opacum, disperse punctatum. Pedes validi, nigri, remote punctati, cinereo-setosi et pulverulenti.

Observ. — *B. muricatus.* Fabr. Syst. el. II. p. 415. n° 19 et Thunb. nov. Act. Ups. VI. p. 29. n° 22. vix huc pertinet, quoniam costæ elytrorum serratæ dicuntur; potius *B. gemmatus* Thunb. loc. cit. p. 22. n° 10. huc referendus. GHL.

57. B. SULCIFRONS. *Schh.*

Breviter ovatus, ater, opacus, parce cinereo-squamulosus et setosus, capite depresso, superciliis elevatis, rostro late sulcato, thorace acute spinoso, tri-sulcato, tuberculato; elytro singulo trifariam tuberculato, serie laterali tuberculis numerosis, minoribus.

Patria : Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

B. algiro simillimus et nimis affinis, sed plus duplo minor et aliter coloratus. Caput breve, latum, sub-depressum, obsolete punctatum, atrum, parce cinereo-squamulosum, callis supra-ocularibus modice elevatis; oculi sub-ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite longius et parum angustius, valde crassum, supra fornicatum, in medio late et profunde sulcatum, obsolete punctatum, atrum, parum squamulosum. Antennæ breves, crassæ, atræ, setosæ. Thorax antice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto,

rotundato; lateribus in spinam acuminatam ampliatus, basi truncatus, supra inæqualis, sulcis tribus exaratus, intermedio latiore et longiore, interstitiis elevatis, disperse tuberculatis; ater, in cavitatibus parce cinereo-squamulosus setisque paucis brevibus, nigris adspersus. Elytra ampla, antice thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, postice retusa, singulo triplici serie tuberculato; tubercula seriei suturalis pauciora, minora; seriei discoidalis anteriora obliqua, media reliquis majora, subconica, posteriora parva, obsoletiora; seriei lateralis tubercula numerosa, coarctata, subæqualia, omnia apice setulis nonnullis nigris adspersa; interstitia serierum etiam obsolete tuberculata; atra, opaca, in cavitatibus subtiliter cinereo-squamulosa. Corpus subtus inæqualiter, disperse punctatum, atrum, opacum, vix squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi et fusco-setosi, femoribus disperse punctatis.

Ghl.

* 58. B. Europæus.

Breviter ovatus, niger, rostro sub-plano, varioloso, capite depresso, carinato, superciliis latis, elevatis, thorace sub-acute angulato, dorso canaliculato, confertim rugoso, elytris reticulato-rugosis, tuberculis fasciculatis duplici serie instructis.

Thunb. *Nov. Acta Ups.* VI. p. 25. n° 15.

Habitat in Europa meridionali. Mus. Schh. et Ghl.

Statura, magnitudo et facies *B. foveicollis*, abunde tamen distinctus, textura thoracis elytrorumque, etc. Caput fere planum, obsolete rugulosum, carinula media, anterius elevatiore, notatum, nigrum, cinereo-pulverulentum; oculi ovati, nigri, sub-depressi, superciliis latis, rotundatis, satis alte elevatis; rostrum crassum, breviter ovatum, supra fere planum, rugosum et variolosum, nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax latitudine media paulo brevior, antice bi-sinuatus, lobo medio lato, subemarginato, lateribus in angulum sub-acutum, tuberculatum ampliatus, basi sub-truncatus, supra inæqualis, rugulis tuberculisque difformibus, elevatis, nitidis, confertim instructus, in medio dorsi sulcatus, sulco inæquali, basi apiceque profundiore, in medio carinula abbreviata notato; totus niger, in cavitatibus parce cinereo-pulverulentus. Elytra ampla, brevissime ovata, antice thoracis basi vix latiora, sed lateribus valde rotundato-ampliata, apice conjunctim sub-obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora,

supra valde convexa, fornicata, postice sub-abrupte declivia; sutura communis sub-elevata, utrinque tuberculis adnexis, sub-obliquis, alternantibus quasi scalaris; in medio singuli elytri series e tuberculis majoribus, anterioribus oblongis, oblique positis, et in margine series e tuberculis 6 vel 8 sub-rotundatis; tubercula omnia supra brevissime fasciculatim setosa vel spongiosa; interstitia serierum inordinate reticulato-rugosa; latera inflexa sub-seriatim tuberculata et punctata; tota nigra, opaca. Corpus subtus nigrum, sat profunde, disperse punctatum. Pedes validi, nigri, varioloso-punctati, scabri. GHL.

* 59. B. SUPERCILIOSUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus et setosus, rostro plano, varioloso, capite depresso, superciliis alte elevatis, thorace acute angulato, tri-sulcato, elytris tuberculis fasciculatis triplici serie, extima multi-tuberculata.

Habitat in Caucaso et in Persia. Dom. STEVEN. Mus. SCHH. et GHL.

B. algiro statura et facie simillimus, distinctus tamen, plerumque paulo minor, rostro non canaliculato, superciliis alte elevatis, colore magis nigro, etc. Caput sub-depressum, obsolete punctatum, carinula media, parum elevata instructum, nigrum; oculi ovati, nigri, depressi, superciliis latis, alte elevatis, præsertim posterius; rostrum crassum, ovatum, supra planum, confertim variolosum, nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ et nigro-setosæ. Thorax latitudine media paulo brevior, antice profunde bisinuatus, lobo medio lato, sub-emarginato; lateribus in angulum acuminatum, fere spinosum ampliatus, basi truncatus, supra inæqualis, tri-sulcatus, sulcis latis, fere rectis, basi apiceque profundioribus, in medio carinula abbreviata, lateralium obsoleta, notatis; interstitia sulcorum ut et anguli laterales elevata, confertim tuberculata, fusco-setulosa; totus niger, opacus. Elytra ampla, brevissime ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, posterius sub-abrupte declivia; sutura communis nonnihil elevatior, tuberculis adnexis, remotis, alternantibus veluti scalaris; in medio singuli elytri series, apicem attingens, e tuberculis majoribus, anticis obliquis, oblongis; et in margine series e tuberculis 8 vel 9 rotundatis, distinctis composita; tubercula omnia supra brevissime fasciculato-setosa seu spongiosa; interstitia serierum obsolete reticulato-rugosa; latera inflexa sub-seriatim rude punctata, interstitiis

reticulatim elevatis; tota nigra, opaca, parce cinereo-pulverulenta. Corpus subtus nigrum, opacum, disperse punctatum. Pedes validi, nigri, punctati, scabri et fusco-setulosi. GHL.

* 60. B. CONTEXTUS. *Ghl.*

Breviter ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, capite rostroque brevibus, confertim scrobiculatis, thorace lateribus sub-acute angulato, profunde scrobiculato, elytris sub-globosis, obsolete reticulato-rugosis, singulo seriebus duabus dorsalibus e tuberculis magnis, remotis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *B. foveicollis.* Nob. Caput breve, latum, scrobiculis profundis, rotundatis confertim insculptum, nigrum, in cavitatibus cinereo-pulverulentum; oculi laterales, ovati, nigri, parum prominuli, superciliis vix elevatis; rostrum breve, crassum, rotundatum, elevatum, sulco profundo a capite distinctum, supra parum convexum, pari modo ac caput scrobiculatum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax brevis, transversus, antice vix sinuatus, sed late, parum profunde emarginatus, lateribus anterius oblique ampliatus, angulo acuminato et pone angulum abrupte angustior, basi truncatus, supra convexus, undique confertissime, profunde scrobiculatus, absque foveisvel sulcis majoribus manifestis; totus niger, in cavitatibus pulverulentus. Elytra ampla, brevia, sub-globosa, antice thoracis basi vix latiora, sed mox pone basin et lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim sub-acute rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, posterius abrupte declivia; tota superficies punctis seu foveolis, plerisque rotundatis, inordinate sparsis, impressa, quorum interstitia modice elevata, reticulatim connexa et anastomozantia; in singulo elytro, non procul a sutura, series e tuberculis magnis, obtusis, remotis, circiter sex, baseos longiore, et in medio elytri series altera e tuberculis quinque ejusmodi; in margine etiam series tertia, sed tubercula ejus parva, obsoleta; latera inflexa quadrifariam foveolata, seu punctata; tota nigra, cinereo-pulverulenta. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, profunde, sub-remote punctatum. Pedes validi nigri et nigro-setosi, femoribus remote punctatis, nitidis, tibiis tarsisque scabris, opacis

Observ. B. reticulatus, Wiedem. Zool. Mag. II. I. p. 113. n° 173. cum jam descripto, sub hoc nomine nobis communicato, in plurimis conveniens quidam videtur; sed cum thoracem foveis variis majoribus impressum describit nominatus auctor, et series ita ma-

nifestas tuberculorum in elytris ne verbo memorat, vix eamdem speciem ante oculos habuisse videtur. GHL.

61. B. RETICULATUS (1).

Niger, griseo-indutus, scrobiculato-reticulatus, thorace sub-spinoso; coleopteris globosis.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 113. n° 173.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

62. B. CINEREUS (1).

Niger, cinereo-squamosus, thorace spinoso, canaliculato, lineaque media elevata.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 56. n° 20. T. 3. f. 35. n. b.

Patria : Ægyptus inferior.

63. B. JUVENCUS.

Fronte excavato-retusa, thorace scabro, utrinque unidentato, elytris utrinque tuberculorum serie abbreviata triplici.

SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 51. n° 26. T. 3. f. 26.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 569. n° 45.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1793. n° 433.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

* 64. B. STELLARIS.

Ovatus, niger, pulvere denso cinereo tectus, nigro-setosus, rostro rotundato, basi sub-tuberculato, superciliis parvis, thorace lateribus sub-angulato, multi-tuberculato, dorso late impresso, elytris trifariam tuberculatis, interioribus fasciculato-setosis, humerali magno, subconico.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 63. n° 32. T. 3. f. 36.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

Observ. Rostrum breve, crassum, elevatum, rotundatum, basi obsolete bi-tuberculatum, sulco profundo a capite distinctum; mandibulæ magnæ, conicæ, acuminatæ; supercilia angusta, parum elevata. Thoracis latera anterius rotundato-ampliata, multi-

---

(1) Mihi invisus.

tuberculata; in dorso fovea longitudinalis impressa, lata, in medio sub-interrupta; rugæ adjacentes elevatæ, confertim tuberculatæ; reliqua superficies profunde foveolata. Tubercula seriei suturalis elytrorum setis longis, erectis, nigris, fasciculatis instructa; seriei mediæ tubercula parce setosa; tuberculum humerale seriei marginalis magnum, subconicum, reliqua ejusdem seriei parva, depressa; interstitia serierum tuberculis plurimis parvis scabra. Ghl.

65. B. Fasciculosus (1).

Thorace spinoso, antice producto, truncato, niger, fusco-lutosus, elytris tuberculis longius fasciculatis duplici serie, humeris spina armatis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Germ.

Magnitudine *B. barbari*. Rostrum thorace multo brevius, crassum, inæquale, sub-carinatum, apice emarginatum. Caput breve transversum, pone oculos tuberculatum, fronte concava. Thorax transversus, antice profunde bi-sinuatus, lobo intermedio antice truncato, pone gulam profunde ac late emarginatus, dorso sulcatus et carinatus, verrucosus, luto sordido obtectus, lateribus spina crenata armatus. Coleoptera ovato-globosa, in medio thorace sesqui latiora, disperse granulata, luto sordido obtecta, humeris tuberculo acuto fasciculato notatis, tuberculis utrinque apice longius fasciculatis duplici serie. Pedes nigri, hirti, tibiis apice extus lobo securiformi intus spina horizontali terminatis. Germ.

* 66. B. Dorsalis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-pulverulentus, rostro scrobiculato, basi fronteque carinatis, superciliis alte elevatis, obtusis, thorace confertim tuberculato, lateribus anterius rotundato-ampliato, dorso excavato, elytrorum interstitiis costatis, exterioribus tuberculatis, internis antice muticis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Billberg benigne communicavit. Mus. Schh.

B. undato majori sub-æqualis. Caput majusculum, obsolete punctatum, nigrum, indumento denso cinereo tectum, fronte profunde impressa, cum carinula media elevata, e rostro adscendente; oculi

(1) Mihi invisus.

ovati, nigri, depressi, sub tuberculo magno, crasso, obtuso, alte elevato, locati; rostrum crassum, oblongo-ovatum, supra convexum, rude varioloso-lacunatum et rugosum, carinula angusta, in frontem continuata instructum, nigrum, cinereo-pulverulentum. Antennæ breves, crassæ, nigræ. Thorax brevis, transversus, antice bi-sinuatus, lobo medio rotundato, parum producto; intra apicem arcuatim constrictus, lateribus ante medium lobo rotundato, tuberculato, valde ampliatus, basi truncatus, supra convexus, confertim tuberculatus, niger, in cavitatibus cinereo-pulverulentus; in medio dorsi fovea longitudinalis lata, impressa, in cujus medio carinula abbreviata. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora et ultra, supra convexa, posterius abrupte declivia; juxta suturam utrinque series regularis e punctis impressis, approximatis; interstitium suturæ proximum pone medium tantum elevatum, tuberculis 4 vel 5 minoribus obsitum, antice planum, muticum; interstitia reliqua omnia sub-costata, seriatim tuberculata, tuberculis sub-conicis, apice setis nonnullis fuscis instructis; latera inflexa elytrorum seriatim lacunosa, lacunis rotundatis; tota nigra, pulvere et pube cinerea vestita; in medio dorsi singuli elytri, prope suturam, vitta abbreviata fusco-brunnea. Corpus subtus nigrum, opacum, obsoletius punctatum, fusco-pulverulentum. Pedes robusti, nigri, obsoletius remote punctati, nigro-setulosi, indumento fusco-cinereo vestiti. GHL.

* 67. B. CINERARIUS.

Ovatus, niger, indumento cinereo et albo variegatus, rostro tuberculato capiteque carinatis, thorace sub-spinoso, scrobiculato, dorso sub-sulcato cum carinula, elytris sub-globosis, seriatim tuberculatis, tuberculis numerosissimis majoribus et minoribus.—GHL.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 115. n° 176.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

68. B. PICTUS (1).

Thorace acute spinoso, niger, albo-varius, elytris seriatim tuberculatis, albo-squamosis; basi fasciaque media abbreviata nigris.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. GERM.

B. muricato parum major. Caput et rostrum uti in præcedente.

---

(1) Mihi invisus.

squamis albidis variegata. Thorax transversus, canaliculatus, foveis profundis exaratis, interstitiis granulatis, lateribus albo-squamosus, antice profunde bi-sinuatus, subtus pone gulam emarginatus, margine laterali dente magno solitario armatus. Coleoptera globosa, in medio thorace duplo latiora, sulcata, interstitiis seriatim tuberculatis: tuberculis interstitiis secundi inæqualiter distantibus; albo-squamosa : basi, fascia utrinque abbreviata media et tuberculorum posticorum apicibus nigris. Corpus subtus griseum, nigro-punctatum, tibiis compressis, anticis apice utrinque acute angulatis. GERM.

69. B. BUCULUS. *Schh.*

Globosus, ater, thorace spinoso, varioloso, elytris papillosis serie sextuplici, interstitiis papillosis.—THUNB.

B. juvencus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 22. n° 11.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

70. B. PISIFERUS (1).

Thorace spinoso, tri-sulcato, elytris papillosis, nigris.

THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 23. n° 12.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

71. B. CAPENSIS. *Schh.* (1).

Niger, thorace spinoso, uni-sulcato, elytris cinereis, costis duabus in singulo crenatis, postice crenæ circiter novem.—THUNB.

B. barbarus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 24. n° 14.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

72. B. RUGOSUS (1).

Cinereo-fuscus, glaber, thorace spinoso, papilloso, elytris variolosis, costis duabus sub-serratis nigris.

THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 27. n° 19.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

73. B. CALLOSUS. *Schh.* (1).

Ater, glaber, thorace spinoso, quinque-sulcato, punctato, elytris variolosis, postice sub-papillosis.—THUNB.

---

(1) Mihi invisus.

B. variolosus. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 30. n° 24.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

74. B. SIBIRICUS (1).

Cinereo-albus, thorace spinoso, uni-sulcato, papilloso, elytris striatis, punctatis.

THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 31. n° 26.

Patria : Sibiria.

STIRPS. 2. — Thorax lateribus rotundatus vel æqualis.

75. B. INÆQUALIS (1).

Thorace scabro, elytris lineis elevatis, crispatis, capite bi-dentato.

FABR. *Syst. el.* II. p. 414. n° 13.—*Ent. Syst.* I. II. p. 382. n° 9.
OLIV. *Ent.* V. 82. p. 61. n° 28. T. 2. f. 12.—*Enc. méth.* V. p. 185. n° 10.
HERBST. *Col.* VII. p. 89. n° 14.
Curculio tauriculus. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. p. 51. n° 25. T. 3. f. 25.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 569. n° 44.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1793. n° 433.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

76. B. TUBERCULATUS (1).

Nigro-cinerascens, thorace tuberculato, antice porrecto, lævi, emarginato, elytris striatis, striis punctis elevatis.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 60. n° 26. T. 3. f. 24.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

77. B. ASPER.

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-squamulosus, rostro varioloso, basi bi-corni, apice carinula brevi instructo, thorace sub-globoso, rude tuberculato, medio sub-sulcato, elytris ovatis, interstitiis omnibus seriatim tuberculatis, tuberculis numerosissimis, parvis, apice nitidis, setiferis.—GHL.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 64. n° 34. T. 3. f. 32.
B. vacca. THUNB. in *nov. Acta Ups.* VI. p. 36. n° 35.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

(1) Mihi invisus.

78. B. PETULCUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate cinerea et albida inæqualiter vestitus, rostro basi bicorni, apice depresso, thorace rude verrucoso, medio sub-sulcato, elytris seriatim foveolatis, interstitiis costatis, tuberculis plurimis parvis, apice glabris, seriatim adspersis.

Patria : Africa meridionalis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

B. aspero simillimus et nimis affinis, differre tamen videtur, rostro apice depresso, minime carinato, elytris distincte seriatim foveolatis, interstitiis evidentius costatis, etc. Caput brevissimum, latum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi sub-ovati, depressi, nigri; rostrum capite triplo longius, basi constrictum et quasi abscissum, extrorsum valde incrassatum et ampliatum, supra longitudinaliter impressum, disperse varioloso-punctatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamulosum, prope basin utrinque tuberculo magno, conico, corniformi armatum. Antennæ breviusculæ, crassæ, nigræ. Thorax antice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, sub-emarginato; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, pulvinatus, posterius retusus, in medio sulco antice latiore insculptus, undique confertissime verrucosus, verrucis dorsalibus majoribus, supra planis, lateralibus parvis, convexis; niger in cavitatibus cinereo-squamulosus. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi non latiora, lateribus æqualiter modice ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, fornicata, foveis majusculis, profundis, rotundatis seriatim impressa, interstitiis omnibus elevatis, longitudinalibus costatis, seriatim tuberculatis, tuberculis parvis, apice glabris, nigris, nitidis; nigra, squamositate densa fusco-cinerea et albidiore plagiatim vestita. Corpus subtus disperse punctatum, cinereo-squamosum. Pedes validi, nigri, dense fusco-squamulosi, punctis nigris irrorati. GHL.

79. B. CORNICULATUS. *Chevr.*

Ovatus, niger, parce cinereo-squamulosus, rostro plano, basi bi-tuberculato, thorace tuberculis inæqualibus adsperso, medio sub-sulcato, elytris seriatim foveolatis, foveolis transversis, interstitiis costatis, tuberculis numerosis, parvis, apice glabris notatis.

Patria : Africa meridionalis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

B. petulco simillimus et valde affinis, sed plus duplo minor, præ-

sertim in elytris brevior, tubercula thoracis alte elevata, foveolæ seriatæ elytrorum transversim oblongæ, etc. Caput brevissimum, latum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite quadruplo longius, basi constrictum, extrorsum ampliatum et valde incrassatum, supra fere planum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, versus basin utrinque tuberculo valido, conico armatum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, fusco-setulosæ. Thorax antice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, sub-truncato; lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus in medio sulco, antice latiore et profundiore insculptus, tuberculis alte elevatis, versus latera minoribus, subconicis, in disco posteriori majoribus, supra planis obsitus, omnibus nigris, nitidis; niger, in cavitatibus cinereo-squamulosus. Elytra elliptica, antice thoracis basi fere angustiora, lateribus æqualiter modice ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, foveolis transversim oblongis, seriatim digestis, confertim impressa, interstitiis omnibus angustis, elevatis, unde quasi reticulata; interstitia serierum costata, tuberculis parvis, nigris, nitidis, apice seta declinata instructis, seriatim adspersa; nigra, squamositate densa fusca et cinerea vestita. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum; squamositate densa cinerea tectum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamulosi et pubescentes. GHL.

80. B. VERRUCIPENNIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate densa cinereo-albida tectus, rostro plano, basi bi-corni, thorace canaliculato, confertim tuberculato, intra apicem constricto, elytro singulo verrucis majusculis, distantibus, scabris duplici serie digestis, notato.

Patria : Africa meridionalis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Facies et fere magnitudo *B. asperis.* Caput brevissimum, latum, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum capite triplo longius, basi profunde constrictum, extrorsum valde incrassatum et ampliatum, supra planum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, basi utrinque tuberculo valido, conico, corniformi armatum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, squamulosæ et sub-setosæ. Thorax antice profunde bi-sinuatus, intra apicem constrictus, lateribus ante medium valde ampliatus, basi truncatus, supra convexus pulvinatus, in medio sulco, antice latiore, ibique utrinque callo ele-

vato circumdato, insculptus, superficie reliqua tuberculis semi-globosis concoloribus confertim obsita; niger, squamositate densa cinereo-albida vestitus. Elytra sub-elliptica, antice thoracis basi non latiora, lateribus æqualiter modice ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, fornicata, obsolete inæqualiter sub-seriatim punctata; in interstitio secundo a sutura series e tuberculis remotis, supra brunneis, scabris, mediis tribus reliquis multo majoribus; in interstitio quarto series e tuberculis 7 vel 8 mediocribus, albido-squamosis, interstitiis reliquis subtilius tuberculatis; nigra, squamositate densa cinereo-albida tecta. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, squamositate densa cinerea tectum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamulosi, femoribus versus apicem varioloso-punctatis, tibiis sub-setosis. Ghl.

* 81. B. Setosus.

Ovatus, niger, cinereo-squamulosus et fusco-setosus, capite depresso, superciliis sub-acuminatis, alte elevatis, thorace sub-orbiculato, uni-sulcato, confertim tuberculato, elytris foveato-sulcatis, interstitiis omnibus costatis, seriatim tuberculatis, longius setosis.—Ghl.

Wiedem. in *Germ. Mag.* IV. p. 160. n° 70.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

82. B. Spectrum (1).

Fuscus, thorace etylrisque globosis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 415. n° 18. — *Ent. Syst.* I. II. p. 383. n° 14.
Oliv. *Ent.* V. 82. p. 65. n° 35. T. 1. f. 5. — *Enc. méth.* V. p. 186. n° 17.
Herbst. *Col.* VII. p. 84. n° 6. T. 101. f. 6.
Curculio id. Fabr. *Mant.* I. p. 119. n° 246. — *Sp. ins.* I. p. 194. n° 188.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1789. n° 401.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

83. B. Verrucifer (1).

Ater, thorace sub-cordato, punctato, elytris globosis, verrucosis.
Kirby in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 430. n° 68.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

---

(1) Mihi invisus.

* 84. B. Biglobatus.

Oblongus, niger, cinereo-pulverulentus, rostri basi fronteque excavatis, thorace globoso, canaliculato, rude tuberculato-rugoso, elytris ovatis, rugosis, foveolatis, singulo seriebus duabus e tuberculis magnis, obtusis, remotis.

Curculio biglobatus. Sparrm. *Act. Holm.* 1785. p. 53. n° 30. T. 3. f. 30.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 569. n° 49.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1794. n° 437.

Brachycerus spectrum. Thunb. *Nova Acta Ups.* VI. p. 35. n° 34.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Doct. Thunberg. Mus Ghl. et Schh.

Magnitudo variat; majores *B. undato* sub-æquales, alii duplo, imo triplo minores. Caput convexum, remote punctatum, nigrum, parce pulverulentum, fronte excavata, fovea lata, profunda, parce punctata, ad medium rostri continuata; oculi laterales, sub-ovati, parum convexi, palpebris nullo modo elevatis; rostrum singularis structuræ, basi, ut dictum, late excavatum, marginibus elevatis, tuberculo majore supra antennas et alio minore ad basin notatis; dein fere rectangulariter infractum, apice ampliatum, supra breviter carinatum, punctatum, totum nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, apice cinereo-pulverulentæ. Thorax globosus, antice late et profunde emarginatus, lateribus rotundatus, basi sub-retusus, ab elytris remotus; supra convexus, pulvinatus, in medio sulco inæquali exaratus, undique rude tuberculatus, tuberculis majoribus et minoribus mixtis, interdum confluentibus, plerisque supra poro pertusis; totus niger, in cavitatibus pulverulentus. Elytra ovata, antice thoracis basi latiora, lateribus nonnihil ampliata, versus apicem angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, posterius sub-abrupte declivia; superficies tota e rugis et foveolis alternantibus inæqualis, et præterea in singulo elytro series duæ e tuberculis magnis, obtusis, remotis, una in medio, altera versus marginem, tuberculis 7 vel 8 in quavis serie; latera inflexa superne rugosa, tuberculisque parvis, nitidis, sub-seriatis notata, inferne punctato-sulcata; tota nigra, parce pulverulenta. Corpus subtus nigrum, opacum, disperse punctatum, pulverulentum. Pedes mediocres, nigri, leviter punctati, plerumque dense cinereo-pulverulenti.

Ghl.

85. B. Texatus. *Ghl.*

Ovatus, niger, indumento denso cinereo tectus, nigro-pilosus, rostro basi angustiore, constricto, supra impresso, disperse punctato, thorace obsoletius varioloso-punctato, basi nigro-tuberculato, elytris texatis, interstitiis costatis, parce nigro-tuberculatis.

Var. β. Duplo major, tuberculis baseos thoracis minutis, obsoletis, costarum in elytris vix ullis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus; var. β. Mus. Ghl.

Magnitudo et statura *B. grisei.* Caput mediocre, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum capite triplo longius, crassum, versus basin angustius et a capite strictura profunda quasi abscissum, supra impressum, disperse, parum profunde punctatum, nigrum, squamositate cinerea tectum, pilisque erectis fuscis adspersum. Antennæ crassæ, nigræ, pilosæ. Thorax antice paulo angustior, apice bi-sinuatus, lobo medio lato, rotundato, parum producto; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, punctis majusculis, dispersis, variolæformibus impressus, et in medio baseos tuberculis pluribus nigris, nitidis notatus; niger, squamositate densa cinerea vestitus, pilisque longis erectis fuscis adspersus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, lateribus æqualiter ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, regulariter confertim texata, foveis inclusis majusculis, plerisque rotundis, nonnullis transversim oblongis; in interstitiis costatis longitudinalibus, tubercula nonnulla parva, nigra, nitida, remota observantur; cæterum squamositate densa cinerea tectum et fusco-pilosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, scabri, dense cinereo-squamulosi et fusco-pilosi.

Var. β. Secundum diagnosin tantum differt. Ghl.

* 86. B. Griseus.

Ovatus, niger, indumento denso cinereo tectus, capite brevissimo, rostro lineari, basi non constricto, thorace sub-seriatim nigro-granulato, elytris amplis, fornicatis, anterius seriatim, postice irregulariter foveolatis, pone humeros angulatis.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 415. n° 21.

B. crenatus. Oliv. *Ent.* V. 82. p. 66. n° 37. T. 1. f. 17.? — *Enc. méth.* p. 186. n° 20.?
Herbst. *Col.* VII. p. 96. n° 23.

Patria: Madagascar, Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

B. sabuloso parum major et statura sub-similis. Caput brevissimum, granulatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi ovati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum latum, crassum, lineare, basi non angustatum nec constrictum, supra convexum, versus basin foveis nonnullis impressum, anterius sub-tuberculatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, fusco-setosæ. Thorax latitudine medii vix brevior, anterius angustior, apice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, rotundato; lateribus posterius ampliatus, basi truncatus, supra convexus, in medio obsolete canaliculatus, granulis parvis, numerosissimis, nigris, nitidis, in medio sub-seriatim digestis adspersus; niger, squamositate densa cinerea vestitus. Elytra magna, antice sub-truncata, thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, angulum formantia, dein angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, fornicata, anterius sub-sulcata et in sulcis foveolis seriatis, sub-transversim oblongis impressa, posterius irregulariter foveolata et punctata, interstitiis sub-costatis, granulis paucis nigris, nitidis adspersis; nigra, squamositate densa cinerea vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate cinerea tectum. Pedes mediocres, nigri, squamositate densa cinerea tecti et fusco-pilosi. Ghl.

* 87. B. Reticulosus. *Schh.*

Ovatus, niger, indumento denso cinereo tectus, nigro-pilosus, rostro basi angustiore, constricto, supra plano, rude punctato, thorace fortiter punctato, basi nigro-tuberculato, elytris regulariter profunde texatis.

B. reticulatus. Illig. teste Dom. Schuppel *in Litteris.*
B. pertusus. Thunb. *Nov. Acta Ups.* VI. p. 36. n° 36. forte.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Mus. Schh. et Ghl.

B. texato, α, simillimus, sed rostri forma alia et thorax profundius punctatus. Caput brevissimum, obsolete punctatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi ovati, brunnei, depressi; rostrum capite quadruplo longius, valde crassum, versus basin

angustius et a capite strictura profunda quasi abscissum, supra planum, punctis majusculis, remotis impressum, nigrum, squamositate cinerea vestitum, pilisque longis, erectis, nigris adspersum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, pilosæ. Thorax antice bi-sinuatus, lobo medio obtuse rotundato, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, punctis magnis, profundis, sub-remotis impressus, et in medio baseos tuberculis pluribus nigris, nitidis notatus; niger, squamositate densa cinerea vestitus, pilisque longis, erectis, nigris adspersus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi parum latiora, lateribus æqualiter ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, regulariter texata, foveis inclusis magnis, profundis, rotundatis; nigra, squamositate densa cinerea vestita, pilisque fuscis parce adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamulosi et fusco-pilosi. Ghl.

* 88. B. Milleporus.

Breviter ovatus, niger, pulvere albido tectus, thorace rugulis difformibus nigris, elevatis, elytris scrobiculatis, nigro-reticulatis tuberculatisque, scrobiculis subtilissime punctulatis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Schh.

Inter minores hujus generis, 3 lin. longus, breviter ovatus, valde convexus. Caput breve nigrum, obsolete punctatum, albido-pulverulentum, interrupte carinatum; in medio frontis inter oculos fovea magna, lunata, valde profunde insculpta; oculi laterales, sub-depressi, brunnei; rostrum capite fere majus, crassum, convexum, incurvum, nigrum, rugosum, albido-pulverulentum. Antennæ breves, sub-pilosæ, nigræ, cinereo-squamulosæ. Thorax latitudine brevior, antice multo angustior, profunde bi-sinuatus, lateribus pone medium ampliatus, basi truncatus, supra posterius transversim convexus, intra basin et apicem depressus, pulvere albido undique tectus, relictis rugulis variis elevatis, angustis, difformibus, abruptis, nigris, nitidis. Elytra magna, breviter ovata, antice thorace paulo latiora, sed mox pone basin ampliata, lateribus valde inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, pulvere albido tecta, strigulis elevatis nigris reticulata, tuberculisque parvis, nitidis, seriatis ejusdem coloris insignita; superficies tota præterea scrobiculis magnis, profundis, albidis, in fundo subtilissime punctulatis, impressa. Corpus subtus pulvere denso cinereo tectum.

Pedes mediocres, nigri, pulvere cinereo omnino tecti, etiam in tarsis; tibiæ et tarsi subtus ciliato-pilosi. GHL.

89. B. CAVIFRONS. *Illiger.*

Breviter ovatus, niger, supra sub-nudus, subtus cinereo-pulverulentus, thorace elytrisque confertim scrobiculatis, fovea lunata fronti profunde insculpta.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. GHL.

B. millepori simillimus et valde affinis, sed duplo minor et supra fere totus niger, nudus, modo versus apicem et latera inferiora elytrorum scrobiculi pulvere albido adspersi. Caput breve, nigrum, rugoso-punctatum, interrupte carinatum, fronte inter oculos fovea magna, transversa, lunata vel biloba, valde profunda, insculpta; oculi laterales brunnei, parum convexi; rostrum capite majus, crassum, convexum, incurvum, nigrum, basi carinatum, dein profunde scrobiculatum, scrobiculis in fundo cinereo-pulverulentis. Antennæ capite cum rostro breviores, crassiusculæ, pilosæ, piceæ, cinereo-pulverulentæ. Thorax latitudine brevior, antice multo angustior, profunde bi-sinuatus, lateribus pone medium ampliatus, basi truncatus, supra valde convexus, confertim et profunde scrobiculatus, interstitiis angustis, elevatis, rugulas irregulares formantibus; totus niger. Elytra magna, breviter ovata, antice vix thorace latiora, sed mox pone basin ampliata, lateribus valde inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, scrobiculis magnis, profundis, in disco inordinatis, juxta suturam et versus latera sub-seriatis, confertim insculpta, interstitiis elevatis, sub-reticulatis, tuberculisque parvis elevatioribus adspersis; nigra, scrobiculis, præsertim postice et ad latera pulvere cinereo in fundo repletis. Corpus subtus nigrum, punctatum, pulvere denso cinereo tectum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pulverulenti, tibiis tarsisque subtus pilis nigris ciliatis. GHL.

90. B. GEMMOSUS. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, squamositate fusco-cinerea parcius vestitus, thorace scrobiculato, rugoso, medio canaliculato, elytris confertim scrobiculatis, tuberculis plurimis minutis, nigris, nitidissimis in costis adspersis, fronte fovea duplici impressa.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine ad describendum amice communicatus.

B. millepori Wiedem. simillimus et magnitudine æqualis, thorace

evidenter canaliculato, elytrisque tuberculis numerosissimis, nitidis adspersis, præcipue distinctus. Caput breve, obsolete granulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte ad basin rostri foveis duabus modice profundis impressa; oculi ovati, brunnei, parum convexi; rostrum latitudine capitis et illo duplo longius, valde crassum, supra fornicatum, rude scrobiculatum, nigrum, in cavitatibus cinereo-squamulosum et parce fusco-pilosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, fusco-pilosæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice profunde bi-sinuatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra convexus, in medio evidenter canaliculatus, confertim scrobiculatus, niger, squamositate cinerea in cavitatibus vestitus, relictis rugulis longitudinalibus flexuosis, nudis, nigris, nitidis. Elytra magna, ob-ovata, antice thoracis basi vix latiora, sed lateribus ante medium valde ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, confertim scrobiculata, scrobiculis anterius et ad suturam sub-seriatis, posterius inordinatis; nigra, squamositate fusco-cinerea vestita, in costis elevatis tuberculis numerosissimis, minutis, sub-seriatis, nigris, nitidis adspersis. Corpus subtus punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamulosi, et fusco-pilosi. Ghl.

* 91. B. Glabratus.

Breviter ovatus, niger, sub-nitidus, fere glaber, antennis pedibusque nigro-setosis, thorace profunde, remote punctato, antice utrinque impresso, elytris confertim leviter noduloso-rugosis.—Ghl.

Wiedem. in Germ. *Mag.* IV. p. 157. n° 68.

92. B. Scutirostris (1).

Rostro scutiformi, margine dentato, niger, margaritaceo-squamosus, thorace lateribus exciso, elytris tuberculis compressis quadruplici serie.

Habitat in Brasilia. Mus. Germ.

B. muricato duplo fere major. Rostrum breve, crassum, sulco magno transverso a capite separatum, supra quasi scuto tuberculoso et margine crenato tectum. Caput transversum, rugosum, orbitis oculorum supra elevatis, carinatis. Thorax transversus, ca-

---

(1) Mihi invisus.

naliculatus, squamis margaritaceis obtectus, profunde et dense punctatus, lateribus verrucosus, tuberculatus, ante basin incisus, apice leviter bi-sinuatus, pone gulam profunde et late emarginatus. Coleoptera ovato-globosa, in medio thorace duplo fere latiora, squamulis margaritaceis obtecta, tuberculis compressis, margine denudatis quadruplici serie : extima abbreviata. Interstitia transversim rugosa, pro parte, præsertim juxta suturam granulata; margo inflexus, tuberculis parvis seriatus. Corpus subtus cum pedibus nigrum, squamulis margaritaceis obtectum, tibiis anticis extus lobo securiformi, intus spina armati. GERM.

93. B. VARIOLOSUS (1).

Thorace rotundato, inæquali, fusco-cinereus, elytris tuberculis magnis distantibus duplici serie.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 61. n° 29. T. 1. f. 7. — *Enc. méth.* V. p. 185. n° 11.

HERBST. *Col.* VII. p. 95. n° 21. T. 101. f. 10.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

94. B. GEMMATUS (1).

Nigro-cinereus, thorace rotundato, sulcato, elytris trifariam tuberculatis.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 62. n° 30. T. 2. f. 13. — *Enc. méth.* V. p. 185. n° 12.

Patria :

95. B. FASCICULARIS (1).

Cinereus, thorace elytrisque fasciculato-pilosis, lateribus tuberculis nigris nitidis.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 64. n° 33. T. 3. f. 31.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

96. B. TUBERCULOSUS. *Schh.* (1).

Cinereus, thorace subinermi, elytris scabris spinosisque tuberculoque postico elevato. — FABR.

B. verrucosus. FABR. *Syst. el.* II. p. 414. n° 10.

Patria : Guinea.

97. B. MORIO (1).

Ater, thorace elytrisque variolosis.

---

(1) Mihi invisus.

FABR. *Syst. el.* II. p. 416. n° 22.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

98. B. EXCISUS (1).

Cinereus, sub-tomentosus, thorace inermi, tri-sulcato, papilloso, elytris costis sex, capite exciso.

THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 32. n° 28.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

99. B. PRÆMORSUS (1).

Cinereo-niger, thorace inermi, bi-sulcato; cruce impressa, elytris retusis; costis quatuor crenatis.

THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 33. n° 29.
Corpus in hoc genere minimum, pipere dimidio minus.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

100. B. TETRAGONUS (1).

Oblongus, sub-tetragonus, cinereus, thorace inermi, punctato, elytris reticulatis; costa sesquitertia papillosa.

THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 34. n° 32.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

101. B. LINEATUS (1).

Oblongus, sub-tetragonus, thorace inermi, tri-sulcato, elytris costa postice dentata lineisque tribus albis.—THUNB.

B. retusus. THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 34. n° 31.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

Incertæ stirpis; species mihi invisæ.

102. B. SPINIGER.

Obscurus, thorace varioloso, elytris punctatis, spinisque triplici serie.

FABR. *Syst. el.* II. p. 413. n° 9.

Patria : Guinea.

---

(1) Mihi invisus.

103. B. TUBEROSUS.

Niger, thorace seriebusque duabus tuberum elytrorum ochraceis. — WIEDEM.

GERM. *Mag.* IV. p. 160. n° 69.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

104. B. LUTEUS.

Luteus, thorace sub-rotundato inæquali, elytris quadrifariam tuberculosis, tuberculis mammillaribus ruficantibus.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 114. n° 175.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

105. B. VENUSTUS.

Nigro-fuscus, elytris fascia apiceque niveis, seriatim tuberculatis, thorace utrinque tuberculo elongato et sulco medio.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 116. n° 177.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

106. B. SPILOPTERUS.

Cinereus, elytris maculis quatuor coffeatis, seriebus duabus tuberculorum majorum, thorace angustato.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 117. n° 178.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

107. B. OXONCHUS.

Fusco alboque varius, thorace obtusangulato, elytris supra seriebus conorum tribus.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 118. n° 179.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

108. B. JUNIX.

Nigro-fuscus, thorace bi-sulcato, coleopteris tuberculorum seriebus quinque.

HERBST. *Col.* VII. p. 88. n° 11.

Patria : Sibiria.

109. B. CAPERANS.

Fronte rugosa, thorace excavato, linea media sub-elevata, fuscus, elytris nigro-cinereoque tessellatis.

HERBST. *Col.* VII. p. 88. n° 12.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

110. B. COMATUS.

Nigro-fuscus, pilosus, thorace spinoso, elytris transverse striatis, abdominis incisuris fasciculato-barbatis.

VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 42. C. Tab. 34. fig. C.

Patria :

111. B. DUBIUS.

Ater, elytris sulcatis, tibiis anticis dentatis.

VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 42. E. Tab. 34. fig. E.

Patria :

112. B. CRISTATUS.

FABR. *Syst. el.* II. p. 415. n° 20.—Suppl. *Ent. syst.* p. 161. n° 15-16.
Tenebrio cristatus. DE GEER. *Ins.* VII. p. 653. n° 57. T. 48. f. 22. n° 23.
B. areolatus. THUNB. in *Nov. Acta Ups.* p. 31. n° 25.
Sepidium lacunosum. THUNB. *Nov. Spec. Ins.* VI. p. 130.
THUNB. *Mus. Acad. Ups.* p. 48. n° 5.

Genus *Sepidium* certe.

GENUS 52. MICROCERUS. *Ghl.*

Brachycerus. FABR., OLIV., HERBST., THUNB.

Character generis. — Antennæ brevissimæ, sub-arcuatæ, scapus brevis, sub-obconicus; articuli funiculi transversi, sub-turbinati; clava minuta, acuminata, quadri-articulata.
Rostrum porrectum, capiti contiguum.
Oculi rotundati, prominuli; superciliis depressis.
Thorax parvus, antice posticeque truncatus.
Elytra sub-ovata, convexa, postice declivia, apice paulo producta.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, anterius angustatum, inæquale, apterum. — *Antennæ* longitudine capitis, in medio rostri insertæ.

validæ, extrorsum sensim paulo crassiores, arcuatæ, setosæ, 12-articulatæ; articulo 1° elongato, obconico, 2-8 brevibus, transversis, sub-turbinatis, sub-coarctatis; clava minuta, breviter-ovata, apice acuminata, in articulo octavo sub-immersa, distincte 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* breve, crassum, porrectum, capiti contiguum, apice profunde emarginatum; scrobe versus apicem rostri incipiente, profunda, subito vero subtus flexa, basi rostri subtus versus gulam connivente. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli; superciliis depressis. — *Thorax* parvus, latitudine medii vix longior, basi apiceque truncatus, longe ante apicem profunde constrictus, lateribus acute rotundato-ampliatus, supra modice convexus, valde inæqualis, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* nullum. — *Elytra* connata, thoracis basi triplo latiora et illo fere quintuplo longiora, angulis humeralibus sub-rotundatis, supra convexa, maxime inæqualia, posterius ante apicem abrupte declivia, apice ipso producta, plus minusve acuminata, margine laterali inflexo, haud sinuata, abdomen arcte includentia. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validi, antici basi approximati; femoribus muticis, modice incrassatis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, muticis; tarsis validis, articulis tribus basalibus sub-trigonis, subtus setosis, haud spongiosis, ultimo elongato, sub-lineari, valido, bi-unguiculato, ungulis validis, falcatis, acutis.

TYPUS : — *Microcerus retusus*, *Brachycerus id.* FABR., OLIV., HERBST.

A μικρός parvus, κέρας cornu.

Observ. — Structura hujus generis a *Brachyceris* valde diversa, magis elongata, anterius angustata; præterea clava antennarum quadri-articulata; rostrum porrectum, capiti contiguum; oculi rotundati, prominuli, superciliis depressis; thorax antice truncatus et elytra postice alio modo declivia, apice producta, quare ut genus distinctum Celeb. Gyllenhal proposuit.

* 1. M. RETUSUS.

Elongatus, niger, fusco-squamulosus, rostro porrecto, lacunoso, rugoso, capite tuberculato, thorace angusto, rude tuberculato, antice truncato, elytris ovatis, apice acuminatis, supra spinoso-tuberculatis, macula disci trigona, brunnea. GYL.

Brachycerus id. FABR. *Syst. el.* II. p. 415. n° 17. — *Ent. syst.* I. II. p. 382. n° 13.

OLIV. *Ent.* V. 82. p. 62. n° 31. T. 1. f. 6. — *Enc. méth.* V. p. 186. n° 16.

HERBST. *Col.* VII. p. 83. n° 5. T. 101. f. 5.

Curculio id. FABR. *Mant.* I. p. 120. n° 259. — *Sp. Ins.* I. p. 195. n° 199.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1790. n° 405.

Curculio ephippiatus. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. p. 52. n° 27. T. 3. f. 27.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 569. n° 46.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1793. n° 434.

Brachycerus bimaculatus. THUNB. in *Nov. Acta Ups.* VI. p. 33. n° 30.

Patria : Promont. Bonæ Spei.

2. M. IDOLUM.

Oblongus, niger, cinereo-pulverulentus, capite rostroque depressis, canaliculatis, thorace parvo, anaglyphice tuberculato, antice truncato, constricto, elytris ovatis, sub-punctato-striatis, apice rotundatis, lateribus et postice spinoso-tuberculatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Doct. THUNB. Mus. GHL.

Statura oblonga, anterius angustata et affinitas *M. retusi*, sed dimidio minor et in pluribus distinctus. Caput latum, porrectum, punctulatum, pone oculos constrictum, fronte canaliculata et juxta oculos utrinque tuberculis duobus notata; nigrum, cinereo-pulverulentum; oculi semi-globosi, dilute brunnei, pellucidi, superne palpebra depressa semi-tecti; rostrum latitudine capitis eique contiguum, porrectum, sub-quadratum, supra late canaliculatum, confertim punctulatum, nigrum, opacum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-pulverulentæ. Thorax parvus, latitudine vix brevior, basi apiceque truncatus, longe intra apicem sat profunde constrictus, lateribus abrupte rotundato-ampliatus, supra parum convexus, rugis elevatis, arcuatis, symetrice ordinatis exsculptus, quasi anaglyphicus; niger, in cavitatibus cinereo-pulverulentus. Elytra ovata, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, lateribus dein longe ultra medium sub-rectis; posterius subito angustiora, apice conjunctim rotundata, tuberculo parvo, sub-reflexo, acuminato in singuli elytri apice aucta; thorace quadruplo longiora, supra in dorso anteriore fere plana, posterius ante apicem abrupte declivia, fere excavata; sat regulariter punctato-striata, præsertim interius; interstitiis subtilissime confertim punctulatis, et remote, inæqualiter tuberculatis; juxta

suturam nempe tubercula nonnulla parva antice et pone medium, et posterius duo majora, conica, opposita, valde approximata in ipsa sutura; in interstitio tertio tubercula pauca, remota, quarum unum pone medium omnibus majus, obtusum; in quinto tubercula 5 vel 6 mediocria, conica, inæquali spatio remota; demum in margine series e tuberculis 7 vel 8 majoribus, conicis, acutis, æquali fere spatio remotis; latera inflexa, sub-seriatim punctata, non rugosa; tota nigra, opaca, supra parcius cinereo-squamulosa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, obsolete subtiliter granulatum, parce squamulosum. Pedes validi, nigri, obsoletius punctulati, parum pulverulenti. GHL.

3. M. ANGUSTICOLLIS (1).

Fuscus, luteo indutus, thorace coleopteris quadruplo angustiore; elytris seriebus duabus tuberculorum.—WIED.

Brachycerus id. WIED. *Zool. Mag.* II. I. p. 119. n° 180.

Patria : Promont. Bonæ Spei.

Divisio II. ENTIMIDES.

Rostrum breviusculum, deflexum, teretiusculum, crassissimum, extrorsum sæpissime valde incrassatum.

SUBDIVISIO I.—*Corpus brevius, alatum. Humeri angulati, prominuli. Thorax semper pone oculos lobatus.*

GENUS 53. RHIGUS. *Dalm.*

Rhigus GERMAR, LATR. (2). — *Cyphus* STURM. — *Curculio* PALL., HERBST.

Character generis. — Antennæ mediocres, parum fractæ; articuli funiculi sub-obconici; clava oblongo-ovalis.

Rostrum breve, valde incrassatum, apice profunde emarginatum; scrobs quam maxime curvata.

Oculi ovati, sub-depressi.

Thorax elytris dimidio angustior, sub-cylindricus.

Elytra ampla; humeri elevato-angulati, prominuli.

Tibiæ anticæ sæpius intus curvatæ, apice dente valido acuto armatæ.

---

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

(2) Germar. Ins. Spec. Nov. I. p. 438. — Latr. Regne Anim. p. 391. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 81. n° 35.

Observ. — Corpus majoris magnitudinis, sub-oblongo-ovatum, crassum, durum, alatum.

* 1. R. SCHUPPELI.

Thorace inæquali, bi-cristato, psittacino-squamosus, coleopteris striato-punctatis, multi-spinosis, spinis aureis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 439. n° 586.

Chlorima arrogans. DEJ. *Cat. Col.* p. 92.

VAR. β. Corpore toto squamulis pallide testaceis unicoloribus undique tecto. Colore indumenti excepto, ne minime ab α diversus.—GHL.

Rhigus lateritius. Nob. olim.

Patria : Brasilia.

* 2. R. HORRIDUS. *Schh.*

Investimento pulverulento, cinereo griseoque tectus; tuberculis thoracis dorsalibus 4, lateralibus 2; singuli elytri 3 dorsalibus, postico majori, (præter humerale et apicale).

Habitat in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. Reg. Ac. Holmiensis et Mus. Dom. SCHH.

Magnus, *R. tribuloide* plus duplo major. Corpus totum tectum investimento pulverulento e squamulis albidis, immixtis cinereis et griseis. — Antennæ griseæ, clava fusiformi, acutiuscula, nigra. Caput thorace manifeste longius, rostro crassissimo, apice dilatato, buccato, ore nigro, oculi obovati, depressi, nigri. Thorax quam longus latior, antice sinuatus, lobis ocularibus magnis; lateribus subrectus; basi iterum sinuatus; in dorso canaliculo tenui impressus, de cetero undique rugosus et tuberculosus, tuberculis 4 dorsalibus paribus alteroque laterali (ante medium) majoribus, distinctioribus. Elytra ampla, thorace duplo latiora et saltem triplo longiora, basi sinuata, posterius gibba, apice declivia, tota rude punctato-striata, singulo puncto squamula alba centrali notato; humeri in spinam validam dilatati, ipse apex elytrorum etiam tuberculo conico terminatus; cæterum in medio singuli elytri tubercula 3, seriata, postico maximo. Corpus subtus cum pedibus concolor, femoribus modice incrassatis, tibiis summo apice atris, tarsis cinereis. DALM.

* 3. R. TRIBULOIDES.

Oblongo-ovatus, niger, supra umbrino subtus læto viridi-argenteo-squamosus, thorace dorso bi-cristato, elytris remote punctato-striatis, tuberculo valido pone medium alteroque parvo ante medium disci extus instructis.—BHN.

Curculio id. PALLAS. *Icon.* p. 30. n° 11. Tab. B. fig. 11.
HERBST. *Col.* VI. p. 513. n° 554. T. 95. f. 11.
HERBST. (Borowsky) *Naturg.* VI. p. 114. n° 14. T. 14. f. 6.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1797. n° 460.
Cyphus tribulus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 129.

Patria : Brasilia.

* 4. R. ATROX.

Oblongo-ovatus, niger, supra in dorso brunneus, subtus pallido-squamosus, thorace inæquali, postice transversim impresso, lateribus antice apicem acute excisis, elytris remote subtiliter punctato-striatis, tuberculo magno pone medium disci obsitis.—BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 438. n° 585.
R. obesus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, secundum Dom. CHEVROLAT.

Patria : Brasilia.

* 5. R. DEJEANII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis pallide virescentibus subtus dense vestitus, supra plagiatim variegatus, thoracis dorso bi-cristato, elytris remote punctato-striatis, pone medium tuberculo magno conico instructis.

VAR. β. Duplo minor et ultra supra squamulis paleaceis plagiatim variegatus.
R. contaminatus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. DUPONT.

Patria : Brasilia. Mus. Reg. Acad. scient. Holm. et SCHH.

R. tribuloide Pall. Herbst. similis, sed duplo major; variat tamen magnitudine. Caput breve, convexum, punctatum, nigrum, squamulis densis pallide virentibus tectum, maculis denudatis nigris, in vertice et fronte plerumque notatum; oculi perpendiculares, oblongi, inferne acuminati, sub-depressi, brunnei; rostrum capite longius, basi constrictum, extrorsum ampliatum et incrassatum,

apice triangulariter emarginatum, supra tenuiter canaliculatum, canali in frontem adscendente; nigrum, undique dense virescenti-squamosum, supra interdum maculis duabus oblongis denudatis nigris notatum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, sub-tenues, setosæ, nigræ, virescenti-squamosæ, clava atro-holosericea. Thorax latitudine vix longior, antice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus longe productis, lateribus in medio rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra inæqualis, foveolatus et tuberculatus, in medio antico late impressus, impressione utrinque crista inæquali, elevata inclusa; niger, undique dense virescenti-squamosus, relicta vitta lata, erosa utrinque, macula in medio antico aliisque baseos denudatis nigris. Scutellum elevatum, rotundatum, virescenti-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi duplo latiora, humeris protensis, angulatis; pone humeros sensim attenuata, apice sub-truncata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, remote punctato-striata, interstitiis subtilissime alutaceis, alternis elevatioribus, sub-costatis; nigra, quoad maximam partem squamulis pallide viridibus vestita, relictis maculis plurimis difformibus fasciaque sinuato-erosa pone medium, denudatis, nigris; paulo pone medium singuli elytri, versus suturam, tuberculum magnum, alte elevatum, obtusum, nigrum. Corpus subtus disperse punctatum, squamositate pallide virescenti, sub-nitida omnino tectum. Pedes mediocres, squamositate densa virescente tecti, femoribus clavatis, sæpe externe fascia dimidiata, nigra, nuda notatis, tibiis arcuatis, tarsis dilatatis, subtus umbrino-spongiosis.

Var. β. Magnitudine longe minori et colore pallidiore indumenti paginæ superioris tantum differt; cætera exacte conveniunt.

Ghl.

Dom. Dejean. Comes, e senatoribus patricii ordinis in regno Galliæ, Generalis locum tenens, commendator, etc. Auctor libri, qui inscribitur: *Species général des Coléoptères*, monumentum stabilissimum laurisque eruditionis ac ingenii ornatissimum, sibi posuit. Concedatur tamen mihi, ut, summam venerationem et pro multifariis beneficiis animum gratissimum testaturus, splendido huic Insecto nomen Domini Comitis addam, et hoc etiam modo nobilissimum illud nomen sempiternæ memoriæ mandem.

Schh.

* 6. R. BIDENTATUS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis unicoloribus dilute virescentibus dense tectus, rostro late sed parum profunde sulcato, thorace rugoso, cruciatim impresso, elytris punctato-striatis, singulo tri-tuberculato.

Habitat in Cayenna. A Dom. DUPONT jun. communicatus. Mus. SCHH.

R. atroci longitudine æqualis, sed dimidio fere angustior. Caput breve crassum, squamulis læte virescentibus, dense tectum. Oculi ovati, transversi, sub-depressi, nigri. Rostrum longitudine fere thoracis, deflexum, crassum, apicem versus incrassatum, apice profunde triangulariter emarginatum, supra sulco lato, parum profundo, longitudinaliter excavatum, squamulis dilute viridi-argenteis, dense vestitum. Antennæ sub-tenues, viridi-squamosæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atra. Thorax latitudine vix vel parum longior, sub-cylindricus, apice late, profunde emarginatus, lobo pone oculos producto, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, remote rugosus, dorso longitudinaliter sulcatus, pone medium transversim impressus, dense dilute viridi-squamosus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, viridi-squamosum. Elytra basi thorace duplo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris valde protensis, elevato-angulatis, apicem versus nonnihil angustata, apice singulatim acuminata, supra convexa, dorso fere plana, postice valde declivia, regulariter punctato-striata; in interstitio striarum tertio a sutura, tuberculis tribus, primo mox pone basin, secundo in medio, parum elevatis, tertio pone medium magis elevato, acuto; tota nigra, squamulis læte viridi-nitentibus dense vestita. Corpus subtus dense viridi-argenteo-squamosum. Pedes nigri, squamulis læte viridibus dense tecti; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 7. R. GYLLENHALII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, rostro, thoracis lateribus inæqualiter, elytrorum marginibus, fasciis tribus transversis apiceque helvolo-squamosis, thorace foveolato, elytris remote punctato-striatis, sub-costatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnus, *R. tribuloide* plus duplo major. Caput breve, nigrum, granulato-punctatum, supra sub-depressum, fronte canaliculata;

rostrum thorace dimidio longius, versus basin angustius, extrorsum valde dilatatum et crassum, apice triangulariter emarginatum, supra late canaliculatum, canali posterius attenuato; punctatum, nigrum, undique dense helvolo-squamosum, ore nigro et nigro-piloso; oculi ovati, nigri, parum convexi. Antennæ thoracis basin fere attingunt, totæ nigræ et nigro-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine vix longior, apice emarginatus, lobis ocularibus prominulis, lateribus ante medium sub-abrupte ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, valde inæqualis, foveis pluribus profundis impressus, tribus nempe intra basin transversim positis, media rotunda, lateralibus oblongis; pone medium utrinque fovea sub-conica, profunda, et aliæ tam in medio quam versus latera, minores, minus profunde impressæ; superficies tota præterea confertissime punctulata; niger, angulis anticis, lateribus anguste, margine baseos late, in medio interrupte, dense helvolo-squamosis. Scutellum elevatum, rotundatum, dense helvolo-squamosum. Elytra ampla, antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, mox pone basin angulatim valde ampliata, pone angulum humeralem angustiora et versus apicem sensim angustata, apice ipso sub-truncata, angulo exteriore acuminato, divaricato; thorace quadruplo longiora et ultra, supra valde convexa, remote punctato-striata, interstitiis confertissime subtiliter granulato-punctatis, alternis elevatioribus, sub-costatis; interstitium secundum a sutura, pone medium, reliquis magis elevatum, tuberculum oblongum mentiens; nigra, lateribus, apice fasciisque tribus transversis dense helvolo-squamosis, quarum prima in ipsa basi posterius sinuata, secunda ante medium fere recta, tertia pone medium sub-arcuata, ambæ latæ, et omnes flavedini laterum connexæ. Corpus subtus nigrum, confertissime subtiliter granulatum, squamulis densis helvolis tectum, ventre posterius magis nudo. Pedes mediocres, nigri, nigro-pilosi, primi paris immaculati, posteriorum femora basi et tibiæ apice helvolo-squamosæ; tarsi subtus helvolo-spongiosi.—BHN.

Dom. LEONARDO GYLLENHAL. Excub. Præf. et Eq. Ordinis de Wasa: ut communem nostram reverentiam gratumque animum testaremur, memoriam grandævi et meritissimi Suecorum Entomologi, cui plurima uterque debemus, extendere voluimus.

SCHH. et BHN.

* 8. R. ARANEIFORMIS. *Schh.*

Subtus albus, supra lutescenti-cinereus, thorace sub-granuloso, linea dorsali alba impressa; elytris obsolete costatis, fusco-punctatis, humeris prominentibus.

VAR. β. Duplo minor, supra squamulis obscuris plagiatim variegatus.

Rhigus tumidus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, secundum Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. SCHOENHERR et CHEVROLAT.

R. atroce vix major. Habitus fere *Entimi* generis, sed gibbior et magis contractus. Corpus totum squamulis minutissimis farinosis tectum. Antennæ graciles, albæ, clava nigra. Caput thorace longius, sub-inflexum, sub-læve, album, macula verticis triangulari oculisque nigris; rostrum apice valde incrassatum, acute emarginatum, ore nigro. Thorax parvus, quam latus vix longior, basi apiceque sinuatus, lobis ocularibus magnis; supra valde convexus, sub-gibbus, obsolete granulosus, lutescenti-albidus, linea dorsali alba impressa, punctisque duobus apicalibus nigris. Scutellum oblongum, convexum, album. Elytra magna, humerorum angulis dilatatis, itaque basi plus duplo latiora quam thorax, illoque triplo longiora, postice sensim angustata, apice prominulo; valde gibba, sutura elevata, striis angustis costisque obsoletis; colore sordide albido, immixto luteo, punctis fuscis nigrisque irregulariter sparsis, præsertim in dorso. Corpus subtus pedibusque albis; femoribus posticis externe macula nigra notatis. — DALM.

* 9. R. MANNERHEIMII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense niveo-squamosus, thorace canaliculato, albo-variegato, elytris costatis, albo-squamosis, confertim nigro-tessulatis.

Habitat in Brasilia. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

R. tribuloide dimidio minor. Caput breve, convexum, confertissime punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense albo-squamosa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, subtus acuminati, brunnei; rostrum capite paulo longius, valde crassum, triangulare, basi sub-constrictum, supra antice late canaliculatum, posterius utrinque carinulis binis obliquis, abbreviatis, instructum; punctulatum, nigrum, undique albido-squamosum, ore nigro. Antennæ thoracis basin attingunt, nigræ, albido-squamosæ, clava oblonga,

acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine paulo brevior, antice latior, apice late et sat profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus ante medium ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, valde inæqualis, intra apicem transversim impressus, in medio late et profunde canaliculatus, confertim punctulatus et tuberculis elevatis, remotis adspersus; niger, lateribus late, canali medio et litura difformi utrinque albo-squamosis; in singulo latere maculæ tres nigræ, anterior oblonga, transversa, posteriores rotundæ, pares. Scutellum oblongo-ovatum, nigrum, punctatum. Elytra ampla, in ipsa basi thoracis postico latitudine æqualia et illi arcte applicata, sed mox pone basin valde ampliata, humeris elevatis, rotundatis; apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, punctato-sulcata, interstitiis omnibus elevato-costatis; confertim punctulata, nigra, lateribus et postice niveo-squamosa, in dorso anteriore squamulis ferrugineo-tinctis, reticulatim in lineas angustas digestis insignita, interjectis maculis quadratis nudis, nigris, unde quasi nigro-tessulata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis densis niveis omnino tectum. Pedes mediocres, nigri, squamulis niveis tecti, femoribus omnibus externe macula parva nigra notatis.—GHL.

Dom. C. G. MANNERHEIM. Comes, Consiliarius Colleg., Ord. S. Wladimiri IV classis Eques. Vir de litterarum disciplina bene meritus laudibusque ornatus Auctor. Adjumenta huic operi perficiendo studiose impertivit. Sensus beneficiorum et amicitia jubent, gratias illi justissimas referri.—SCHH.

* 10. R. FISCHERI. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis densis cinereo-albidis, metallico-micantibus vestitus, thorace confertim tuberculato, elytris remote punctato-striatis, punctis ocellaribus interstitiis inæqualiter tuberculatis.

Patria : Brasilia. Mus. Reg. Acad. scient. Holm. et Mus. Dom. FALDERMANN.

Plintho Megerlei facie non dissimilis, et illo parum major. Caput rotundatum, convexum, punctatum, nigrum, squamulis rotundatis, depressis, cinereo-albidis, metallico-micantibus vestitum, fronte inter oculos foveola oblonga impressa; oculi perpendiculares, oblongi, inferne acuminati, sub-depressi, nigri; rostrum capite longius et angustius, crassum, angulatum, supra canaliculatum, punctatum, nigrum, similiter ac caput squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ, squamulosæ. Thorax transversus, an-

tice angustior, apice late et profunde sinuato-emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, confertim tuberculatus, in medio leviter canaliculatus, niger, squamulis metallico-nitidis vestitus setisque fuscis adspersus. Scutellum sub-triangulare, dense pallido-squamosum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi duplo latiora, humeris oblique protensis; pone humeros non ampliata, versus apicem attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, punctis squamula albida umbilicatis, interstitiis plerisque, suturali excepto, tuberculis subconicis, majoribus et minoribus mixtis, sub-seriatis adspersis; nigra, squamulis densis, aut cinereo-albidis, aut aurichalceis nitidis vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense pallescenti-squamosum. Pedes validi, dense pallido-squamosi et setosi, femoribus clavatis, muticis, tibiis arcuatis, tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

Dom. GOTTHELF FISCHER, WALDHEIMENSI. Acad. Caes. Mosquensis vices Præsidis sustinens, Consiliarius Status Act. Ord. S. Annæ et S. Wladimiri IV classis Eques, etc. Auctor historiæ naturalis in Russia illustrissimus. Multis litterariis scriptis nomen suum perpetuæ memoriæ commendavit; pluribusque favoris et benevolentiæ documentis me sibi devinctissimum reddidit. —SCHH.

GENUS 54. POLYTELES. *Nobis* (1).

POLYDIUS. Nob. olim (2).

Character generis.—Antennæ longæ, sub-fractæ, articulis funiculi obconicis, sub-æqualibus; clava valde elongata, angusta.

Rostrum breve, crassum, teretiusculum.

Oculi sub-rotundati, maximi, prominuli.

Thorax elytris multo angustior, sub-quadratus, antice juxta apicem valde constrictus.

Elytra magna, valde convexa, humeri valde prominuli, angulati.

Observ.—Corpus majoris magnitudinis, breviusculum, crassum, durum, alatum.

(1) A πολυτελής exquisitus, magnificus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 82. n° 36. —Nomen *Polydius*, antea ab Illustr. Com. Dejean usitatum; quare mutandum.

* 1. P. STEVENI. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, squamulis cœruleis undique tectus, thorace macula media, elytrorum humeris maculisque octo nigro-squamosis, elytris tenuiter punctato-striatis.

Polydius Steveni. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 83.

Habitat in Brasilia. A Celeb. Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Rhigo tribuloide brevior, sed in elytris multo latior. Caput breve, latum, postice in medio convexum, inter oculos fovea profunda impressum, confertim subtilissime punctulatum, nigrum, squamulis læte cœruleis tectum, macula frontali indeterminata, nuda; oculi sub-ovati, prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite vix longius sed angustius, crassum, apice triangulariter emarginatum, supra posterius convexum, confertim punctatum, nigrum, squamulis cœruleis et viridibus mixtis adspersum. Antennæ capite cum thorace longiores, totæ nigræ et nigro-pilosæ, clava valde elongata, sub-acuminata. Thorax parvus, latitudine multo brevior, apice late, sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus parvis, sub-acuminatis; intra apicem profunde constrictus, lateribus mox pone stricturam, ante medium, valde rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, squamulis densis cœruleis et viridibus mixtis, adspersus; in medio dorsi anterioris macula, anterius rotundata, posterius acuminata, nigra, fusco-squamosa. Scutellum demersum, oblongo-triangulare, apice obtusum, punctatum, nigrum, parce cœruleo-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi duplo latiora, humeris valde prominulis, angulatis, basi interiore singulatim rotundato-producta, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace fere quintuplo longiora, supra valde convexa, remote et parum profunde striatim punctata, interstitiis latis, planis, subtilissime granulatis; nigra, squamulis læte cœruleis et viridibus mixtis omnino tecta; in ipso tuberculo humerali macula triangularis nigro-squamosa; ante medium disci singuli elytri, versus suturam, macula ovata, obliqua; pone medium, etiam juxta suturam, altera sub-rotunda et his oppositæ versus marginem aliæ duæ oblongæ, minores, omnes nigro-squamosæ. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, squamulis cœruleis et viridibus mixtis tectum. Pedes validi, nigri, punctati, squamulis cœruleis tecti, tarsis dilatatis, subtus ferrugineo-spongiosis. — GHL.

Dom. C. STEVEN. Consiliarius Status, Eques, etc. Vir doctrina et scriptis æstimatissimus, qui multa adjumenta huic operi augendo munifice dicavit, simulque multos per annos benignitate et favore suo me dignatus est.—SCHH.

GENUS 55. ENTIMUS. *Germar.*

Entimus GERM., DEJEAN, BILLB., STURM., SCHH. (1). — *Curculio* LATR. (2) et Auct. reliqu.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ, manifeste fractæ; articuli primi funiculi insequentibus paulo longiores, subobconici; clava elongata, subconica.

Rostrum breve, crassum, angulatum, apice valde incrassatum.

Oculi sub-rotundati, aliquantulum prominuli.

Thorax oblongus, elytris multo angustior, supra canaliculatus.

Elytra ampla, sub-triangularia; humeri acutangulati, prominuli.

Tibiæ sub-cylindricæ, rectæ, apice muticæ.

Observ. — Corpus majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, crassum, postice attenuatum, alatum.

* 1. E. SPLENDIDUS.

Oblongo-ovatus, supra valde convexus, niger, thorace linea dorsali viridi-aurea impressa, lateribus remote tuberculatis, aureo-squamosis, elytris minus regulariter punctato-striatis, confertim viridi-aureo-maculatis, interstitiis angustis, sub-costatis.—BHN.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 92.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 507. n° 2.—*Ent. syst.* I. II. p. 448. n° 230.

HERBST. *Col.* VI. p. 227. n° 190. T. 76. f. 3.

Curculio fastuosus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 294. n° 320. T. 5. f. 51. — *Enc. méth.* V. p. 524. n° 235.

Patria : Brasilia.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 83. n° 37

(2) Latr. Régne Anim. p. 391. — Id. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. [illegible]

* 2. E. IMPERIALIS.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, thorace linea dorsali viridi-argentea impressa, lateribus confertim ruguloso-granulatis, viridi-aureo-squamosis, elytris regulariter sat rude punctato-striatis, punctis squamulis viridi-aureis repletis, interstitiis angustis, sub-costatis, denudatis.—BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 508. n° 3.—*Ent. syst.* I. II. p. 449. n° 231.—*Mant.* I. p. 110. n° 160.—*Spec. ins.* I. p. 184. n° 129.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 293. n° 319. T. 1. f. a. b. c.—*Enc. méth.* V. p. 524. n° 236.

HERBST. *Col.* VI. p. 224. n° 188. T. 76. f. 1. — *Id.* in BOROWSKI *Naturg.* VI. p. 113. n° 13. T. 14. f. 5.

DRURY. *Ins.* II. p. 62. T. 34. f. 1.

STURM. *Ins. cabin.* II. Tab. 14.

FORST. *Cent. ins.* p. 34.

CUVIER. *Règne anim.* III. p. 326.—*Id.* DYR. *Hist.* II. p. 175. n°. 5.

LINDENBERG. *Naturf.* X. p. 86. T. 2. f. 1.

BLUMENB. *Handb.* Ed. 7. p. 328. n° 8.

GMELIN, LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1781. n° 349.

Observ.—Variat duplo minor et ultra.

Patria : Brasilia.

* 3. E. NOBILIS.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, thorace linea dorsali viridi-argentea impressa, lateribus confertim rugoso-tuberculatis, viridi-argenteo-squamosis, elytris regulariter minus profunde punctato-striatis, punctis squamulis viridi-argenteis repletis, interstitiis angustis, sub-costatis, crenatis, denudatis.—BHN.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 295. n° 322. T. 20. f. 263. et Tab. 5. f. 57.—*Enc. méth.* V. p. 525. n° 237.

HERBST. *Col.* VI. p. 228. n° 191. T. 76. f. 4.

Observ. — *Ent. imperialis* magnitudine fere æqualis, sed variat etiam triplo minor et ultra. —Interdum totus ater, minime squamosus; detritus certe.

Patria : Brasilia.

* 4. E. GRANULATUS.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, squamulis viridi-cœrulescentibus tectus, thorace canaliculato, lateribus ruguloso, elytris apice muticis, anguste obsolete punctato-striatis, interstitiis sub-costatis, atro-granulatis, humeris modice prominentibus.—BHN.

Curculio id. LINN. Mus. Lud. Ulr. p. 61. n° 20.—*Syst. nat.* I. II. p. 618. n° 93.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1792. n° 93.

Curculio sumptuosus. FABR. *Syst. el.* II. p. 508. n° 4.—*Ent. syst.* I. II. p. 449. n° 232.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 294. n° 321. T. 1. f. 13. — *Enc. méth.* V. p. 525. n° 238.

HERBST. *Col.* VI. p. 226. n° 189. T. 76. f. 2.

Patria : America meridionalis, Cayenna.

5. E. DIVES (1).

Virescens, thoracis lateribus maculaque baseos elytrorum cupreis. — OLIV.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 296. n° 324. T. 18. f. 233.

Patria : America meridionalis.

GENUS 56. GONIPTERUS. *Nobis.*

Brachysoma. DEJEAN, LATR.

Character generis. — Antennæ mediocres; articuli funiculi sub-obconici; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum breve, crassum, angulatum; scrobs profunda, subito curvata.

Oculi sub-ovati, modice prominuli.

Thorax elytris dimidio angustior, antrorsum sensim attenuatus, basi bi-sinuatus, ante scutellum productus.

Elytra sub-triangularia; humeri angulati, prominuli.

Tibiæ crassiusculæ, intus crenulatæ, apice intus uncinatæ.

Descriptio. — *Corpus* mediocris magnitudinis, sub-ellipticum, crassum, postice attenuatum, alatum. — *Antennæ* thoracis basin attingentes, versus apicem rostri insertæ, fractæ, sub-tenues, 12-articulatæ; articulo 1° elongato, clavato, oculos attingente, 2° brevi, sub-clavato, apice crasso, 3-8 obconicis, gradatim brevioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.—*Rostrum* breve, crassum, angulatum, deflexum, apice erosum; scrobe profunda, jam mox curvata, in inferiore parte rostri juxta oculum excurrente.—*Oculi* sub-perpendiculares, ovati, modice prominuli. — *Thorax* latitudine postica paulo longior, elytris dimidio angustior, antrorsum sensim attenuatus, basi profunde bi-sinuatus, ante scutellum productus,

(1) Verisimile hujus generis; mihi invisus.

supra convexus, apice leviter emarginatus, pone oculos vix lobatus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* trigonum. —*Elytra* ampla, thorace plus triplo longiora, sub-triangularia, basi singulatim rotundata, ab humeris versus apicem sensim attenuata, supra convexa præsertim anterius, apice singulatim breviter mucronata, anum obtegentia, prope marginem sub humero tuberculo subconico instructa; humeris sub-angulatis, valde prominulis.— *Pectus* utrinque inter pedes quatuor posticos callo compresso munitum.—*Pedes* robusti, sub-æquales, antici basi approximati; femoribus versus apicem parum incrassatis, muticis; tibiis teretibus, crassiusculis, intus crenulatis, apice interiore unco minuto armatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo unguiculari clavato, brevi, biunguiculato.

TYPUS : — *G. lepidotus.* Nobis.

A γωνία angulus, πτερὸν ala.

Observ. — Habitus quodammodo specierum generis *Entimi*, sed forma scrobis alia, thoracis lobus posticus productus et pedum crassities sub-æqualis, ab illis bene distinguunt, differentias alias ut taceam.

* 1. G. LEPIDOTUS. *Schh.*

Ellipticus, ater, squamulis albidis adspersus, antennis fusco-ferrugineis, thorace confertim ruguloso, vitta media albido-squamosa, elytris amplis, oblongo-triangularibus, anterius remote punctato-striatis, humeris tuberculoque laterali elevatis, apice singulatim sub-acuminatis.

Patria : Nova Hollandia. Mus. SCHH.

Statura fere *Entimi nobilis*, sed triplo minor. Caput rotundatum, posterius convexum, obsolete punctatum, fronte inter oculos canaliculata, rugoso-tuberculata; nigrum, squamulis depressis, lanceolatis, albidis adspersum; oculi ovati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum capite angustius et fere brevius, crassum, angulatum, supra planum; rugoso-tuberculatum, atrum, squamosum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, sub-tenues, fusco-ferrugineæ, albido-pilosæ et pubescentes. Thorax parvus, apice leviter emarginatus, lateribus perparum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, confertim ruguloso-tuberculatus, ater, squamulis depressis, angustis, albidis, in vitta media, postice latiore magis condensatis vestitus. Scutellum oblongum, elevatum, apice rotundatum, dense albo-squamosum. Elytra ampla, antice

singulatim rotundato-producta, thoracis basi fere duplo latiora, humeris alte elevatis, prominulis, pone humeros versus apicem sensim angustata, sub-triangularia, apice singulatim sub-acuminata, seu tuberculo parvo squamoso aucta, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, a basi ultra medium punctato-striata, punctis majusculis, remotis, squamula albida sub-ocellatis; interstitiis ruguloso-scabris, secundo a sutura antice alte elevato, sub-cristato; atra, opaca, squamulis minutis albidis adspersa, ambitu scutelli dense albo-squamoso; in utroque latere, pone callum humeralem, tuberculum subconicum, atrum, nitidum observatur. Corpus subtus fere planum, punctatum, fusco-piceum, dense albo-squamosum; in singulo latere pectoris, ante pedes posticos, callus transversus, compressus, alte elevatus. Pedes validi, nigri, scabri, dense albido-squamulosi.—GHL.

* 2. G. SCUTELLATUS. *Hope.*

Ellipticus, ater, squamulis rigidis ochraceis et albidis adspersus, antennis fusco-ferrugineis, thorace confertim ruguloso, vitta media densius squamosa, elytris amplis, oblongo-triangularibus, anterius remote punctato-striatis, humeris tuberculoque laterali elevatis, apice conjunctim rotundatis.

Nov. Gen. *Scutellatus*. Dom. HOPE *in Litteris.*

———— *Suturalis*. LATR. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Nova Hollandia. A Dom. HOPE et Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

G. lepidoto simillimus et nimis affinis, forte modo sexu distinctus; differt tantum magnitudine paulo minori, elytris apice conjunctim rotundatis et squamularum colore. Caput punctatum, atrum, posterius albido-squamulosum, fronte impressa, rugulosa, dense ochraceo-squamosa; oculi ovati, nigro-brunnei, prominuli; rostrum capite fere brevius, valde crassum, angulatum, supra sub-impressum, rugulosum, nigrum, dense ochraceo-squamosum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, sub-tenues, fusco-ferrugineæ, albido-setosæ. Thorax parvus, latitudine brevior, antice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus vix ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim ruguloso-tuberculatus, ater, versus latera parce albido-squamulosus, in medio vitta, posterius latiore, dense ochraceo-squamosa notatus. Scutellum oblongum, elevatum, apice rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra ampla, antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi fere duplo latiora, humeris alte elevatis,

prominulis; pone humeros sensim angustata, sub-triangularia, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra anterius convexa, posterius declivia, a basi ultra medium remote punctato-striata, striis posterius evanescentibus, interstitiis confertissime granulatis seu alutaceis, secundo a sutura antice elevatiore, sub-cristato; atra, squamulis angustis albidis parce adspersa, in striis et versus apicem squamositate densiore ochracea vestita; in utroque latere, pone callum humeralem, tuberculum sub-conicum, nigrum, nitidum observatur. Corpus subtus punctulatum, nigro-piceum, squamositate densa albida tectum; in utroque latere pectoris ante pedes posticos, callus sub-conicus, elevatus cernitur. Pedes validi, nigri, scabri, dense albido-squamulosi.—GHL.

* 3. G. SUTURALIS. *Hope.*

Ellipticus, ater, opacus, supra parce albido-squamulosus, vitta lata thoracis suturaque elytrorum densius et albidius squamosis, thorace distinctius ruguloso, elytris ad apicem usque remote punctato-striatis, apice singulatim sub-acuminatis.

Rhigus id. Dom. HOPE *in Litteris.*
Brachysoma suturalis. DEJ. *Cat. Col.* p. 96. forte.

Patria : Nova Hollandia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

G. lepidoto et *scutellato* simillimus, et huic magnitudine æqualis; ab utroque tamen differt, striis elytrorum ad apicem usque productis et sutura elytrorum tota albo-squamosa. Caput punctatum, nigrum, squamulis angustis albidis adspersum, posterius convexum, fronte plana, sat profunde sulcata; oculi ovati, nigro-brunnei, prominuli; rostrum capite brevius, crassum, angulatum, supra planum, rugoso-punctatum, atrum, squamulis albidis adspersum. Antennæ thoracis basin attingunt, sub-tenues, nigro-piceæ, parce albido-setosæ. Thorax parvus, latitudine paulo brevior, antice leviter emarginatus, lateribus perparum ampliatus, basi profunde bisinuatus, supra minus convexus, distincte rugulosus, ater, lateribus disperse albido-squamulosus, in medio vitta lata, densius et albidius squamosa ornatus. Scutellum oblongum; apice rotundatum, dense albo-squamosum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi fere duplo latiora, humeris alte elevatis, prominulis, sub-reclinatis, lateribus pone humeros sensim angustata, sub-triangularia, apice conjunctim rotundata, cum acumine parvo, setoso interne in singulo; thorace quadruplo longiora, su-

pra modice convexa, ad apicem usque striata, stria suturæ proxima reliquis profundiore, omnibus remote, sat rude punctatis, punctis plerisque setula albida sub-ocellatis, interstitiis granuloso-scabris, secundo a sutura antice elevatiore, sub-cristato; atra, squamulis minutis albidis adspersa; sutura tota anguste densius et albidius squamosa; in margine laterali, pone callum humeralem, tuberculum parvum, elevatum, atrum. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albo-squamosum; callus elevatus ad latera pectoris obsoletior quam in prioribus. Pedes validi, nigri, scabri, dense albido-squamulosi.—GHL.

SUBDIVISIO 2.—Corpus oblongum, apterum; humeri sub-rotundati.

GENUS 57. HIPPORHINUS. *Nobis* (1).

Hipporhis BILLB. — *Bronchus* GERM., DEJ., LATR. (2). — *Curculio* Auctor. reliquor.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, sub-tenues; scapus oculos non superans, clavatus; articuli primi funiculi longiusculi, reliqui breviores, omnes sub-obconici; clava oblongo-ovalis.

Rostrum sub-elongatum, apice crassius.

Oculi ovati, depressi.

Thorax lateribus aut rotundatus, aut utrinque spinosus, pone oculos manifeste lobatus.

Scutellum aut nullum, aut minutum.

Elytra oblongo-ovata, coadunata, rigida, scabra.

Observ.—Corpus aut majoris aut mediocris magnitudinis, elongatum, scabrosum, sæpius tuberculatum vel spinosum, obscurum, apterum.

STIRPS I. — Rostrum ad basin non abscissum.

Manipulus I. —Thorax utrinque spinosus.

1. H. PILULARIUS. ♂

Oblongo-ovatus, niger, convexus, parce albido-squamulosus, thorace confertim tuberculato, utrinque sub-spinoso, elytris apice oblique acuminatis, singulo seriebus sex tuberculorum insignito.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 194. nº 38. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 597.

Observ. — Plures species hujus generis scutello distincto præditæ sunt, ut *H. Spectrum, Abruptecostatus, Tribulus, Nodulosus, Infacetus*, etc.

(2) Latr. Règne Anim. p. 394.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 537. n° 182. — *Ent. syst.* I. II. p. 482. n° 371.—*Mant.* I. p. 121. n° 266.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 391. n° 472. T. 9. f. 99. — *Enc. méth.* V. p. 549. n° 351.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1791. n° 412.

Curculio armillatus. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 44. n° 10. a.?

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 563. n° 9.?

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1753. n° 164.?

Patria : Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

E maximis hujus phalangis, pollicaris; variat tamen magnitudine. Caput breve, minus convexum, nigrum, parce punctatum, in vertice fusco-squamosum; in medio frontis lineola parva impressa; oculi oblongi, glauci; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, basi leviter constrictum, supra anterius fere planum, versus os late canaliculatum, totum nigrum, ad latera granulato-punctatum; in singulo latere striæ duæ impressæ, superior magis obsoleta, punctata, inferior profunda, longior. Antennæ thoracis basin non attingunt, piceæ, pilosæ, modice crassæ, clava ovato-acuminata. Thorax latitudine brevior, antice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus prominulis, lateribus ampliatus et in medio laterali spina obtusa, tuberculata armatus; basi truncatus, angustior, supra modice convexus, niger, squamulis albidis in cavitatibus adspersus; tuberculis plurimis magnis, plerisque semi-globosis, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis, abs ordine digestis, ornatus; in medio dorsi canalicula squamosa, tuberculis libera, carinula elevata nigra insignita. Scutellum parvum, depressum, nigrum, albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, thorace quintuplo longiora, apice singulatim appendice sub-conico, divaricato, aucta; supra convexa, nigra, squamulis albidis, interdum orichalceo-micantibus, inæqualiter variegata; in singulo elytro series sex e tuberculis majusculis, anterioribus semi-orbiculatis, posterioribus obtuse conicis, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis; tubercula seriei interioris seu suturæ proximæ posterius, reliquis altiora, magis approximata, conica; series marginalis sat regularis, tuberculis plerisque obtuse conicis; series vero intermediæ minus regulares, tuberculis paucioribus constantes; inter series tuberculorum, puncta profunde impressa, seriata observantur. Corpus subtus nigrum, nitidum, obsolete punctulatum, squamulis pallide orichalceis maculatim adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus punctatis, ante apicem annulo albo-

squamoso cinctis; tibiis scabris, pilosis, subtus remote denticulatis, anticis longioribus, arcuatis.—GHL.

* 2. H. PASTILLARIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, convexus, parcius fusco-squamosus, thorace confertim tuberculato, utrinque sub-spinoso, elytris apice oblique acuminatis, singulo seriebus quatuor tuberculorum insignito.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SPARRM. Mus. Reg. Acad. scient. Holm. e Mus. PAYK. et Mus. SCHH. a Dom. HOPE benevole communicatus.

H. pilulario magnitudine, statura, colore, etc., simillimus et nimis affinis, seriebus tantum quatuor tuberculorum in singulo elytro, fere unice distinctus. Caput, rostrum, oculi, antennæ, omnino ut in illo. Thorax etiam quoad formam et tubercula simillimus, sed indumentum pulvereo-squamosum in cavitatibus magis obscurum, fusco-brunneum. Elytrorum forma eadem; indumentum fundi ut in thorace, sed tubercula elevata in singulo elytro series tantum quatuor sat regulares constituunt; prima in interstitio secundo a sutura, posterius elevatior, tuberculis approximatis, conicis; secunda in tertio interstitio, tuberculis posterioribus remotis; tertia in quinto et quarta in septimo interstitio, tuberculis plerisque conicis; tubercula minora præterea ad suturam et in disco sparsa. Corpus subtus nigrum, punctatum, parce inæqualiter cinereo-squamosum. Pedes ut in *H. pilulario*.—GHL.

3. H. SPECTRUM. *♀

Oblongo-ovatus, convexus, niger, squamulis densis cinereo-albidis variegatus, rostro profunde sulcato, thorace parcius, inæqualiter tuberculato, utrinque spinoso, elytris tuberculis parvis, sub-seriatis adspersis, apice appendiculatis.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 537. n° 181.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

E maximis generis, pollicaris et ultra, sed variat magnitudine, usque ad duplo minorem. Caput breve, nigrum, sub-punctatum, vertice elevato, orichalceo-squamuloso; frons in medio obsolete impressa; oculi oblongi, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, valde arcuatum, supra secundum totam longitudinem profunde et late canaliculatum, canali ad basin ampliato; in singulo latere striæ duæ impressæ, superiore parva, interdum obsoleta; totum nigrum, vix punctatum, squamulis

cinereis parce adspersum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, nigræ, sub-pilosæ, clava acuminata fusco-pubescente. Thorax latitudine brevior, antice late sinuato-emarginatus, lateribus fere angulatim ampliatus, spina obtusa, tuberculata armatus, basi angustior, truncatus; supra parum convexus, inæqualis, intra apicem calloso-elevatum transversim impressus; niger, squamulis cinereis vel flavescentibus in omni cavitate tectus; in medio dorsi canalicula obsoletior et in hac carinula elevata, nigra, abbreviata; tubercula majora et minora, nigra, nitida, superne setam gerentia, in reliqua superficie remotius sparsa, quorum unum utrinque versus medium anterius reliquis majus, difforme. Scutellum parvum, immersum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace quintuplo longiora et ultra, apice singulatim tuberculo brevi divaricato aucta; supra convexa, nigra, profunde et remote striato-punctata, squamulis densis cinereo-albidis tecta, relictis plagis irregularibus transversis nudis, nigris; tubercula parva, nigra, setifera, seriatim disposita, in interstitiis secundo, tertio, quinto et septimo a sutura; series intima juxta suturam posterius tantum dimidiata, tuberculis parvis, coarctatis constans; in serie secunda et tertia tubercula paulo majora, sed pauciora, remota; series marginalis fere continua, tuberculis parvis constans. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, parce squamulosum. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus punctulatis, ante apicem annulo albido-squamoso cinctis, tibiis scabris, pilosis, subtus ciliatis.—Ghl.

4. H. Abruptecostatus.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, squamulis densis cinereo-albidis variegatus, canali rostri posterius attenuato, thorace parcius inæqualiter tuberculato, utrinque sub-spinoso, elytris apice oblique acuminatis, singulo costis sub-quatuor elevatioribus tuberculatis.

Curculio armillatus, var. β Sparrm. *Acta Holm.* 1785. I. p. 45. n° 10. Tab. 2. f. 10.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Sparrm. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Mus. Payk.

H. spectro magnitudine, colore et facie simillimus, sed differt: canalicula rostri basi non dilatata sed attenuata, et interstitiis elytrorum multo elevatioribus, sub-costatis, etc.—Caput breve, convexum, sub-punctatum, nigrum, squamulis piliformibus fusco-testaceis adspersum, fronte inter oculos obsolete impressa; oculi

oblongi, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, valde arcuatum, basi constrictum, supra canaliculatum, canali ad apicem lato et profundo, versus basin sensim attenuato; totum nigrum, vix punctatum. Antennæ ut in *H. spectro*. Thoracis structura, color, tubercula, indumentum et omnia ut apud *H. spectrum* descripta. Scutellum parvum, triangulare, sub-depressum, nigrum, squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed pone humeros obliquos sensim valde ampliata, thorace quadruplo longiora, apice singulatim in acumen validum, conicum producta; supra convexa, dorso tamen anterius magis plano; remote et inæqualiter punctato-striata, nigra, squamulis cinereo-albidis in cavitatibus adspersa; interstitia 2, 3, 5 et 7, a sutura valde elevata, sub-costata, secundum posterius tantum, reliquis altius, tuberculis conicis, simplici fere serie obsitum; tertium a basi ultra medium et quintum adhuc longius, latiora, tuberculis plurimis, minoribus, inordinatis obtecta; septimum secundum totam longitudinem tuberculis majoribus, magis remotis, notatum; tubercula omnia supra poro setifero instructa. Corpus subtus et pedes ut in *H. spectro*.—GHL.

* 5. H. CONDECORATUS. *Schh.*

Oblongus, angustior, niger, parce cinereo-squamosus, thorace tuberculato, lateribus angulato, in medio late canaliculato, elytris sub-seriatim tuberculatis, apice singulatim acuminato-spinosis, spinis sub-convergentibus.

Curculio globifer. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 482. n° 370. VAR. « Thorace utrinque unispinoso. » Forte?

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

H. pilulario parum brevior, sed angustior. Caput breve, punctatum, nigrum, parce fulvescenti-tomentosum, in medio frontis canalicula brevi impressum; oculi laterales, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite angustius, longitudine fere thoracis, sub-arcuatum, apice incrassatum et nigro-pilosum, supra fere planum, versus apicem late impressum, undique granulis elevatis piliferis adspersum, relicta linea media angusta lævi; in singulo latere striæ duæ impressæ, præter scrobem. Antennæ mediocres, nigræ et nigro-pilosæ, clava angusta, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine vix longior, antice profunde sinuato-emarginatus, lateribus in medio angulatim ampliatus, basi truncatus, supra convexus, punctatus, niger, squamulis depressis cinereis in

cavitatibus adspersus, tuberculisque plurimis semi-globosis, glabris, nigris, supra poro setifero instructis obsitus; in medio laterum utrinque tuberculum conicum angulum coronat; in medio dorsi fovea longitudinalis impressa, medio ampliata, dense albido-squamosa, absque carinula elevata. Scutellum parvum, depressum rotundatum, dense cinereo-squamulosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustata, apice singulatim acuminata, spina porrecta, apice sub-incurva, terminata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, confertim ruguloso-punctata, nigra, squamulis cinereis in cavitatibus adspersa, tuberculisque plurimis glabris, atris, nitidis, supra poro setifero instructis, seriatim digestis, notata; nempe, in singulo elytro, juxta basin interiorem duo approximata, tertium in medio et quartum paulo posterius, juxta suturam; in interstitio tertio a sutura series integra, anterius tuberculis minoribus, obtusis, fere contiguis, versus apicem vero majoribus, conicis, remotis composita; in reliquo disco tubercula pauciora, sparsa, et versus angulum lateralem iterum series magis regularis e tuberculis remotis. Corpus subtus punctatum, nigrum, parce albido-squamulosum. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, femoribus cinereo-squamulosis, tibiis tarsisque dense pilosis.—GHL.

6. H. TURPIS. *Schh.* (1).

Thorace utrinque spinoso noduloso, elytris tuberculato-striatis, apice acuminatis. — HERBST.

Curculio pilularius. HERBST. *Col.* VI. p. 305. n° 278. T. 84. f. 2.
Patria : Cap. Bonæ Spei.

Manipulus II. — Thorax utrinque rotundatus, haud spinosus.

7. H. GLOBIFER (2).

Thorace scabro, elytris spinosis, postice acuminatis. — FABR.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 536, n° 180. — *Ent. Syst.* I. II. p. 482. n° 370. — MANT. I. p. 121. n° 265. — *Spec. Ins.* I. p. 196. n° 205. — *Syst. ent. App.* p. 823.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1790. n° 411.
VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 62. T. 38. f. 27. ?

Patria : Cap. Bonæ Spei.

---

(1) Mihi invisus; haud *Curc. pilularius.* Fabr.
(2) Mihi invisus.

* 8. H. TUBERIFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, dense cinereo-alboque squamosus, thorace confertim tuberculato, elytris ovatis, tuberculis plurimis parvis sub-seriatis adspersis, apice oblique acuminatis.

Curculio globifer. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 388. n° 467. T. 11. f. 135. *Enc. méth.* V. p. 548. n° 350.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

Magnus, fere pollicaris. Caput breve, convexum, nigrum, punctatum, pilis rigidis, depressis, fulvis tectum, in fronte antice canalicula brevi impressum; oculi laterales, oblongi, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, versus apicem dilatatum et incrassatum, supra anterius planum, versus apicem late canaliculatum, totum nigrum, medio longitudinaliter læve, nudum, lateribus punctatum, pilisque minutis fulvis adspersum. Antennæ vix thoracis basin attingunt, parum crassæ, fusco-piceæ, pilosæ, clava oblonga pubescente. Thorax latitudine non longior, antice late emarginatus et sub-bisinuatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, posterius paulo angustior, basi truncatus, supra modice convexus, niger, squamulis cinereis in cavitatibus et canali medio tectus, tuberculis plurimis magnis nigris nitidis, superne poro setifero instructis, absque ordine digestis, adspersus; latera inflexa superne albo-squamosa, inferius nigro-maculata. Scutellum minutum, depressum, dense albo-squamosum. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi paulo latiora, ante medium ampliata, dein versus apicem angustata, thorace quintuplo longiora, apice singulatim tuberculo crasso, subconico aucta; supra valde convexa, nigra, squamulis densis fusco-cinereis tecta, immixtis signaturis albo-squamosis, præsertim anterius et ad latera; in singulo series tres sat regulares e tuberculis minoribus numerosis, circiter viginti in singula serie, anterioribus approximatis, obtusis, posticis subconicis, magis remotis, et præterea tubercula parva sparsa in interstitiis. Corpus subtus nigrum, vix punctatum, squamulis albis irroratum. Pedes mediocres, nigri, flavescenti-pilosi.— GHL.

* 9. H. MISUMENUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, minus convexus, niger, fusco-squamosus, thorace confertim tuberculato, elytris apice sub-spinoso-appendiculatis, dorso tuberculis paucioribus, sub-seriatis, posterioribus conicis, acutis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

H. globifero paulo minor, minus convexus. Caput breve, nigrum, parce punctatum, fulvo-pubescens, fronte non canaliculata; oculi laterales, oblongi, nigro-brunnei, iride fulvo-pilosa cincti; rostrum vix longitudine thoracis, sub-arcuatum, apicem versus ampliatum, et incrassatum, supra obsolete carinatum, versus apicem late canaliculatum, totum nigrum, lateribus punctatum, striis duabus utrinque impressum, parce fulvo-pilosum. Antennæ breviusculæ, parum crassæ, piceæ, pilosæ, clava angusta, conica. Thorax latitudine vix longior, antice late emarginatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, basi angustior, truncatus, supra parum convexus, intra apicem transversim impressus, niger, squamulis fusco-cinereis in omni cavitate tectus, tuberculis plurimis, majoribus et minoribus, nigris, nitidis, setulam e poro centrali gerentibus, absque ordine digestis, adspersus; in plaga angusta dorsali, tuberculis libera, carinula parva, abbreviata. Scutellum minutum, depressum, cinereo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et pone basin ampliata, apicem versus attenuata, thorace quintuplo longiora, apice singulatim in tuberculum conicum acuminatum, subrectum excurrentia; supra convexa, nigra, fusco-squamosa, tuberculisque plurimis, majoribus et minoribus mixtis adspersa, quorum duo in dorso anteriore supra plana, posteriora vero conica, acuminata, remotiora; series duæ solitæ interiores tuberculorum in singulo elytro ægre distingui possunt, propter multitudinem tuberculorum interjacentium, marginalis vero magis regularis; latera inflexa etiam tuberculata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, parce albido-squamosum. Pedes mediocres, nigri, parce fusco-squamulosi, femoribus rugulosis, tibiis subtus pilosis.

Ghl.

* 10. H. Recurvus.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, squamulis albidis undique adspersus, rostro antice impresso, thorace confertim tuberculato, elytris seriato-tuberculatis, apice appendiculo conico, sub-recurvo, auctis.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 535. n° 167.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Schh.

E majoribus; *H. globifero* paulo angustior, sed non brevior. Caput breve, nigrum, obsoletius punctatum, vertice albido-squamoso; in medio frontis canalicula brevis impressa; oculi oblongi, brunnei, sub-depressi; rostrum vix longitudine thoracis, crassum, arcuatum, totum nigrum, squamulis albidis adspersum, supra anterius fere planum, versus apicem longitudinaliter excavatum, ad

latera parce punctatum, utrinque stria inæquali, obsoletiore impressum. Antennæ thoracis basin non attingunt, nigræ, modice crassæ, flagello piloso, clava ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine media non brevior, antice late sinuato-emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, in medio anguste canaliculatus, superficie reliqua tuberculis majusculis sub-hemisphæricis nigris, setiferis, dense obsitus, cavitate omni in fundo albido-squamosa. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, thorace quintuplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso appendice longiore conico, sub-reflexo vel adscendente aucta; supra convexa, nigra, in cavitatibus dense albido-squamosa, tuberculis majusculis, setiferis, triplici serie in singulo elytro notatis, anterioribus oblongis, planiusculis, posterioribus longioribus, conicis, interjectis tuberculis plurimis parvis, etiam sub-seriatis. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, dense albo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, femoribus punctatis, tibiis scabris, pilosis.—GHL.

* 11. H. RUBIFER.

Oblongus, angustior, niger, in cavitatibus albido-squamosus, rostro sub-carinato, basi convexo, thorace seriatim tuberculato, elytris multifariam seriato-tuberculatis, tuberculis rufescentibus, plerisque obtusis, muticis, apicali crasso, conico.

Curculio rubifer. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 389. n° 468. T. 13. f. 159. — *Enc. méth.* V. p. 548. n° 349.

FABR. *Syst. el.* II. p. 536. n° 179. — *Ent. Syst.* I. II. p. 482. n° 369. — MANT. I. p. 321. n° 264. — *Sp. ins.* I. p. 196. n° 204. *Syst. ent. App.* p. 822.

HERBST. *Col.* VI. p. 321. n° 294. T. 85. f. 6.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1790. n° 410.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

H. spiculoso magnitudine et statura sub-æqualis, rostri forma, tuberculis elytrorum humilioribus, obtusis, aliter locatis et coloratis, etc., distinctus. Caput breve, convexum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte antice tenuiter canaliculata; oculi ovati, nigro-brunnei, orbita albo-squamosa cincti; rostrum thorace brevius, extrorsum valde incrassatum, supra versus basin convexum, fornicatum, leviter carinatum, versus apicem impressum, juxta marginem utrinque stria punctata exaratum, parce

punctatum, nigrum, cinereo-albido squamosum. Antennæ mediocres, nigræ, atro-ciliatæ. Thorax latitudine vix brevior, antice sinuato-emarginatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, tuberculis plurimis semi-globosis, nigro-piceis, poro setifero instructis, sub-seriatim digestis, obsitus; in medio canaliculatus, cum carinula humili, angusta, denudata, nigra; niger, in cavitatibus dense albo-squamosus. Scutellum parvum, triangulare, albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed pone basin subito ampliata, posterius attenuata, apice singulatim in tuberculum crassum, conicum excurrentia, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, obsoletissime punctato-striata, nigra, squamis densis cinereo-albidis vestita, tuberculisque numerosissimis rufescentibus adspersa, quorum pauca tantum versus apicem conica, reliqua omnia rotundata aut ovata, obtusa, omnia poro setifero instructa; tubercula ista in singulo elytro series quatuor satis regulares formant, quarum suturæ proxima tuberculis circiter decem majoribus, ovatis, magis remotis composita, tres exteriores vero 18 vel 20, minoribus, coarctatis, rotundatis constant, et præterea tubercula pauca, sparsa inter series exteriores; tuberculum apicale crassum, conicum, rectum. Corpus subtus obsoletissime rugulosum, nigrum, sub-nitidum, squamis albidis adspersum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamulosi et nigro-setosi. — Ghl.

12. H. Spiculosus. *Schh.*

Oblongus, angustior, niger, squamulis albidis cinereisque variegatus, thorace parcius sub-seriatim tuberculato, elytrorum singulo seriebus tribus regularibus tuberculorum instructo, spina apicis conica divergente.

Curculio globifer. Herbst. *Col.* VI. p. 299. n° 272. T. 83. f. 7. (Orig. e Mus. Dom. Schultz. Testante Dom. Schneider.)

Curculio glandifer. Fabr. *Syst. el.* II. p. 537. n° 183. ? — *Ent. Syst.* I. II. p. 483. n° 372.?

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 390. n° 470. T. 9. f. 111.?

Herbst. *Col.* VI. p. 511. n° 551.?

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Ghl.

H. pilulario parum brevior, sed multum angustior. Caput breve, depressum, canaliculatum, parce punctatum nigrum, squamulis albidis adspersum; oculi laterales, oblongi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, sub-rectum, basi capite angustius, versus apicem ampliatum et incrassatum, supra planum, anterius

nonnihil impressum, medio longitudinaliter læve, versus latera punctatum, squamulis angustis, depressis, albidis parce adspersum. Antennæ nigræ et nigro-pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine non longior, antice late emarginatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, obsolete punctatus, niger, squamis depressis albidis in cavitatibus vestitus, et præterea tuberculis majusculis, sub-hemisphæricis, nigris, glabris, supra poro setifero instructis, utrinque in serie quadruplici minus regulari digestis, notatus; in medio dorsi plaga longitudinalis sub-depressa, albido-squamosa, in cujus medio carinula brevis, denudata, nigra. Scutellum parvum, rotundatum, depressum, dense albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, lateribus parum ampliata, posterius attenuata, apice singulatim in spinam conicam, nonnihil divergentem excurrentia, thorace quadruplo longiora, supra convexa, remote seriatim punctata, nigra, squamulis rotundatis albidis et cinereis in cavitatibus vestita, tuberculisque numerosis munita, plerisque conicis, posterioribus sensim longioribus et magis acuminatis; tubercula ista in singulo elytro series tres sat regulares formant, et præterea nonnulla remota juxta suturam et unum alterumve solitarium in disco versus marginem. Corpus subtus remote punctatum, nigrum, squamis albidis parce adspersum. Pedes validi, nigri, parcius albo-squamosi, tibiis nigro-ciliatis, tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

GHL.

* 13. H. NIVOSUS.

Oblongo-ovatus, minus convexus, niger, lineatim albido-squamosus, rostro breviore sub-carinato, thorace sub-seriatim tuberculato, elytrorum tuberculis majoribus, remotis, apicibus conicis divergentibus.

Curculio nivosus. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 45. n° 11. T. 2. f. 11.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 568. n° 39.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1792. n° 423.

Curculio nodulosus. HERBST. *Col.* VI. p. 300. n° 273. T. 83. f. 8.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH. et GHL.

E maximis hujus seriei, ultra pollicem longus, *H. globifero* major, sed minus convexus. Caput breve, minus convexum, nigrum, parce punctatum, squamulis albidis adspersum, fronte sulco brevi insculpta; oculi laterales, oblongi, nigri, parum prominuli, iride albo-squamosa cincti; rostrum thorace brevius, latum, cras-

sum, arcuatum, apice tumidum et ampliatum, supra anterius parum convexum, versus apicem late canaliculatum, in medio obsolete carinatum, totum nigrum, versus latera punctatum, et utrinque linea impressa notatum. Antennæ thoracis basin non attingunt, sub-tenues, nigræ, cinereo-squamulosæ et nigro-pilosæ. Thorax latitudine fere brevior, antice late emarginatus, sub-bisinuatus, lobo medio perbrevi; lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, lineis tribus dorsalibus lateribusque albo-squamosis; tubercula majuscula, hemisphærica, nigra, nitida, supra poro setifero instructa, sub-seriatim disposita, superficiem ornant; series duæ dorsales sub-duplicatæ, laterales antrorsum trifariæ. Scutellum depressum albo-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi latiora et pone basin ampliata, thorace quintuplo longiora et ultra, apicem versus angustiora, apice singulatim tuberculo crasso, subconico, piloso, divaricato aucta; supra in dorso parum convexa, nigra, squamulis albidis, versus latera densioribus tecta; in singulo elytro series tres e tuberculis magnis, nigris, remotis, vix ultra decem in singula serie, posterioribus nonnihil longioribus, sed obtuse tantum conicis; præterea tubercula nonnulla majora et minora sparsa in interstitiis interioribus ut et sub serie marginali. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, squamulis albidis maculatim adspersum. Pedes mediocres, nigri, femoribus rugulosis, anterioribus crassioribus, tibiis rectis, nigro-pilosis.—Ghl.

* 14. H. Sparrmani.

Oblongus, angustior, convexus, niger, squamulis niveis lineatus, rostro sulcato, thorace elytrisque seriato-tuberculatis, horum apice appendiculo acuminato, adscendente aucto.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Westermann. Mus. Schh.

Medius in hac serie. Caput breve, nigrum, parce punctatum, niveo-squamulosum, fronte profunde sulcata; oculi oblongi, nigro-brunnei, parum prominuli, iride niveo-squamosa cincti; rostrum longitudine fere thoracis, sub-arcuatum, apice nonnihil latius et crassius, supra secundum totam longitudinem profunde canaliculatum, nigrum, punctatum, squamulis niveis parce adspersum. Antennæ thoracis basin non attingunt, tenues, nigræ, albo-squamosæ et nigro-pilosæ, clava subconica fusco-pubescente. Thorax latitudine fere brevior, antice late emarginatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra modice convexus, niger, lineis tribus dorsalibus late-

ribusque niveo-squamosis; in linea dorsali carinula abbreviata, nuda, nigra et utrinque series duæ sub-trifariæ e tuberculis alte elevatis, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis. Scutellum depressum, apice albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, dein parum ampliata, thorace quintuplo longiora, apicem versus angustiora, apice singuli elytri spina elongata, conica, sub-erecta, divaricata, pilosa, aucto; supra convexa, nigra, squamulis niveis, in disco cujusvis elytri lineas duas latas formantibus, tecta; margo lateralis inflexus etiam niveo-squamosus; in singulo elytro series tres e tuberculis nigris, nitidis; in seriebus interioribus antice tubercula oblonga, approximata, parum convexa, posterius vero et in serie marginali subconica, magis remota. Corpus subtus nigrum, maculatim niveo-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, remote punctati, pilosi, squamulis paucis niveis adspersi; tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi.—GHL.

Dom. A. SPARRMAN, Professor. In peregrinationibus Centurionem Cook comitatus est et insuper in Africa versatus; quibus ex locis magnum numerum Insectorum secum domum deportavit. Denatus anno 1820.—SCHH.

15. H. SEXVITTATUS. ♂♀

Elongatus, angustior, niger, fusco-squamosus, fronte impressa, thorace elytrisque seriatim tuberculatis, utrinque niveo-vittatis.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 534. n° 164. — *Ent. Syst.* I. II. p. 478. n° 355.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 386. n° 465. T. 12. F. 149. — *Enc. méth.* V. p. 545. n° 335.

HERBST. *Col.* VI. p. 314. n° 288. T. 66. f. 1. et T. 84. f. 12.

Curculio nycthemerus. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 46. n° 12. T. 2. f. 12.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 568. n° 38.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1792. n° 426.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Mus. PAYKULL.

Longitudo *H. pilularii*, sed dimidio angustior. Caput breve, nigrum, parce punctatum, vitta laterali utrinque supra oculos niveo-squamosa, fronte inter oculos late et profunde impressa; rostrum capiti contiguum, illoque triplo longius, latum, sub-arcuatum, supra obsolete canaliculatum, nigrum, lateribus punctatum et squamulis niveis adspersum; oculi sub-ovati, convexi, nigri. Antennæ thoracis basin non attingunt, nigræ et nigro-pilosæ. Thorax

latitudine fere longior, antice late sed minus profunde emarginatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, in medio canaliculatus, cum rudimento carinulæ in fundo; niger, obsoletius punctatus; versus medium dorsi utrinque series irregularis, sub-duplicata, e tuberculis elevatis, nigris, nitidis, poro setifero instructis, et versus latera utrinque series altera ejusmodi, tuberculis paulo minoribus; interstitium inter series tuberculorum utrinque vitta lata niveo-squamosa ornatum, et pagina inferior etiam niveo-squamosa, vitta nigra utrinque divisa. Scutellum triangulare, cinereo-albido squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, versus apicem attenuata, apice ipso tuberculo acuminato, divaricato, aucta; thorace quadruplo longiora et ultra, supra convexa, obsoletius punctato-striata, punctis sub-umbilicatis; nigra, in dorso squamulis fuscis adspersa, versus latera utrinque vittis tribus latis, in apice confluentibus, niveo-squamosis ornata; in singulo elytro series quatuor e tuberculis setiferis, quarum suturæ proxima obsoletior, postica, dimidiata, secunda et tertia postice abbreviatæ, lateralis vero continua, tuberculis subconicis. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, niveo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, punctati, squamulis albis et cinereis mixtis inæqualiter adspersi, tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—Ghl.

16. H. Tribulus. ♂♀

Elongato-ovatus, angustior, niger, parce albido-squamulosus, rostro quadri-sulcato, thorace rugoso, medio impresso, elytris apice breviter appendiculatis, dorso trifariam spinosis, spinis pilosis, suturali postica reliquis majore.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 536. n° 174. — *Ent. Syst.* I. II. p. 481. n° 364. — Mant. I. p. 120. n° 258. — *Spec. ins.* I. p. 195. n° 198. — *Syst. ent.* p. 153. n° 138.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 396. n° 479. T. 13. f. 161. — *Enc. méth.* V. p. 547. n° 344.

Herbst. *Col.* VI. p. 383. n° 361. T. 90. f. 7.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1790. n° 404.

Habitat in Nova Hollandia.

Statura angustior *H. globifero*, sed dimidio minor, thorace rugoso, non tuberculis distinctis adsperso et tuberculis elytrorum longioribus, magis acutis, pilosis, ab affinibus distinctus. Caput breve, nigrum, parce punctulatum, et squamulosum, canalicula brevi frontali impressum; oculi oblongi, sub-depressi, brunnei, iride al-

bo-squamosa cincti; rostrum thorace brevius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, parce squamulosum, supra longitudinaliter bi-canaliculatum, carina media, canales distinguente, alte elevata; in singulo latere præterea canalicula brevior impressa. Antennæ crassiusculæ, piceæ, pilosæ, thoracis basin non attingunt. Thorax latitudine media non brevior, antice late emarginatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra modice convexus, niger, in cavitatibus griseo-squamulosus; in medio dorsi fovea magna, oblonga, irregularis, et reliqua superficies rugulis elevatis confluentibus fere reticulata. Scutellum parvum, rotundatum, griseo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et pone basin nonnihil ampliata, thorace quintuplo longiora, apice singulatim angulo brevi dehiscente terminata; supra convexa, nigra, densius cinereo-squamulosa; in singulo elytro, juxta suturam, pone medium, tubercula 5 vel 6 parva, seriata, et pone illa, in ipso margine suturali, tuberculum conicum, sub-acuminatum, reliquis omnibus longius; interstitium tertium a sutura anterius elevato-sub-carinatum, posterius spinis 4 vel 5 magnis armatum; quintum et septimum etiam antice sub-elevata, posterius spinulis 6 vel 7 ejusmodi in singulo instructa; spinæ fere omnes conicæ, sub-acuminatæ, undique squamulis piliformibus adspersæ, sed absque seta terminali. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, parce albido-squamulosum. Pedes elongati, validi, scabri, squamulosi, femoribus nigris, tibiis tarsisque fusco-piceis.

Femina fere dimidio major, differt præterea tuberculis elytrorum brevioribus, magis obtusis.—GHL.

* 17. H. NODULOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-albido-squamosus, rostro sub quinque-sulcato, thorace quadrifariam tuberculato, elytro singulo seriebus tribus tuberculorum, medio baseos maximo, oblongo.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 536. n° 178. — *Ent. Syst.* I. II. p. 482. n° 368. — MANT. I. p. 121. n° 263. — *Spec. ins.* I. p. 176. n° 203. — *Syst. ent.* p. 154. n° 141.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 391. n° 471. T. 15. f. 188. — *Enc. méth.* V. p. 548. n° 348.

HERBST. *Col.* VI. p. 379. n° 357. T. 90. f. 3.

SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 46. n° 13. T. 2. f. 13.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1790. n° 409.

Curculio notonchus. WIED. *Zool. Mag.* II. I. p. 124. n° 188.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Dom. WESTERMANN et SCHH.

Minor in hac serie, sed variat magnitudine; majores *H. tribuli* longitudine, sed angustiores; alii dimidio minores et ultra; color indumenti jam dilutius cinereo-albidus, jam magis fuscus. Caput breve, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte puncto oblongo impressa; oculi oblongi, brunnei, iride albo-squamosa cincti; rostrum thorace paulo brevius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, parce punctatum et cinereo-squamulosum, supra versus apicem late excavato-canaliculatum, et in singulo latere canaliculis duabus brevioribus exaratum. Antennæ breviusculæ, sub-tenues, nigro-piceæ, pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine fere longior, antice late et profunde sub-sinuato-emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, niger, squamulis densis cinereo-albidis in cavitatibus tectus; in medio dorsi plaga longitudinalis impressa, cui utrinque adjacet series e tuberculis sub-hemisphæricis nigris, supra poro setifero instructis, valde coarctatis, 8 vel 9 in singula serie, adjectis externe versus posteriora tuberculis, 2 vel 3, solitariis; versus marginem utrinque series altera e tuberculis similibus, sed magis remotis, sex tantum in quavis serie, et extra illas versus apicem tubercula nonnulla solitaria. Scutellum parvum, dense albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et pone basin nonnihil ampliata, thorace quadruplo longiora, apice singulatim tuberculo subconico, piloso, dehiscente, aucta, supra convexa, nigra, in cavitatibus cinereo-squamosa, sat profunde et remote striato-punctata; in singulo elytro series tres tuberculorum, interior in interstitio tertio a sutura, integra, continua, tuberculis anticis minoribus oblongis, coarctatis, posterioribus vero magnis, conicis, remotis; series media in interstitio quinto, in cujus basi tuberculum maximum, valde elevatum, ovatum, obtusum, punctatum, et pone illud, ante medium, tria minora, ob-conica; series extima in interstitio septimo iterum continua, tuberculis ultra decem composita, omnibus conicis, pone medium magnitudine crescentibus; tubercula omnia, excepto medio baseos, nigra, sub-nitida, supra poro setifero instructa. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctulatum, parce albido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, scabri, pilosi, parce squamulosi.—GHL.

18. H. CRISPATUS (1).

Thorace mutico, scabro, elytris lineis tribus elevatis dentatis. — FABR.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 535. n° 172. — *Ent. Syst.* I. II. p. 480. n° 362. — MANT. I. p. 120. n° 252. — *Spec. ins.* I. p. 194. n° 192.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 389. n° 469. T. 13. f. 160. — *Enc. méth.* V p. 547. n° 342.

HERBST. *Col.* VI. p. 322. n° 295. T. 85. f. 7.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1788. n° 393.

Patria: Promont. Bonæ Spei.

* 19. H. MAMMILLATUS. *Schh.*

Brevior, ovatus, niger, dense fusco-squamosus, tuberculis thoracis longis, confertissimis, elytrorum seriatis, serie suturali posterius elevatiore, cristata.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. A Dom. BILLBERG benevole communicatus. Mus. SCHH.

Curculioni crispato auctorum proximus, si non idem. Caput breve, nigrum, parce punctatum, squamulis piliformibus, fulvis adspersum, fronte canalicula brevi impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, valde crassum, arcuatum, basi sub-constrictum, supra anterius fere planum, versus apicem late canaliculatum, lateribus punctatum, utrinque bi-striatum, squamulis parvis fulvescentibus adspersum. Antennæ thorace paulo breviores, modice crassæ, nigræ, fusco-pilosæ et squamulatæ. Thorax latitudine brevior, antice late, semi-circulariter emarginatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi angustior, truncatus, supra parum convexus, niger, squamulis fusco-flavescentibus in cavitatibus tectus; in medio dorsi plaga longitudinalis angusta, tuberculis libera, in cujus medio carinula parva nuda nigra; tota superficies reliqua confertissime tuberculosa, tuberculis longis, sub-cylindricis, mamillæformibus, inferne squamulosis, apice nudis, nigris, supra planis, poroque setifero instructis. Scutellum parvum, depressum, fusco-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace quadruplo longiora, posterius angustiora, apice ipso singulatim

---

(1) Mihi invisus.

tuberculo perbrevi, obtuso aucta; supra convexa, nigra, squamulis densis pallide fuscis omnino tecta, tuberculisque numerosissimis, similiter squamosis, vix apice nudis, setiferis, adspersa; tubercula ista in singulo elytro series sex formant, quarum alternæ minores, minus elevatæ, sed suturæ proxima pone medium omnibus elevatior, cristata, antice abbreviata. Corpus subtus nigrum, squamulis fulvescentibus adspersum. Pedes longiusculi, nigri, dense pallido-squamosi, tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Ghl.

20. H. Bulbifer (1).

Thorace transverso, granulato, ater, opacus, coleopteris punctato-sulcatis, interstitiis convexis, obtuse tuberculatis, alternis elevatioribus. — Germ.

Bronchus id. Germ. *Ins. spec.* I. p. 333. n° 473.

Patria : Australasia.

21. H. Seriespinosus. ♂. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, fusco-squamulosus, rostro crasso, quinque-sulcato, thorace tuberculis conicis, setiferis confertim adsperso, elytris sub-striato-punctatis, interstitiis alternis costatis, multi-tuberculatis, ante apicem tuberculis quatuor majoribus instructis.

Mas : *elytris apice productis, singulatim acuminatis.*

Femina : *elytris apice conjunctim rotundatis.*

Patria : Cap. Bonæ Spei. *Mas* Mus. Schh. *Femina* ex Musæo Dom. Chevrolat, ad describendam amice communicata.

Statura *H. capensis*, sed fere dimidio minor. Caput rotundatum, obsolete granulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte subimpressa; oculi oblongi, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite plus duplo longius, valde crassum, arcuatum, obsolete granulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, supra fornicatum, quinque-sulcatum, sulco medio antrorsum latiore. Antennæ thoracis basin vix attingunt, sub-tenues, nigræ, fusco-pilosæ. Thorax latitudine paulo brevior, antice late emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, tuberculis plurimis validis, subconicis, apice seta rigida, pallida, decumbente instructis, confertim obsitus; niger, in cavitatibus cinereo-squamulo-

---

(1) Mihi invisus.

sus. Scutellum triangulare, nigrum, cinereo-squamulosum. Elytra ob-ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata, posterius attenuata, apice in masculo singulatim acuminato-producta, in femina conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, obsoletius seriatim, sub-remote punctata, interstitiis alternis, tribus in singulo, elevatioribus, seriatim multi-tuberculatis, tuberculis apice seta pallida, decumbente instructis; interstitium suturæ proximum etiam postice elevatum, tuberculatum, in quo et proxime adjacente, longe ante apicem, tubercula duo in singulo elytro, reliquis majora conspiciuntur; interstitia costarum in dorso minus lata, transversim rugosa; nigra, opaca, squamositate fusca vestita. Corpus subtus obsolete, disperse punctatum, nigrum, fusco-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, fusco-squamulosi et cinereo-setulosi. - GHL.

22. H. BINODIS. *Illiger.*

Oblongo-ovatus, niger, fusco-squamulosus, rostro crasso, quinque-sulcato, thorace tuberculis conicis, apice setiferis, confertim adsperso, in medio anguste carinato, elytro singulo costis tribus tuberculatis instructo, interstitiis latioribus, planis, punctis sub-ocellatis duplici serie notatis; intra apicem tuberculis quatuor majoribus instructis.

Curculio id. Dom. ILLIG. in *Litteris*, secundum Dom. SCHUPPEL.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. SCHUPPEL, sub hoc nomine communicatus. Mus. GHL.

H. seriespinoso simillimus et nimis affinis; differre tamen videtur: thorace breviore, lateribus magis ampliato, supra in medio leviter carinato, elytrorum costis tuberculatis minus elevatis, illarumque interstitiis latioribus, planis, punctis parvis, sub-umbilicatis, duplici serie notatis. Caput, oculi, rostrum, antennæ, omnino ut apud *H. seriespinosum* descripta. Thorax transversus, latitudine manifeste brevior, antice late emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, tuberculis plurimis validis, subconicis, apice seta rigida, pallida, decumbente instructis, obsitus, relicta plaga angusta media tuberculis libera, in qua carinula, utrinque abbreviata, parum elevata conspicitur. Scutellum triangulare, concolor. Elytrorum forma ut in prioris femina omnino, sed illarum costæ tuberculatæ minus elevatæ, et interstitia latiora, plana, sub-lævia, singulo serie duplici e punctis parvis, umbilicatis notato. Corpus subtus et pedes ut in priori.

GHL.

23. H. FRONTALIS.

Oblongo-ovatus, niger, parce fusco-squamosus, fronte impressa, rostro breviore, sub-recto, rugoso, thorace quadrifariam tuberculato, posterius utrinque sub-spinoso, elytro singulo seriebus tribus tuberculorum majorum.

Curculio id. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 47. n° 14. T. 2. f. 14.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 528. n° 352.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1791. n° 413.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Mus. PAYKULL.

E minoribus hujus seriei, *H. tribulo* dimidio brevior, sed parum angustior. Caput porrectum, nigrum, punctis magnis, remotis adspersum, fronte late et profunde impressa; rostrum vix capite dimidio longius, latum, crassum, sub-rectum, supra rugoso-punctatum, nigrum, in cavitatibus fusco-squamulosum; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, modice prominuli. Antennæ crassiusculæ, nigræ, flagello nigro-setoso. Thorax latitudine fere longior, antice sinuato-emarginatus, lateribus ampliatus, basi truncatus, supra in medio canaliculatus, cum rudimento carinulæ in fundo canaliculi; rugoso-punctatus, niger, in cavitatibus fusco-squamulosus; versus medium dorsi utrinque series fere recta e tuberculis sex vel septem magnis, obtusis, nigris, poro setifero instructis; tum posterius tubercula duo minora, et versus marginem iterum series, nonnihil obliqua, tuberculis, 5 vel 6, composita, ultimo omnibus majori, composito, angulum formante; in ipso margine præterea tubercula nonnulla minora. Scutellum parvum, depressum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora et illo triplo longiora, lateribus valde inflexa, apice singulatim acuminata, supra valde convexa, rude et remote striato-punctata, nigra, in cavitatibus fusco-squamulosa; in singulo elytro series tres regulares, continuæ, e tuberculis magnis, nigris, nitidis circiter 9 vel 10, in singula serie, posterioribus et serierum lateralium subconicis, omnibus apice poro setifero instructis. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, parce squamosum. Pedes validi, nigri, remote punctati, tibiis nigro-setosis.—GHL.

* 24. H. INFACETUS.

Ovatus, niger, convexus, parce orichalceo-squamosus, rostro basi sub trisulcato, thorace confertim tuberculato, elytro singulo trifariam tuberculato, apice tuberculo parvo, sub-recto, aucto.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

H. noduloso paulo brevior, sed latior. Caput mediocre, nigrum, punctatum, dense, orichalceo-squamulosum, fronte profunde canaliculata; oculi oblongi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, nigrum, punctatum, orichalceo-squamosum, supra in basi impressum, canalicula media et una utrinque laterali, basi confluentibus, omnibus ante medium abbreviatis, exaratum. Antennæ breviusculæ, sub-tenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine fere longior, antice late, sub-sinuato-emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, niger, in cavitatibus orichalceo-squamosus; in medio dorsi canalicula longitudinalis, in cujus medio carinula elevata nigra, angusta; superficies reliqua tuberculis plurimis sub-hemisphæricis nigris, supra poro setifero instructis, adspersa, quorum plura series minus regulares formant. Scutellum parvum, rotundatum squamulosum. Elytra satis ampla, antice thoracis basi paulo latiora et mox pone basin ampliata, thorace quadruplo longiora, apice singulatim tuberculo parvo, conico, aucta; supra convexa, nigra, profunde et remote punctato-striata, squamulis fusco-orichalceis in cavitatibus tecta; in singulo elytro costæ tres elevatæ et tuberculatæ, præter suturam, quæ etiam elevata, et tuberculis nonnullis parvis notata; series interiores, in interstitio tertio et quinto, anterius fere continuæ, tuberculis oblongis, muticis, sed posteriora successive majora, conica, remota; in serie marginali tubercula pleraque conica, remota. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctatum, parce squamulosum. Pedes validiusculi, nigri, femoribus punctatis, parum squamulosis, tibiis tarsisque pilosis.—GHL.

25. H. DELECTANS (1).

Niger, rostro lævi, trisulcato, thorace granulato, elytris lineis elevatis granulatis, interstitiis griseo-squamosus. — HERBST.

---

(1) An idem præcedenti?

Curculio id. Herbst. *Col.* VII. p. 47. n° 606. T. 98. f. 5.

Patria : . . .

26. H. Partitus. *Chevrolat.*

Elongatus, angustus, ater, parce albido-squamulosus, fronte rostroque profunde uni-sulcatis, thorace verrucis depressis, poriferis, confertim obsito, elytris sub-punctato-striatis, interstitiis omnibus catenulatim tuberculatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Museo Dom. Chevrolat, ad describendum amice communicatus.

E minoribus generis, *H. calvo* angustior. Caput majusculum, convexum, obsolete granulatum, atrum, squamulis sub-argenteo-micantibus parce adspersum, fronte inter oculos sulco lato et profundo, per rostrum continuato, insculpta; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite angustius, sed paulo longius, crassum, scabrum, atrum, supra sulcatum. Antennæ thoracis basin fere superant, validiusculæ, atræ, pilosæ. Thorax latitudine paulo brevior, antice leviter emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi truncatus, supra fere planus, verrucis depressis, supra poro pertusis, confertim obsitus; ater, in cavitatibus parce sub-argenteo-squamulosus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, lateribus perparum ampliata, apice singulatim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, obsoletius sub-punctato-striata, interstitiis omnibus catenulatim tuberculatis, tuberculis plerisque oblongis, in interstitiis alternis paulo majoribus magisque remotis; atra, in cavitatibus squamulis argenteo-nitidis adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, atrum, parce squamulosum. Pedes longiusculi, validi, atri, femoribus punctatis, squamulosis, tibiis tarsisque scabris, pilosis.—Ghl.

Stirps 2. — Rostrum ad basin quasi abscissum.

27. H. Verrucosus. ♂ ♀

Elongato-ovatus, niger, æneo-micans, rostro quasi abscisso, quinque-sulcato, thorace confertim tuberculato, elytris seriato-tuberculatis, apice singulatim verruca crassa auctis.

Curculio id. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 60. n° 19. — *Syst. nat.* I. II. p. 618. n° 90. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1789. n° 90.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 534. n° 161. — *Ent. Syst.* I. II. p. 478. n° 353.

— MANT. I. p. 119. n° 241. — *Sp. ins.* I. p. 193. n° 183. — *Syst. ent.* p. 152. n° 129.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 387. n° 466. T. 10. f. 125. ♀. — *Enc. méth.* V. p. 545. n° 334.

HERBST. *Col.* VI. p. 308. n° 282. T. 84. f. 6. ♂.

DRURY. *ins.* Ed. PANZ. I. p. 70. T. 32. f. 5. ♂.

Brachycerus id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 381. n° 7.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH. et GHL.

Inter majores generis, sed variat magnitudine. Caput mediocre, convexum, nigrum, punctulatum, squamulis piliformibus orichalceis in vertice adspersum; in medio frontis canalicula brevis impressa; oculi laterales, nigri, sub-depressi, iride impressa cincti: rostrum capite dimidio longius, valde crassum, arcuatum, nigrum, punctatum, parce cinereo-pilosum, basi profunde transversim incisum; in medio dorsi canalicula sat profunda, antrorsum dilatata, et juxta illam utrinque alia, antrorsum attenuata, basi cum opposita conjuncta; in singulo latere etiam canalicula brevior, antrorsum angustior; os tumidum, subtus longius pilosum. Antennæ breviusculæ, sub-tenues, nigræ, pilosæ, clava acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine non brevior, antice late emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, niger, squamulis cinereo-albidis in cavitatibus adspersus; in medio dorsi canalicula angusta, apicem non attingens; reliqua superficies confertim tuberculata, tuberculis dorsalibus majoribus, fere planis, lateralibus minoribus, semiglobosis, omnibus nigris, poro setifero instructis. Scutellum parvum, depressum, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, pone basin nonnihil ampliata, versus apicem valde attenuata, thorace quintuplo longiora et ultra, apice ipso singulatim verruca tuberculata aucta, in masculo crassa, rotundata, in femina paulo longiore, subconica; supra convexa, aut nigra, aut plus minusve æneo vel orichalceo-micantia, remote seriato-punctata, punctis plerisque sub-umbilicatis, setiferis; interstitia alterna, 3, 5 et 7 a sutura, magis elevata, tuberculata, tuberculis anterius oblongis, muticis, versus apicem conicis, setiferis, insignita; juxta suturam etiam series ejusmodi tuberculorum, sed minorum. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, parce cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi et pilosi, tibiis posticis maris valde arcuatis, feminæ fere rectis. — GHL.

* 28. H. Capensis.

Elongatus, niger, parce squamulosus, rostro basi transverso, inciso, sex-sulcato, thorace oblongo, confertissime tuberculato, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis angustis, æqualibus, nodulosis.

Curculio id. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 59. n° 18.- *Syst. nat.* I. II. p. 618. n° 89.—Ed. Gmel. I. IV. p. 1789. n° 89.

Fabr. *Syst. el.* II. p. 534. n° 162.—*Ent. Syst.* I. II. p. 478. n° 354. —*Mant.* I. p. 119. n° 242.—*Sp. ins.* I p. 193. n° 184.—*Syst. ent.* p. 152. n° 130.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 393. n° 474. T. 5. f. 52. et T. 9. f. 109. 110. —*Enc. méth.* V. p. 545. n° 336.

Herbst. *Col.* VI. p. 286. n° 257. T. 82. f. 3.

Sparrm. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 48. n° 16. T. 2. f. 16.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Schh.

Reliquis minoribus longior et angustior; magnitudo variat. Caput breve, nigrum, parce punctatum, albido-squamulosum, fronte obsolete impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei, modice convexi, iride impressa, albo-squamosa: rostrum thorace brevius, valde crassum, arcuatum, sat profunde rugoso-punctatum, totum nigrum, in sulcis albido squamosum, basi profunde transversim incisum; in dorso rostri sulci duo, carinula angusta, lævi, distincti, et in singulo latere etiam duo, inferiore abbreviato. Antennæ thoracis basin fere attingunt, sub-tenues, nigro-piceæ, pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine fere longior, antice late, sed minus profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, intra apicem obsolete constrictus, totus niger, in cavitatibus albido-squamulosus; in medio dorsi canalicula valde angusta; reliqua superficies tuberculis sub-hemisphæricis, fere æqualibus, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis, confertissime adspersa. Scutellum parvum, depressum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, thorace quintuplo longiora et ultra, apicem versus attenuata, apice ipso tuberculo parvo, obtuso, piloso, aucta; supra convexa, nigra, squamulis albidis parce adspersa, profunde punctato-striata, punctis remotis, squamula albida sub-umbilicatis; interstitia omnia angusta, æqualia, tuberculis parvis nigris, nitidis, seriatis, setiferis, insignita. Corpus subtus nigrum, ruguloso-punctatum, albido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, femoribus rugulosis, squamulis cinereis variegatis, tibiis tarsisque dense cinereo-pilosis.—Ghl.

29. H. GRANULOSUS. ♂ ♀. *Wiedemann.*

Oblongo-ovatus, niger, rostro brevissimo, sub-sex-sulcato, basi transverse inciso, thorace transverso, confertim tuberculato, elytris striatis, interstitiis omnibus æqualibus, confertim seriato-tuberculatis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. WESTERMANN et SCHUPPEL. Mus. SCHH. et GHL.

H. capensi brevior, rostrum multo brevius, aliter sulcatum, thorax brevior, transversus, et elytrorum textura alia. Caput convexum, nigrum, remote punctatum, parce cinereo-squamulosum, fronte striola utrinque impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum brevissimum, vix capite longius, valde crassum, quadrangulum, nigrum, rugoso-punctatum, basi transversim incisum; in medio dorsi carinula elevata, sulcos dorsales, parum profundos distinguens; in singulo latere etiam sulci duo, quorum inferior valde brevis. Antennæ thoracis basin non attingunt, crassiusculæ, piceæ, pilosæ, clava ovato-acuminata. Thorax brevis, transversus, antice late, sed parum profunde emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi angustior, truncatus, supra parum convexus, niger, vix squamulosus; in medio dorsi canalicula angusta, obsoleta; reliqua superficies confertissime adspersa tuberculis nigris, nitidis, versus latera minoribus, sub-hemisphæricis, in disco majoribus, magis planis, omnibus supra poro setifero instructis. Scutellum parvum, depressum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, thorace fere sextuplo longiora, versus apicem attenuata, apice ipso simultaneæ rotundata, supra convexa, nigra, profunde striata, striis interioribus remote punctatis, exterioribus tuberculatis; interstitia omnia æqualiter elevata; in singulo series continua e tuberculis nigris, nitidis, anterius oblongis, versus apicem brevioribus, subconicis, omnibus poro et seta parva instructis. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctatum, parce squamulosum. Pedes validi, nigri, femoribus ruguloso-punctatis, tibiis tarsisque pilosis, tibiis anticis arcuatis, subtus denticulatis.

Femina paulo major masculo, elytris latioribus et rostro supra magis rugoso differt.—GHL.

30. H. Lacunosus. ♀

Oblongo-ovatus, niger, parum squamulosus, rostro sex-sulcato, basi transverse inciso, thorace transverso, confertim tuberculato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis elevatis, æqualibus, seriatim nodulosis.

Curculio id. Thunb. in *Nov. Acta Ups.* VII. p. 120.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Westermann. Mus. Schh.

Magnitudo et statura *H. granulosi*, sed differt rostro longiore, profunde sulcato, elytrorum textura alia, etc. Caput nigrum, convexum, punctatum, vix squamulosum, fronte impressa, sub-rugosa; oculi oblongi, nigri, iride impressa cincti; rostrum longitudine thoracis, crassum, arcuatum, basi profunde transversim incisum, totum nigrum, rugoso-punctatum, pilis paucis adspersum; in medio dorsi carinula elevata, sulcos dorsales sat profundos distinguens, et in singulo latere sulci duo, etiam profunde impressi, inferiore brevi. Antennæ thoracis basin vix attingunt, sub-tenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata. Thorax transversus, antice late, sed minus profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, in cavitatibus parce squamulosus; in medio dorsi canalicula angusta impressa; superficies reliqua confertissime adspersa tuberculis nigris, nitidis, sub-æqualibus, inordinatis, hemisphæricis, supra poro setifero instructis. Scutellum minutum, demersum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus parum ampliata, thorace quintuplo longiora, apice simultaneæ rotundata, supra convexa, nigra, squamulis cinereo-albidis, in disco paucioribus, sub-undatim collocatis, versus apicem densioribus, adspersa; textura elytrorum ut in *H. capensi* omnino, nempe: profunde punctato-striata, punctis remotis, non vero umbilicatis; interstitia omnia æqualiter elevata, singula serie regulari e tuberculis nigris, nitidis, setiferis, insignita. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, parce squamulosum. Pedes mediocres, nigri, femoribus subtiliter rugulosis, tibiis subtus piloso-ciliatis, anticis arcuatis, subtus remote denticulatis.—Ghl.

31. H. Calvus. *

Elongato-ovatus, niger, antennis, pedibus elytrisque rufo-piceis, rostro transverse inciso, sex-sulcato, thorace confertim tuberculato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, crebre transversim strigosis.

Curculio id. Herbst. *Col.* VII. p. 46. n° 605. T. 98. f. 4. forte.
H. ramphastus. var. Dom. Schuppel *in Litteris.*

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Schuppel. Mus. Ghl. et Schh.

Statura et summa affinitas *H. rhamphasti* Klug, sed paulo minor; thorax confertim tuberculatus, absque vittis dorsalibus albidis; elytra fere glabra, interstitiis alternis elevatioribus, crebre transversim strigosis. Caput ut in priori, sed fovea media frontis profundior; rostrum paulo brevius, cæterum ut in priori. Thoracis structura eadem, sed in medio dorsi canalicula tantum angusta, albido-squamosa, absque vittis lateralibus, nam reliqua superficies tota confertissime tuberculata. Elytrorum forma eadem, sed interstitia alterna magis elevata, crebre transversim strigosa, dilutius rufo-picea, et tota superficies fere glabra, absque tuberculo intra apicem. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, squamulis minutis, piliformibus adspersum. Pedes dilutius ferruginei.—Ghl.

32. H. Rhamphastus. *. *Klug.*

Elongato-ovatus, niger, subtus, albo-squamosus, rostro basi transverse inciso, sex-sulcato, thorace tuberculato, flavo-albido, tri-vittato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis convexioribus rugulosis, pedibus rufo-piceis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Ghl. et Schh.

Statura oblongior, magnitudo et affinitas *H. capensis.* Caput nigrum, punctulatum, squamulis minutis pallidis adspersum, posterius convexum fronte in medio et ad oculos impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum thorace paulo brevius, valde crassum, arcuatum, nigrum, rugoso-punctatum, cinereo-squamulosum, basi profunde transversim incisum, sulcis sex sat profundis exaratum, quorum duo dorsales, paralleli, et duo utrinque, sub-obliqui, inferiore abbreviato, omnes carinis elevatis distincti. Antennæ thoracis basin fere attingunt, sub-tenues, piceæ, pilosæ. Thorax lati-

tudine non brevior, antice late rotundato-emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra posterius convexus, intra apicem transversim impressus, niger, in cavitatibus pallescenti-squamosus; in medio dorsi canalicula longitudinalis, squamulis flavo-albidis tecta, antice abbreviata et in medio carinula nigra notata; in disco utrinque vitta irregularis flavo-albido squamosa; reliqua superficies tuberculis depressis nigris, supra poro setifero instructis, confertim adspersa. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris fere rectangulis, lateribus parum ampliata, thorace quintuplo longiora, apice simultaneæ rotundata, et longe intra apicem singuli elytri tuberculo prominulo instructa; supra convexa, nigro-picea, sub-nitida, seriato-punctata, punctis sub-umbilicatis, seta parva, albida instructis; interstitia alterna dorsalia, tria in singulo elytro, elevatiora, sub-rugosa; reliqua depressiora, densius squamosa, unde elytra albido vittata videntur. Corpus subtus convexum, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum, squamulis angustis albis maculatim adspersum. Pedes mediocres, picei, albido-squamulosi, tibiis dilutius rufo-piceis, tarsis dilatatis, pilosis, subtus pallido-spongiosis.

Var. β Squamulis in vittis thoracis et elytrorum albis, nec flavescenti-tinctis.—Ghl.

33. H. Caffer. ♂♀

Oblongus, niger, rostro sex-sulcato, basi veluti abscisso, thorace tuberculato, albo vittato, elytris striato-punctatis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, rugulosis.

Curculio id. Thunb. in *Nov. Acta Ups.* VII. p. 120.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Thunberg. Mus. Schh.

Statura angusta *H. capensis*, sed duplo minor, *H. calvo* Herbst æqualis et affinis, præsertim quoad texturam elytrorum, sed differt thorace minus confertim tuberculato, albo vittato. Caput breve, nigrum, vix punctatum, parce albo-squamulosum, fronte canaliculata; oculi oblongi, brunnei, iride impressa albo-squamosa; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, nigrum, albo-squamulosum et pilosum; in medio dorsi carinula elevata, lævis, sulculos binos dorsales, sat profundos distinguens; in singulo latere etiam sulci duo sat profundi, inferiore abbreviato. Antennæ thoracis basin fere attingunt, crassiusculæ, piceæ, albido-squamulosæ et pilosæ. Thorax latitudine non brevior, anterius late sed parum profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, niger; in medio

dorsi canalicula, squamulis albis tecta, et præterea utrinque vittæ duæ albo-squamosæ, irregulares, extima sub margine locata, abbreviata; superficies reliqua inter vittas tuberculis plurimis subhemisphæricis, nigris, poro setifero instructis, adspersa. Scutellum parvum, depressum, albo-squamosum. Elytra antice thorace latiora, humeris fere rectangulis, lateribus vix ampliata, thorace quintuplo longiora, apicem versus angustata, apice simultaneæ rotundata, supra convexa, nigra, profunde striato-punctata, squamulis minutis albidis parce adspersa; puncta singula striarum setula minuta alba ornata; sutura et interstitia alterna magis elevata, transversim rugulosa, unde lateraliter inspecta quasi e nodulis concatenatis consistentia apparent; interstitia alterna interjacentia humiliora, sub-lævia. Corpus subtus nigrum, punctatum, parce albido-squamulosum. Pedes validi, nigri, femoribus albo-squamulosis, tibiis pilosis, subtus ciliatis.

Observ. Individuum in Museo Dom. *Schoenherr* asservatum, differt: sutura elytrorum juxta ipsum apicem in tuberculum parvum, obtusum, squamosum, excurrit. Vittis thoracis albidis et elytris squamosis, hæc species *H. rhamphasto* magis quam *H. calvo* similis, sed in illo tuberculum posticum elytrorum longe intra apicem, in apice interstitii tertii a sutura locatum.—GHL.

34. H. BITUBERCULATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, parce fusco-squamosus, rostro quasi abscisso, sex-sulcato, thorace brevi, gibboso, canaliculato, confertim tuberculato, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis alternis elevatioribus tuberculatis, tuberculoque majore posterius versus suturam.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Mus. PAYKULL.

Magnitudo et statura *H. capensis.* Caput breve, convexum, obsolete punctatum, nigrum, fusco-squamosum, fronte utrinque obsolete impressa; rostrum capite fere duplo longius, valde crassum, arcuatum, sulcis sex exaratum, interstitiis erosis, rugoso-punctatis; basi profunde constrictum, quasi abscissum, totum nigrum, fusco-squamosum; oculi ovati, nigri, modice convexi, iride impressa. Antennæ thoracis basin fere attingunt, sub-tenues, nigræ, pilosæ. Thorax latitudine multo brevior, antice late sinuato-emarginatus, et intra apicem leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra posterius valde convexus, totus niger, in cavitatibus fusco-squamosus; in medio dorsi canalicula angusta: reliqua superficies tuberculis sub-hemisphæricis, nitidis, poro

setifero instructis, confertissime adspersa. Scutellum parvum, depressum, cinereo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed pone humeros ampliata, thorace quadruplo longiora, apice singulatim tuberculo sub-conico aucta, supra convexa, profunde et remote striato-punctata, nigra, fusco-squamosa; interstitia alterna magis elevata, tuberculis nitidis, seriatis, setiferis instructa, et in interstitio secundo a sutura pone medium singuli elytri, tuberculum reliquis multo majus, e pluribus compositum. Corpus subtus nigrum, punctatum, parcius cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, punctati, squamulis cinereis adspersi, tibiis fusco-pilosis.—Ghl.

* 35. H. Costatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense fusco-squamosus, rostro longiore, basi transverse inciso, sex-sulcato, thorace confertissime tuberculato, medio sulcato, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, tuberculato-serratis, apice rotundatis.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. Schh.

Magnitudo fere et statura *H. binodis.* Caput majusculum, valde convexum, nigrum, obsolete punctatum, fulvescenti-squamulosum, fronte antice utrinque sub-impressa; oculi oblongi, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, nigrum, ruguloso-punctatum, basi transversim incisum, sulcis sex exaratum, duobus nempe dorsalibus, carina rugulosa distinctis, duobusque in quovis latere, præter scrobem antennalem. Antennæ thoracis basin attingunt, nigræ, fusco-pilosæ et squamulosæ. Thorax latitudine brevior, antice semi-circulariter emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, squamulis fuscis in cavitatibus tectus; in medio dorsi canalicula angusta, tuberculis libera, cæterum vero tam dorsum quam latera tuberculis parvis, rotundatis, nigris confertissimis tecta. Elytra thorace non latiora et vix quadruplo longiora, subcylindrica, apice simultaneæ rotundata, supra in dorso parum convexa, nigra, squamulis fuscis omnino tecta; interstitia alterna magis elevata, tuberculis parvis, crebris quasi serrata, interjacentibus seriebus tuberculorum adhuc minorum. Corpus subtus nigrum, confertim ruguloso-punctatum, parce fusco-squamulosum. Pedes longiusculi, nigri, punctulati et fusco-squamulosi, tibiis subtus ciliatis, anticis arcuatis; tarsi dilatati subtus flavescenti-spongiosi. Ghl.

* 36. H. SERILNODOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, fusco-squamosus, rostro basi transverse inciso, sex-sulcato, thorace canaliculato, tuberculato, elytris apice sub-appendiculatis, singulo seriebus tribus e tuberculis majoribus, remotis instructo.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

Statura *H. binodis* et *costati*, sed paulo major. Caput convexum, nigrum, obsolete punctatum, fronte antice utrinque impressa, interjacente carinula brevi, elevata; oculi oblongi, nigri, parum prominuli; rostrum thorace paulo brevius, crassum, arcuatum, nigrum, ruguloso-punctatum, basi profunde transversim incisum, sulcis sex exaratum, duobus nempe dorsalibus, carina media lævi distinctis, duobusque in quovis latere. Antennæ thoracis basin non attingunt, sub-tenues, nigræ, fusco-pilosæ et squamulosæ. Thorax latitudine brevior, antice late semi-circulariter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, squamulis fuscis in cavitatibus tectus; in medio dorsi canalicula angusta longitudinalis, tuberculis destituta; reliqua superficies tam dorsi quam laterum, tuberculis elevatis, rotundatis, apice nigris, supra poro setifero instructis, minus confertim adspersa. Scutellum valde depressum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, pone basin ampliata, apice simultaneæ rotundata, sed mox intra apicem singuli elytri mucrone brevi, incurvo, apice glabro, nigro, armata; supra convexa, in dorso anteriore fere plana, nigra, squamulis fuscis tecta; in interstitiis tribus alternis singuli elytri series e tuberculis majusculis, remotis, nigris, apice piliferis, et superficies reliqua obsolete seriato-punctata, transversim rugulosa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, parce squamulosum. Pedes longiusculi, nigri, punctulati et squamulosi, tarsis parum dilatatis.—GHL.

* 37. H. SQUALIDUS. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, cinereo-squamosus, rostro sub-quinque-sulcato, basi constricto, thorace disperse tuberculato, medio canaliculato, cum carinula abbreviata, elytris obsolete, remote striato-punctatis, interstitiis seriatim tuberculatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Dom. Von WINTHEIM. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *H. granulosi*, sed abunde distinctus. Caput brevissimum, disperse punctatum, nigrum, squamis densis, de-

pressis, rotundatis, cinereis tectum, fronte fere plana; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, valde crassum, præsertim apice, supra in medio late et profunde canaliculatum, et in utroque latere sulcis duobus minus profundis exaratum, quorum inferior brevis; disperse punctatum, basi quasi abscissum vel profunde constrictum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, setosæ, clava parva, ovato-acuminata. Thorax latitudine vix brevior, antice late et profunde emarginatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, in medio canaliculatus, cum carinula abbreviata, nigra, nitida in medio canaliculæ; superficie reliqua obsolete punctata, tuberculis plurimis elevatis, rotundatis, poro setifero instructis, absque ordine adspersus; niger, opacus, squamulis cinereis in cavitatibus adspersus. Scutellum parvum, demersum, ægre observandum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, pone basin subito ampliata, posterius angustata, apice singulatim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, punctis remotis, sub-seriatis, ægre observandis impressa, interstitiis omnibus, suturali excepto, seriatim tuberculatis, tuberculis plerisque conicis, setiferis; series suturæ proxima reliquis altior posterius et tubercula ibi magis approximata;—nigra, opaca, squamis depressis, rotundatis, cinereis, versus latera et postice albicantibus, in cavitatibus tecta. Corpus subtus planum, obsolete punctatum, nigrum, parcius albido-squamosum. Pedes validi, nigri, albido-squamosi et setosi, femoribus clavatis, tibiis scabris, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.—Ghl.

Congenerici forte; species mihi invisæ.

38. H. Albipes.

Thorace angulato, niger, elytris tuberculatis, basi apiceque cinereis, tibiis griseis. — Oliv.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 533. n° 157.—*Ent. Syst.* I. II. p. 477. n° 349.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 395. n° 478. T. 9. f. 102.—*Enc. méth.* V. p. 544. n° 332.

Herbst. *Col.* VI. p. 390. n° 369. T. 90. f. 15.

Patria: Madagascar.

39. H. Capistratus.

Fuscus, elytris acuminatis, crenato-striatis, rostro sulcato.—Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 535. n° 169.—*Ent. Syst.* I. II. p. 479. n° 359.—*Mant.* I. p. 120. n° 248.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 546. n° 340.

Herbst. *Col.* VI. p. 509. n° 548.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1789. n° 403.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

40. H. Quadridens.

Cinereus, thorace scabro, elytris spinosis; spinis quatuor posticis longioribus.—Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 536. n° 175.—*Ent. Syst.* I. II. p. 481. n° 365.—*Mant.* I. p. 120. n° 260.—*Sp. ins.* I. p. 196. n° 200.—*Syst. ent.* p. 153. n° 139.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 397. n° 480. T. 15. f. 187.—*Enc. méth.* V. p. 547. n° 345.

Herbst. *Col.* VI. p. 376. n° 353. T. 89. f. 12.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1790. n° 406.

Patria : Nova Hollandia.

41. H. Quadrispinosus.

Albidus, elytris 4-spinosis, rostro fusco.—Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 536. n° 176.—*Ent. Syst.* I. II. p. 481. n° 366.—*Mant.* I. p. 121. n° 261.—*Sp. ins.* I. p. 196. n° 201.—*Gen. ins. Mant.* p. 228. n° 139-140.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 547, n° 346.

Herbst. *Col.* VI. p. 510. n° 550.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1790. n° 407.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

42. H. Clavus.

Albicans, thorace canaliculato, coleopteris spinosis; lineolis tribus baseos rubris.—Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 536. n° 177.—*Ent. Syst.* I. II. p. 481. n° 367.—*Mant.* I. p. 121. n° 262.—*Sp. ins.* I. p. 196. n° 202.—*Syst. ent.* p. 154. n° 140.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 392. n° 473. T. 13. f. 162.—*Enc. méth.* V. p. 548. n° 347.

Herbst. *Col.* VI. p. 384. n° 363. T. 90. f. 9.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1790. n° 408.

Patria : Nova Hollandia.

GENUS 58. PRYPNUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ longæ, tenues; scapus oculos superans, tenuis, sub-clavatus; articuli primi funiculi longiusculi, reliqui breviores, omnes obconici; clava elongata, ovalis.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, subteres, supra carinatum et sulcatum.

Oculi sub-rotundati vel sub-ovati, depressi.

Thorax basi apiceque truncatus, haud pone oculos perspicue lobatus, lateribus æqualiter rotundatus.

Scutellum parvum, triangulare.

Elytra elongato-ovata, coadunata.

Observ.—Corpus mediocris magnitudinis, oblongo-ovatum obscurum, apterum.—*Hipporhino* generi valde affine; distingui tamen potest scapo antennarum multo longiore, thorace antice vix emarginato, nec pone oculos perspicue lobato.

* 1. P. QUINQUENODOSUS. *Dalman.*

Elongato-ovatus, niger, squamulis fusco-cinereis tectus, rostro bi-sulcato, thorace rugoso-tuberculato, canaliculato, elytris striato-punctatis, ante apicem quinque-nodosis.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Hipporhini capensis*, totus squamulis fusco-cinereis undique omnino tectus. Caput breve, nigrum, punctulatum, dense cinereo-squamosum, fronte utrinque sub-impressa; oculi sub-rotundi, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum breve, crassum, porrectum, nigrum, dense cinereo-squamosum, supra bi-sulcatum, sulcis carinula elevata, utrinque abbreviata distinctis. Antennæ thoracis basin attingunt, tenues, fusco-ferrugineæ, clava angusta, acuminata. Thorax latitudine non longior, antice vix emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, in medio obsoletius canaliculatus, confertim inordinate rugulosus, squamulis densis fusco-cinereis undique tectus. Scutellum parvum, triangulare, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris sub-rotundatis, lateribus inflexa, sed parum ampliata, thorace quintuplo longiora, et ultra, apice singulatim tuberculo brevi, obtuso, piloso, aucta; supra modice convexa, obsoletius striato-punctata, interstitiis alternis ele-

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 87. n° 40

vatioribus, sub-rugosis; tota indumento fusco-cinereo squamuloso et pubescente tecta; in interstitio tertio a sutura, pone medium, tuberculum elevatum; in quinto, nonnihil posterius, aliud, magis conicum, et ei oppositum quintum commune in sutura, reliquis majus. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigricantes, cinereo-squamulosi et pilosi, tibiis anticis arcuatis.—GHL.

* 2. P. SUBTUBERCULATUS. *Hope.*

Elongatus, angustus, niger, parcius cinereo et sub-metallico-squamulosus, rostro bi-sulcato, thorace longiore, confertim tuberculato, obsolete canaliculato, elytris punctato-striatis, ante apicem quinquenodosis.

Nov. Gen. id. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria : Nova Hollandia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

P. quinquenodoso valde affinis, sed multo angustior; thorax obsolete tantum canaliculatus, aliter tuberculatus; indumentum minus densum, vix pubescens. Caput breve, punctulatum, nigrum, squamulis minutis metallico-nitidis et fuscis adspersum; oculi semiglobosi, nigro-brunnei; rostrum capite longius, crassum, angulatum, supra profunde bi-sulcatum, nigrum, squamulosum. Antennæ thoracis basin attingunt, sub-tenues, fusco-piceæ, pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine fere longior, basi apiceque truncatus, lateribus modice ampliatus, supra parum convexus, tuberculis rotundatis confertim adspersus, in medio obsolete canaliculatus, niger squamulis minutis, metallico-nitidis in cavitatibus adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, nigrum. Elytra antice truncata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-prominulis; lateribus inflexa, posterius attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, distincte punctato-striata, sutura interstitiisque tertio et quinto a basi ultra medium elevatioribus, convexis, quorum tertium paulo pone medium tuberculo parvo, quintum adhuc posterius alio majore, subconico et sutura etiam posterius tuberculo communi, reliquis majori, didymo terminantur; nigra, in cavitatibus squamulis minutis metallicis adspersa. Corpus subtus disperse punctulatum, nigrum, magis nitidum, parce metallico-squamulosum. Pedes longiusculi, femoribus clavatis, nigris, parce metallico-squamulosis, tibiis tarsisque fusco-piceis, cinereo-pubescentibus.—GHL.

3. P. PORCULUS.

Oblongo-ovatus, niger, dense cervino-squamosus nigroque setosus, rostro quinque-carinato, thorace fortius tuberculato, canaliculato, vittis quinque albidis ornato, elytris punctato-striatis, posterius macula ovata albida notatis.

Curculio id. SPARRM. *Acta Holm.* 1785. I. p. 49. n° 20. T. 2. f. 20.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 568. n° 41.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1793. n° 428.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo *Cleoni sulcirostris.* Caput breve, convexum, granulatum, nigrum, cervino-squamosum; oculi oblongo-ovati, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, valde crassum, præsertim exterius; basi obsoletius constrictum, confertim granulatum, nigrum, in cavitatibus cervino-squamosum, nigro-setosum; supra convexum, carinis quinque elevatis instructum, media recta, lateralibus nonnihil obliquis. Antennæ thoracis basin superant, sub-tenues, nigræ et nigro-setosæ, clava angusta, pubescente. Thorax latitudine brevior, anterius paulo angustior, apice vix emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, in medio canaliculatus, undique tuberculis mediocribus, semi-globosis, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis, adspersus; niger, in cavitatibus cervino-squamosus, vitta recta in canalicula dorsali, et duabus abbreviatis, irregularibus albo-squamosis utrinque ornatus. Scutellum triangulare, dense albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, lateribus ante medium nonnihil ampliata, apicem versus attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, obsoletius punctato-striata, punctis squamula umbilicatis, interstitiis seriatim tuberculatis, tuberculis versus basin et latera majoribus, supra poro setifero instructis, in disco et posterius minoribus, non setiferis; nigra, squamulis cervinis et cinereis tecta, setisque sub-erectis nigris adspersa; pone medium singuli elytri, versus suturam, macula ovata, albo-squamosa. Corpus subtus nigrum, gula transversim strigosa, thorace et pectore tuberculatis, ventre obsolete ruguloso; totum albido-squamosum. Pedes validi, nigri, femoribus dense albido-squamosis, tibiis nigro-setosis, tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis.—GHL.

4. P. GRANICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense cervino-squamosus, tenuiter fusco-setosus, rostro 5-carinato, thorace subtiliter tuberculato, obsolete cinereo trivittato, elytris sub-punctato-striatis, immaculatis, apice acuminatis.

VAR. β. Paulo angustior, elytris obsolete fusco-maculatis, apice rotundatis; forte alter sexus; e Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Mus. Dom. FALDERMANN; Nova Hollandia. Mus. Dom. HOPE.

Magnitudo, statura et summa similitudo *P. porculi*, a quo tantum differt tuberculis thoracis minoribus et elytris immaculatis, subtilius fusco-setosis. Caput breve, convexum, punctatum, nigrum, cervino-squamulosum; oculi oblongo-ovati, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, valde crassum, basi obsolete constrictum supra convexum, 5—carinatum, carina media altiore, recta, lateralibus nonnihil obliquis; confertim granulatum, nigrum, in cavitatibus cervino-squamulosum. Antennæ sub-tenues, nigræ et nigro-setosæ, clava angusta, pubescente. Thorax transversus, antice leviter tri-sinuatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, in medio canaliculatus, undique tuberculis parvis, semi-globosis, nigris, nitidis, supra poro setifero instructis adspersus; niger, squamulis cervinis vestitus, vitta media integra et laterali utrinque abbreviata, obsoleta, dilutius cinereo-squamosis notatus. Scutellum triangulare, dense albido-squamulosum. Elytrorum forma omnino ut apud *P. porculum* descripta, supra convexa, sub-sulcata et in sulcis obsolete punctata, interstitiis convexis, obsolete granulatis; nigra, squamulis densis cervinis unicoloribus vestita, setisque parvis reclinatis fuscis adspersa. Corpus subtus nigrum, cinerascenti-squamulosum, thorace tuberculato, pectore ventreque obsolete punctulatis. Pedes validi, nigri, cinereo-albido-squamulosi, tibiis nigro-setosis.— GHL.

5. P. CICATRICOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense fusco-squamosus, rostro quinque-carinato, thorace subtilius tuberculato, albo-trilineato, elytris striato-punctatis, seriatim albido-maculatis, apice appendiculatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. GHL.

Statura et affinitas *P. porculi*, sed minor. Caput breve, con-

vexum, nigrum, rugulosum, dense fusco-squamosum, fronte sub-retusa, in medio obsolete carinata; oculi oblongi, nigri; rostrum thorace brevius, valde crassum, arcuatum, apice dilatatum, basi leviter constrictum, granulato-punctatum, nigrum, fusco-pilosum; supra convexum, quinque-carinatum, carina media recta, lateralibus nonnihil obliquis. Antennæ tenues, pilosæ, piceæ, clava acuminata. Thorax latitudine vix brevior, antice sub-emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, niger, squamulis fuscis dense tectus; in medio dorsi canalicula angusta, integra, albo-squamosa, et versus marginem utrinque vitta minus regularis ejusdem coloris; superficies reliqua tuberculis plurimis minoribus, semi-globosis, nigris, supra seta fusca instructis, adspersa. Scutellum parvum, depressum, dense albo-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi non latiora, sed pone basin subito ampliata, pone medium attenuata, apice singulatim appendice cylindrico, recto aucta, thorace quintuplo longiora, supra minus convexa, punctato-striata, punctis sub-umbilicatis; nigra, dense squamosa et pilosa; maculis plurimis glauco-albidis, obsoletioribus, seriatim digestis, variegata. Corpus subtus convexum, punctulatum, nigrum, nitidum, squamulis angustis, albidis adspersum. Pedes validi, femoribus nigro-piceis, albido-pilosis et versus apicem subtus fascia albida notatis, tibiis tarsisque dilutius rufo-piceis.—Ghl.

* 6. P. Pygmæus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, fusco-squamulosus, rostro arcuato, late canaliculato, thorace undique confertim granulato, elytris striatis, interstitiis æqualibus convexis, rugulosis.

Var. β. Supra parcius squamulosus, elytris pone medium, juxta suturam macula sesquialtera albido-squamosa notatis. Ex Africa meridionali, a Dom. Hope communicatus.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Krebs. Mus. Ghl. et Schh.

Parvus in hac serie, *Rhynchæno pini* fere æqualis. Caput breve, nigrum, ruguloso-punctatum, squamulis minutis albidis adspersum, fronte retusa, medio sub-impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, nigrum, rugoso-punctatum, basi leviter constrictum, supra late et profunde canaliculatum, lateribus utrinque uni-sulcatum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, rufo-piceæ, pilosæ, scapo crasse clavato, clava oblonga, acuminata, pubescente. Thorax latitudine

multo brevior, anterius late emarginatus, lateribus pone medium rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, squamulis densis fuscis tectus et tuberculis parvis, graniformibus nigris, supra setam validam, declinatam, pallidam emittentibus, undique confertim adspersus. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub prominulis, pone humeros nonnihil ampliata, thorace fere quintuplo longiora, versus apicem angustata, apice ipso singuli elytri tuberculo parvo, sub-elevato, aucto; supra convexa, nigra, squamulis fuscis tecta, striato-punctata, interstitiis æqualibus, convexis, antice granulis nigris, setam pallidam gerentibus, insignitis, posterius tantum setis seriatis notatis. Corpus subtus nigrum, nitidum, confertim punctulatum, vix squamulosum. Pedes validi, nigri, punctati, tibiis tarsisque dilutius piceis.—GHL.

GENUS 59. EPIRRHYNCHUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breves, validæ; scapus oculos non attingens, clavatus; articulus 1 funiculi obconicus, 2-6 brevissimi, perfoliati, coarctati, 7 latior clavam incipiens; clava sub-ovata, indistincte articulata.

Rostrum sub-elongatum, curvatum, crassum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax transversus, sub-quadrangulus, supra modice convexus, juxta oculos lobatus.

Scutellum minutum, apice bifidum.

Elytra oblongo-ovata, apice singulatim obtuse sub-acuminata, supra convexa.

Unguis tarsorum crassus, uni-unguiculatus.

Observ. — Corpus mediocris magnitudinis, oblongo-ovatum, inæquale apterum.

1. E. ARGUS.

Oblongo-ovatus, niger, pube atra et tomento albo maculatim variegatus, fronte retusa, elytris remote punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis elevatis.

Curculio id. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 47. n° 15. T. 2. f. 15.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 568. n° 40.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1793. n° 127.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 86. n° 59.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. Sparrman. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Mus. Paykull.

Statura lata, ovata *Cleoni opthalmici*, sed dimidio major et in elytris convexior. Caput rotundatum, nigrum, punctatum, posterius convexum, fronte utrinque profunde impressa vel retusa, cum elevatione ob-conica in medio; supercilia valde elevata et latera verticis albo-tomentosa, disco longitudinaliter atro-pubescente; rostrum capite fere duplo longius, crassum, valde arcuatum, antice fere angulariter inflexum, basi profunde constrictum, supra a basi ultra medium convexum, versus latera utrinque canaliculatum, nigrum et in medio longitudinaliter atro-pubescens, lateribus albido-tomentosum; oculi perpendiculares, valde elongati, angusti, nigri, inferne acuminati. Antennæ brevissimæ, crassæ, nigræ, fusco-pubescentes. Thorax latitudine brevior anterius late et profunde emarginatus, lateribus ante medium valde ampliatus, basi subtruncatus, supra parum convexus, inæqualis, ante scutellum et intra angulos anteriores obsolete impressus, remote punctatus, niger, pube tenui atra adspersus; in margine antico maculæ quatuor longius albo-tomentosæ; in utroque latere litura parva et in angulo postico alia major, in discum adscendens, ejusmodi. Scutellum elevatum, apice bifidum, dense albo-tomentosum. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, prominulis; lateribus inflexa, valde ampliata, apice singulatim obtuse acuminata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, fere pulvinata, rude et remote punctato-striata, sutura interstitiisque alternis, quatuor in singulo elytro, valde convexis, exterioribus ad humerum confluentibus; nigra, pube tenuiore atra adspersa et fasciculis numerosis e tomento longiore alba inæqualiter variegata. Corpus subtus nigrum, punctatum, fusco-pubescens, lateribus maculatim albo-tomentosum. Pedes validi, nigri, fusco-pubescentes, femoribus muticis, tarsis dilatatis, uni-unguiculatis. — Ghl.

Divisio III. PACHYRHYNCHIDES.

Rostrum brevissimum, crassum, deflexum, sæpius angulatum, apice vix incrassatum.

Genus 60. CHERRUS.

Cherrus Dalm., Schh. (1). *Curculio* Oliv. *Hybauchenia* Mac Leay, teste Dom. Hope.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 89. n° 41.

Character generis.—Antennæ longæ, validiusculæ, scapus capite longior, sub-linearis; articuli funiculi basales longiusculi, omnes sub-obconici; clava oblonga, ovalis.

Rostrum breve, crassum, sub-angulatum, in medio profunde canaliculatum, et in fundo canalis linea elevata, glabra, basi acuminata, apice supra os in plagam triangulatam, planam, dilatata, præditum; scrobs basi profunda, extrorsum lata, vadosa, ante oculum abbreviata.

Oculi ob-ovati, depressi.

Thorax sub-transversus, sub-pulvinatus, basi truncatus, pone oculos lobatus.

Scutellum nullum.

Elytra sub-ovata, juxta basin coarctata; humeri antrorsum angulatim prominuli.

Observ.—Corpus plerumque majusculæ magnitudinis, breve, crassum, rigidum, scabrosum, obscurum, apterum.

* 1. C. INFAUSTUS.

Breviter ovatus, niger, squamulis fusco-cinereis tectus, rostro sub-arcuato, sulco carinulato, thorace confertim tuberculato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis seriatim tuberculatis, alternis elevatioribus.

VAR. β. Antennis pedibusque fusco ferrugineis.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 400. n° 486. T. 25. f. 353.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. GHL.— a Dom. Com. MANNERH. et Dom. HOPE. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et color *Asidæ griseæ* Dej; *Curculioni plebejo* Oliv. proximus, sed differt: rostro arcuato, thorace confertius tuberculato, non canaliculato, elytris obsolete tantum punctato-striatis, magis tuberculatis. Caput breve, latum, parum convexum, rugoso-punctatum, nigrum, vellere fusco-cinereo tectum, fronte modice impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite parum angustius, sed longius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, punctatum, fusco-squamosum, supra late canaliculatum, et in fundo canaliculæ carinula angusta, supra os in plagam cordatam, planam, dilatata. Antennæ validæ, thoracis basin attingunt, setosæ et pubescentes, basi obscuriores, clava angusta, acuminata. Thorax latitudine multo brevior, antice late et profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, sub-pulvinatus, tuberculis nigris, nitidis, in medio dorsi majoribus, confluentibus, confertim obsitus, interstitiis vellere

fusco-cinereo repletis. Scutellum minutum, depressum, triangulare, nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, margine sub-elevato, mox pone basin lateralem constricta, dein ampliata, versus apicem attenuata; apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra valde convexa, obsoletius et minus regulariter, remote punctato-striata, nigra, vellere fusco-cinereo in cavitatibus tecta; in singulo elytro series tres e tuberculis majoribus, valde elevatis, remotis, nigris, nitidis, interjectis seriebus alternantibus tuberculorum minorum. Corpus subtus nigrum, inæqualiter punctatum, fusco-squamosum. Pedes validi, cinereo-squamulosi, antici robustiores, tibiis longioribus, arcuatis, subtus remote denticulatis.—Ghl.

* 2. C. Plebejus.

Breviter ovatus, niger, glaber, rostri sulco carinulato, thorace inæqualiter tuberculato, elytris rude striato-punctatis, interstitiis omnibus elevatis, rugoso-tuberculatis.

Curculio id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 400. n° 485. T. 25. f. 357.
Curculio misthotes. Herbst. *Col.* VII. p. 43. n° 601. T. 97. f. 13.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. Hooker et Hope. Mus. Schh.

Corpus breve, crassum, convexum, magnitudine et fere statura *Platynoti striati.* Caput breve, nigrum, confertim obsolete punctulatum, fronte profunde canaliculata; oculi ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum crassum, sub-rectum, nigrum, nitidum, capite parum longius, nec angustius, supra profunde canaliculatum, canali in frontem continuata; in fundo canalis carinula elevata, versus os in plagam triangularem vel cordatam, planam, dilatata; prope basin lateralem rostri canalicula brevis, sat profunda. Antennæ thoracis basin fere superant, tenues, fusco-ferrugineæ, clava parva, acuminata. Thorax niger, glaber, latitudine brevior, antice late emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim convexus, margine antico depresso, lævi, sub-punctato; reliqua superficies tuberculis elevatis majoribus et minoribus variæ formæ confertissime adspersa. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, margine alte elevato, reflexo, unde intra basin constricta; dein lateribus nonnihil ampliata, thorace triplo longiora, versus apicem attenuata, apice ipso simultaneæ rotundata, supra valde convexa, profunde striata et in striis punctis magnis impressa, interstitiis omnibus elevatis, tuberculato-rugosis; nigra, glabra. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctulatum, parum con-

vexum. Pedes mediocres, nigri, subtilissime coriacei, glabri, antici longiores, tibiis arcuatis, subtus remote denticulatis. — GHL.

* 3. C. OPATRINUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, squamulis fusco-cinereis tectus, rostri sulco carinulato, thorace sub-æqualiter tuberculato, elytris striato-punctatis, interstitiis alternis, elevatioribus, tuberculato-rugosis.

Hybauchenia nodulosa? Dom. MAC LEAY, secundum Dom. HOPE.

Habitat in Nova Hollandia. Dom. HOOKER. Mus. SCHH.

C. plebejo simillimus et valde affinis, differre tamen videtur: tuberculis thoracis minoribus, magis æqualibus, elytrorum interstitiis alternis tantum elevatis et quod indumento fusco-cinereo, squamoso, undique tectus. Caput breve, nigrum, confertim subtilissime punctulatum, cinereo-squamulosum, fronte anterius profunde sulcata; oculi ovati, nigro-brunnei, sub-prominuli; rostrum crassum, sub-rectum, nigrum, nitidum, punctatum, capite parum longius, nec angustius, supra profunde canaliculatum, canali in frontem continuato; in fundo canalis carinula elevata, versus os in plagam triangularem vel cordatam, planam, dilatata; in singulo latere rostri, prope basin, etiam canalicula brevis, sat profunda. Antennæ thoracis basin attingunt, subtenues, fusco-ferrugineæ, clava angusta, acuminata. Thorax latitudine multo brevior, antice late emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim modice convexus, in medio apicis depressior, sub-lævis, remote punctatus; in medio dorsi anguste et obsolete canaliculatus, niger, squamulis fusco-cinereis in cavitatibus tectus; superficies confertim adspersa tuberculis elevatis nigris, nitidis, plerisque rotundis, æqualibus, nonnullis tantum in medio anteriore paulo majoribus, transversim ovatis. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illi arcte applicata, margine alte elevato, sub-reflexo, unde intra basin constricta videntur, angulis lateralibus sub-prominulis; lateribus nonnihil ampliata, thorace vix triplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso simultaneæ rotundata; supra valde convexa, profunde punctato-striata, nigra, squamulis densis fusco-cinereis in cavitatibus tecta; interstitia alterna, tria in singulo elytro, magis elevata, tuberculato-rugosa, nigra, subtiliter coriacea; sutura etiam elevatior, lata, fere plana, nigra, parum rugulosa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, parce cinereo-squamulosi, tibiis subtus ciliatis, anticis longioribus arcuatis, subtus remote denticulatis. GHL.

4. C. NANUS (1).

Ellipticus, niger, parce griseo-squamulosus, rostro anguste carinato, vix bi-sulcato, thorace sub-depresso, confertim ruguloso, elytris distincte punctato-striatis, interstitiis convexis, alutaceis.

Patria: Nova Hollandia. Ex Museo Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

E minoribus; *Prypno pygmæo* æqualis et facie subsimilis. Caput breve, confertim granulatum, vertice convexo, fronte plana, obsolete canaliculata; nigrum, parce griseo-squamulosum; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite angustius, sed paulo longius, crassum, angulatum, supra sub-planum, marginibus elevatis, in medio carinula angusta, continua, supra os in plagam magnam, cordatam, lævem, dilatata, instructum; cæterum obsolete granulatum, nigrum, griseo-squamulosum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, crassiusculæ, nigræ, scabræ, griseo-squamulosæ. Thorax latitudine brevior, antice late emarginatus, pone oculos lobatus, lateribus æqualiter ampliatus, basi sub-truncatus, supra fere planus, confertim rugulosus, rugulis plerisque transversim directis; niger, parce griseo-squamulosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis; lateribus anterius ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, cum emarginatura parva media in singulo; thorace triplo longiora, supra modice convexa, profunde et distincte punctato-striata, interstitiis convexis, alutaceis; nigra, squamulis minutis, griseis, nitidis densius vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamulis minutis, metallico-nitidis, parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamulis metallico-micantibus adspersi, femoribus clavatis, nitidis, tibiis arcuatis, scabris, tarsis dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — GHL.

GENUS 61. — PROSTOMUS.

Prostomus DALM., SCHH. (2). MAC LEAY. — *Curculio* FABR., OLIV., HERBST., WEBER.

Character generis. — Antennæ longæ; scapus oculos fere superans,

---

(1) Vix hujus generis.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 142. n° 7[illegible].

sub-clavatus; articuli funiculi basales longiusculi, sub-obconici, reliqui paulo breviores, sub-turbinati; clava oblonga, ovalis.

Rostrum breviusculum, crassum, angulatum, supra bi-sulcatum, carina media angusta, lineari, versus apicem interrupta, elevata notatum; supra os plaga plana, cordata instructum; mandibulæ exsertæ, validæ, inermes.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax sub-rotundatus, pone oculos non lobatus.

Scutellum rotundatum, distinctum, plus minusve elevatum.

Elytra elongata, basi conjunctim introrsum sub-emarginata, callo postico elevato; humeri obtuse rotundati.

Observ.—Corpus elongatum, durum, obscurum, majusculæ magnitudinis.

1. P. SCUTELLARIS.

Elongatus, ater, glaber, nitidus, thorace pulvinato, obsolete rugoso, elytris fortiter crenato-sulcatis, humeris obtuse angulatis, callo postico alte elevato, conico.—GHL.

Maris: *mandibulæ magnæ, porrectæ, planæ, edentulæ; tibiæ anticæ latæ, compressæ, arcuatæ, apice intus scutatæ.*

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 519. n° 71.—*Ent. Syst.* I. II. p. 462. n° 286.—*Mant.* I. p. 115. n° 196.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 393. n° 475. T. 12. f. 142. et T. 19. f. 240. —*Enc. méth.* V. p. 535. n° 285.

HERBST. *Col.* VI. p. 312. n° 286. T. 84. f. 10.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1785. n° 372.

Curculio exsertus. FABR. *Syst. el.* II. p. 534. n° 163.

WEB. *Obs. ent.* p. 96. n° 8.

Patria: Nova Hollandia.

Observ. — Mandibulæ maris, porrectæ, planæ; thorax rotundatus, pulvinatus; scutellum sub-globosum, elytrorum callus posticus, elevatus, conicus, et pedum anticorum structura, faciem singularem huic insecto præbent; magnitudo et habitus fere *Spondylis buprestoidis.*

2. P. TENEBRIOSUS. *Chevrolat.*

Elongato-ellipticus, niger, parce cinereo-albido-squamulosus, thorace sub-depresso, confertim rugoso, elytris fortiter punctato-subsulcatis, humeris obtuse rotundatis, callo postico conico instructis.

Patria: Nova Hollandia. Ex Museo Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine ad describendum benevole communicatus.

Præcedente dimidio minor, brevior, parum convexus. Caput breve, latum, convexum, subtiliter punctulatum, nigrum, sub-nitidum, parce squamulosum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite paulo angustius, sed dimidio longius, valde crassum, supra profunde bi-sulcatum, carina media marginibusque lateralibus alte elevatis; obsolete punctulatum, nigrum, parce squamulosum. Antennæ nigræ, cinereo-squamulosæ et setosæ. Thorax sub-rotundatus, antice leviter emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra sub-depressus, rugis tuberculisque difformibus confertim obsitus, niger, sub-nitidus, parce cinereo-squamulosus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, minus profunde sulcata et in sulcis fortiter punctata, interstitiis convexis, transversim rugosis; nigra, sub-nitida, parce cinereo-albido-squamosa; callus posticus crassus, breviter conicus. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, parce albido-squamulosum. Pedes nigri, parce albido-squamulosi, antici longiores et robustiores, tibiis arcuatis, intus denticulis paucis armatis; tarsi omnes valde dilatati, dense cinereo-pubescentes et spongiosi.

GHL.

GREX CARTERUS. *Nobis.*

Adumbratio. — Rostrum bi-sulcatum, in medio linea elevata, versus apicem integra, cum plaga plana, cordata, supra os conjuncta; mandibulæ haud exsertæ. — Scutellum minutum, vix elevatum. — Elytra basi truncata; humeris antrorsum prominulis, acutis. — Cæterum ut in *Prostomis genuinis.*

TYPUS. — *Prostomus squalidus.*

A καρτερὸς fortis, validus.

* 3. P. SQUALIDUS.

Elongato-ellipticus, niger, densius cinereo-submetallico-squamulosus, thorace sub-depresso, confertim tuberculato, obsolete canaliculato; elytris fortiter punctato-sulcatis, humeris antrorsum prominulis, acutis, callo postico conico.

Cherrus id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Patria : Nova Hollandia. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

P. tenebrioso facie similis et magnitudine sub-æqualis. Caput breve, latum, parum convexum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite angustius, sed paulo longius, valde crassum, angulatum, supra profunde bi-sulcatum, punctatum, nigrum, squamulosum. Antennæ nigro-piceæ, cinereo pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine non longior, antice leviter emarginatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, tuberculis elevatis, rotundatis, supra puncto impressis, undique confertim obsitus; niger, opacus, in cavitatibus squamulis cinereis, metallico-micantibus adspersus. Scutellum tuberculiforme, nigrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi latiora, angulo humerali alte elevato, antrorsum prominulo, conico; lateribus inflexa, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat late sulcata, sulcis fortiter punctatis, interstitiis convexis, anterius transversim rugosis; nigra, squamulis cinereis, metallico-micantibus, densius vestita; callus posticus crassus, breviter conicus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes elongati, validi, nigri, antici longiores et robustiores, tibiis arcuatis, interne denticulatis.—GHL.

GENUS 62. DERACANTHUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breves, validæ; articulus funiculi basalis oblongus, reliqui breves, transversi, sub-coarctati, clava ovata, articuli arctissime connexi.

Rostrum breve, crassum, angulatum, supra sub-planum, sulcatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax transversus, utrinque spinosus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra breviter ovata; humeri retusi, rotundati.

Tarsi elongati, angustati, setosi.

Observ. — Corpus mediocris magnitudinis, breve, sub-ovatum, apterum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 90. n° 42 — Latr. in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 597.

1. D. Spinifex.

Breviter ovatus, niger, squamulis cretaceis dense tectus, thorace transverso, tuberculato, antice profunde constricto, utrinque spina valida reclinata armato, elytris rude, remote punctato-striatis, nigro irroratis.—Ghl.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 519. n° 73.—*Ent. Syst.* I. II. p. 463. n° 288.—*Mant.* I. p. 115. n° 199.

Herbst. *Col.* VI. p. 304. n° 340. T. 88. f. 11.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 536. n° 289.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1785. n° 375.

Curculio inderiensis. Pall. *Iter.* I. *App.* p. 464. n° 36. *Icon.* p. 26. n° 5. T. B. fig. 5.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 351. n° 407. T. 18. f. 124.—*Enc. méth.* V. p. 549. n° 354.

Herbst. *Col.* VI. p. 511. n° 552. T. 95. f. 9.

Linn. *Syst. nat.* Ed. Gmel. I. IV. p. 1796. n° 454.

Curculio albicans. Lepech. *Iter.* I. p. 508. T. 16. f. 5.

Patria: Sibiria.

2. D. Armatus (1).

Niger, albo-squamosus, elytris antice rugulosis, apice striatis.

Ad lacum Nor-Saisan Tatariæ semel legit D. Doct. Megen. Mus. Gebleri.

Long. 6 lin., lat. 3 lin. Squamulis albis opalizantibus tectus, parum nitidus.—Caput crassum, transverso-sub-quadratum, dense squamosum, nigro-punctatum, fronte impressa, oculis distantibus, subtus apice acuminatis. Rostrum quadratum, dense squamosum, nigro-punctatum, medio canaliculatum, apice latiore, incrassato, subtus albo-pilosum. Antennæ albo-squamosæ et pilosæ, articulo secundo tertio duplo fere longiore, clava nigra. Thorax longitudine duplo latior, lateribus utrinque spina valida reclinata armatus; supra modice convexus, ante apicem transversim impressus, medio sub-sulcatus, granulatus, dense squamosus. Scutellum dense squamosum. Elytra ovata, antice et lateribus rotundata, postice coarctata, apice rotundata, supra valde convexa, connata, ante apicem late transversim impressa, antice et disco foveis sub-stria-

(1) Mihi invisus.

tim dispositis strigisque transversis inæqualia, ultra medium et margine striata, striis punctatis: antice sparsim, medio et postice dense squamosa, sub-nitida. Corpus subtus albo-squamosum, nigro-variegatum; pedes compressi, longiusculi, albo-squamosi et pilosi; tibiæ apice latiores, spinosæ, anticæ extus dente gemino armatæ, intermediæ sub-arcuatæ, extus 4-spinosæ.—GEBLER.

GENUS 63. OPHRYASTES. *Germar.*

Character generis.—Antennæ breviusculæ, validæ: articulo funiculi 1° sub-elongato, reliquis brevibus, sub-coarctatis; clava ovali, articulis arctissime connexis.

Rostrum breve, crassum, sub-angulatum, supra sulcatum, apice infra profunde sub-quadrato-emarginatum.

Oculi ob-ovati, sub-depressi.

Thorax transversus, supra inæqualis, pone oculos lobatus, ciliatus. Scutellum nullum.

Elytra oblongo-ovalia; humeri oblique rotundati.

Descriptio.—*Corpus* oblongo-ovatum, minoris magnitudinis, apterum.—*Antennæ* ad thoracis medium non pertingentes, versus apicem rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° clavato, oculos haud attingente, 2° sub-elongato, obconico, 3-7 brevibus, sub-transversis, æqualibus, sub-coarctatis, 3° paulo crassiore, clavæ adpresso; clava ovali, indistincte 4-articulata.—*Caput* transversum, convexum.—*Rostrum* capite vix longius, crassiusculum, deflexum, sub-angulatum, supra canaliculatum et prope basin utrinque etiam sulco brevi insculptum; apice infra profunde subquadrato-emarginatum; scrobe jam mox subtus flexa.—*Oculi* laterales, ob-ovati, sub-depressi.—*Thorax* latitudine multo brevior, antice sub-constrictus, late emarginatus, lobis ocularibus sub-productis, obtusis, ciliatis, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim modice convexus, inæqualis, subtus pone gulam late et profunde emarginatus.—*Scutellum* nullum.—*Elytra* basi thorace angustiora, sed illo quadruplo longiora, ob-ovalia, lateribus æqualiter ampliata, medio latiora; humeris oblique rotundatis.—*Pedes* fortes, longiusculi, antici paulo longiores; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis teretibus, anticis parum curvatis, apice oblique truncatis, posticis rectis; tarsi in specimine meo desunt, sed, secundum indicium Cel. Germar, elongati, subtus excavati.

TYPUS. — *Ophryastes sulcirostris.*

Ab ὀφρύα supercilia.

Observ. — Quoad habitum *Cneorhino* generi subsimile est hoc genus, sed forma rostri valde diversa et thorax pone oculos lobatus, evidenter distinguunt.

1. O. Vittatus.

Griseus, squamosus, rostro tri-sulcato, thorace lateribus bi-tuberoso, coleopteris striato-punctatis, vittis duabus suturaque nigris.

Liparus id. Say in *Journ. Acad. Nat. Scient. Philad.* III. p. 316. n° 1.

Habitat in America boreali. Dom. Say. Mus. Germ.

Magnitudine *Otiorhynchi nigri*. Rostrum breve, crassum, parallelipipedum, capite vix angustius, supra tri-sulcatum; scrobe subito subtus flexa. Antennæ thorace breviores, scapo oculum vix attingente, clavato, funiculi articulo 1° clavato, sub-elongato, 2° clavato, breviore, 3, 4 brevibus, turbinatis, 5-7 brevibus, transversis, sub-coarctatis; clava ovali, indistincte quadri-articulata. Oculi laterales, oblongi, depressiusculi. Thorax transversus, griseo-squamosus, foveolis seu punctis magnis, profundis vagis impressus, medio canaliculatus, pone oculos breviter lobatus, lobis obtusis, dense et longius ciliatis, pone gulam emarginatus, lateribus dilatatus, bi-tuberosus, basi truncatus. Coleoptera basi thorace angustiora, sed illo quater longiora, oblongo-ovalia, connata, punctis profundis striata, interstitiis utrinque duabus elevatioribus, griseo-squamosa, sutura tota, vittisque utrinque duabus abbreviatis nigris. Corpus subtus griseo-squamosum. Pedes fortes, longiusculi, antici longiores; femoribus apicem versus latioribus, muticis; tibiis anticis curvatis, apice truncatis, angulo interno subspinoso, posticis rectis, apice truncatis, vix angulatis; tarsis elongatis, setosis, articulis duobus basalibus trigonis, apice emarginatis, subtus profunde excavatis, nudis, penultimo bilobo, subtus excavato, lobis subtus spongiosis; ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato. — Germar.

2. O. Sulcirostris.

Oblongo-ellipticus, niger, squamositate densa griseo-albida tectus, fusco irroratus, rostro sub-trisulcato, thorace transverso, rugoso, lateribus rotundato, elytris ob-ovalibus, tenuiter sub-remote punctato-striatis.

Liparus id. Dom. Say in *Journ. Acad. Nat. Scient. Philad.* III. p. 316. n° 2.

Patria: America borealis. Ex Museo Dom. Prof. SAY, ad describendum communicatus.

Magnitudo *Cneorhini pyriformis*. Caput majusculum, convexum, disperse punctatum, nigrum, squamositate densa cinereo-albida tectum, pilisque parvis, erectis fuscis parce adspersum; oculi laterales, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite vix angustius, sed paulo longius, valde crassum, supra fornicatum inæquale, sulco medio lato et profundo exaratum, et juxta basin alio utrinque insculptum, punctatum, nigrum, squamosum et pubescens. Antennæ nigræ, cinereo-squamulosæ. Thorax brevissimus, transversus, antice late, sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus obtusis, albo-ciliatis; intra apicem constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim convexus, rugis difformibus valde inæqualis, rude punctatus, in medio canaliculatus, niger, dense cinereo-albido-squamosus, sulco medio obscurius fusco-squamoso. Elytra sub-elliptica, antice thoracis basi angustiora, sed pone basin oblique ad medium ampliata, dein posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora et ultra, supra modice convexa, anguste striata, et in striis sub-remote punctata, punctis plerisque parvis, oblongis, interstitiis sub-convexis, alutaceis; nigra, squamositate densa albida et fusca tecta, obsolete variegata. Corpus subtus obsolete punctulatum, squamositate densissima albida, nitida, fusco irrorata, tectum. Pedes longiusculi, præsertim antici, omnes nigri, albido-squamulosi.—GHL.

GENUS 64. GRAPHORHINUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, validæ; scapus apice valde incrassatus; articuli primi funiculi elongati, sub-obconici, reliqui breves, sub-turbinati; clava oblonga, sub-ovata.

Rostrum breviusculum, crassum, supra inæquale, apice infra profunde rotundato-emarginatum.

Oculi sub-ovati, modice prominuli.

Thorax lateribus sub-rotundatus, anterius angustior, supra parum convexus.

Elytra oblongo-ovata, basi junctim introrsum emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis.

Descriptio.—*Corpus* sub-ovatum, mediocris magnitudinis, apterum.—*Antennæ* thorace breviores, versus apicem rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, apice valde incrassato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, 4-8

brevibus, sub-turbinatis, gradatim crassitudine perparum crescentibus; clava oblonga, sub-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis.—*Rostrum* longitudine vix capitis, crassum, deflexum, sub-angulatum, supra sub-trisulcatum, apice triangulariter-et infra profunde rotundato-emarginatum; scrobe profunda, lata, subito subtus flexa.—*Oculi* laterales, sub-ovati, modice prominuli.—*Thorax* latitudine medii vix longior, anterius parum angustior, lateribus modice rotundatus, antice posticeque sub-truncatus, pone oculos non lobatus supra nonnihil convexus, subtus pone gulam vix emarginatus.—*Scutellum* haud observandum.—*Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi perparum latiora et illo triplo longiora, basi junctim introrsum emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis; supra convexa, versus apicem non callosa, margine laterali inflexo abdomen arcte includentia, apice junctim aut obtuse rotundata, aut sub-acuminata, anum occultantia.—*Pedes* mediocres, antici paulo longiores, validi; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, apice muticis; tarsis longis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo valido, clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Graphorhinus vadosus.*

A γράφω exaro, ῥιν-ος nasus.

Observ. — Genus hocce habitu generi *Minyopi* simillimum, sed differt imprimis: antennis rostroque aliter constructis, thorace pone oculos non lobato et tarsis latioribus.

* 1. G. Vadosus.

Ovatus, niger, squamositate densa fusco-cinerea undique tectus, thorace rude rugoso-punctato, elytris profunde, remote punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, convexis.

Curculio id. Dom. Say *in Litt.*

Patria: America borealis. A Dom. Say benevole communicatus. Mus. Schh.

Barynoto obscuro, cui facie subsimilis, paulo minor. Caput breve, latum, punctatum, posterius convexum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte fovea magna, rotundata, profunda inter oculos impressa; oculi ovati, prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite parum angustius, nec longius, valde crassum, supra sulco medio lato, et versus basin utrinque alio brevi, conico insculptum, nigrum, squamosum. Antennæ nigræ, parcius squamulosæ et setosæ, clava sub-nuda. Thorax anterius paulo angustior, apice

leviter emarginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, valde inæqualis, rude punctatus et rugosus, in medio sub-interrupte canaliculatus, niger, squamositate densa fusco-cinerea tectus. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis; thoracis basi vix latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, punctis magnis, profundis, remotis striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus convexis; nigra, squamositate densa fusco-cinerea tecta. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-squamulosi et pilosi. —GHL.

2. G. OPERCULATUS.

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, parce cinereo-albido-squamosus, thorace profunde sulcato, vix punctato, elytris profunde, remote punctato sub-striatis, interstitiis sub-æqualibus, convexis, obsoletissime alutaceis.

Curculio id. Dom. SAY *in Litt.*

Patria : Mexico. Ex Museo Dom. SAY, ad describendum amice communicatus.

Præcedente paulo major, longior. Caput breve, latum, obsolete punctulatum, posterius convexum, fronte inter oculos fovea sat profunda, rotundata, impressa; oculi sub-ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite parum angustius, nec brevius, valde crassum, supra sulco medio, posterius evanescente, et alio utrinque versus basin, longiusculo insculptum; obsolete punctatum, parce albido-squamosum. Antennæ nigræ, fusco-pubescentes. Thorax latitudine paulo brevior, anterius nonnihil angustior, basi apiceque sub-truncatus, lateribus modice ampliatus, supra minus convexus, in medio sulco lato et profundo, nec apicem neque basin attingente, insculptus, prope marginem anticum punctis paucis majoribus impressus, cæterum fere læve, nigrum, sub-nitidum, versus latera et in sulco dorsali albido-squamosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; punctis majusculis, remotis seriatim impressa, vix vero striata, interstitiis æqualibus, sub-convexis, obsoletissime alutaceis; nigra, sub-nitida, squamulis rotundatis albidis densius vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce squamulosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, femoribus clavatis, nitidis, parce squamulosis, tibiis tarsisque scabris, pubescentibus.—GHL.

Genus 65. PACHYRHYNCHUS. *Germ.* (1).

Sphærogaster Dejean.

Character generis. — Antennæ breves, validæ; articuli duo basales funiculi breviter obconici, reliqui breves, sub-rotundati; clava ovata, indistincte articulata.

Rostrum breve, crassum, angulatum, supra planum.

Oculi rotundati, sub-prominuli.

Thorax oblongus, basi marginatus, lateribus rotundatus, supra convexus.

Scutellum minutissimum, trigonum.

Elytra connata, ovato-globosa, valde convexa.

Observ. — Corpus mediocris magnitudinis, ovatum, durum, glabrum, crassum, apterum.

* 1. P. Moniliferus. *Eschscholtz.*

Ater, subtus viridi maculatus, thoracis cruce, elytrorum linea transversa, maculari, media, linea angulata baseos arcuque apicis viridi-adamantinis.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 336. n° 476. T. 1. f. 12. a. b.
Sphærogaster arachnoides. Dejean. *Cat. Col.* p. 95.
Curculio sanctus. Dom. Com. Hoffmans. *in Litt.*
Curculio globiventris. Dom. Latreille *in Litt.*
Curculio adspersus. Dom. Eschscholtz *in Litt.*

Patria: India orientalis. Manilla.

Genus 66. PSALIDIUM.

Psalidium Illig., Germ., Latr., Dejean, Sturm (2). *Curculio* Fabr., Oliv., Herbst.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ; articuli primi funiculi longiusculi, obconici, reliqui breves, apice subtruncati; clava, ovata, 4-articulata.

Rostrum crassum, sub-angulatum; per incisuram transverso-arcuatam a fronte quasi abscissum; mandibulæ exsertæ, arcuatæ, apice sub-acuminatæ.

---

(1) Germ. Ins. Sp. I. p. 336. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 91. n° 43. — Latr. Régne Anim. p. 391.

(2) Illig. Mag. VI. p. 326. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 92. n° 44. — Latr. Régne Anim. p. 391.

Thorax oblongo sub-ovatus, basi apiceque truncatus, supra convexus.

Scutellum minutum, triangulare, depressum.

Elytra ovata, convexa; humeri rotundati.

Observ. — Corpus mediæ magnitudinis, oblongo-ovatum, duriusculum, apterum.

* 1. P. MAXILLOSUM.

Sub-ovatum, ater, nitidum, fronte inter oculos transversim profunde impressa, rostro profunde minus crebre punctato, medio foveolato, thorace subtiliter coriaceo, remote sat profunde punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis confertim granulatis. — BHN.

Curculio maxillosus. FABR. *Syst. el.* II. p. 530. n° 136. — *Ent. Syst.* I. II. p. 472. n° 331.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 375. n° 445. T. 25. f. 359.

HERBST. *Col.* VI. p. 342. n° 315. T. 87. f. 1.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 157. n° 136.

Curculio articulatus. FABR. *Syst. el.* II. p. 518. n° 67. — *Ent. Syst.* I. II. p. 461. n° 282.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 323. n° 135.

Patria: Hungaria, Austria, Tauria.

GENUS 67. SYZYGOPS. *Nobis* (1).

Syzygops LATR. — *Cyclopus* DEJEAN.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; scapus clavatus, oculos superans; articuli funiculi, 1, 2 longiusculi, obconici, illo crassiusculo, reliqui breves, nodosi; clava oblongo-ovata, crassiuscula.

Rostrum breve, crassum, subteres, margine apicali calloso, reflexo.

Oculi sub-rotundati, prominuli, in medio frontis locati, fere connexi.

Thorax oblongus, lateribus rotundatus, convexus.

Scutellum haud observandum.

Elytra breviter ovata, convexa, versus apicem sub-attenuata.

Observ. — Corpus minoris magnitudinis, sub-ovatum, apterum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 93. n° 45. — Latr. Règne Anim. p. 291.

* 1. S. Cyclops. *Schh.*

Sub-ovatus, testaceus, antennis pedibusque dilutioribus, thorace fusco, granulato, albido-squamoso, elytris striato-punctatis, fusco-testaceis, squamulis albidis variegatis.

Cyclopus tereticollis. Dejean. *Cat. Col.* p. 96.

Habitat in insula Bourbon. Mus. Schh.

Parvus; *Sitonæ lineellæ* æqualis. Caput breve, testaceum, confertim punctatum, albido-squamulosum, oculis ovatis, nigro-brunneis, prominulis, in frontis medio fere connatis; rostrum deflexum, longitudine fere capitis, crassum, punctulatum, squamulosum, testaceum, apice callosum. Antennæ thoracis basin attingunt, pallidius testaceæ, clava crassiuscula, ovata, scapo clavato. Thorax latitudine fere longior, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium ampliatus, supra convexus, fuscus, albido-squamulosus, granulis sub-elevatis nigris adspersus. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi latiora, lateribus ampliata, thorace triplo longiora, versus apicem valde attenuata, apice ipso simultaneæ rotundata, supra modice convexa, profunde striato-punctata, fusco-testacea, squamulis albidis variegata, pilisque fuscis adspersa. Corpus subtus fusco-testaceum, albido-squamulosum. Pedes validiusculi, pallidius testacei, femoribus clavatis, muticis.—Ghl.

Divisio IV. BRACHYDERIDES.

Rostrum subhorizontale, latitudine fere capitis eique contiguum, supra sæpius planiusculum, raro teretiusculum, in plerisque breve vel brevissimum, in aliis vero magis elongatum.

Subdivisio I. — *Corpus sæpius brevius, in paucis ovatum, vel oblongo-ovatum, apterum; humeri plerumque rotundati vel obtusi, non prominuli.*

Genus 68. THYLACITES.

Thylacites Germ., Dejean, Latr., Sturm (1). *Curculio* auctorum reliquorum.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ, rigide pilosæ; articuli funiculi 1, 2 obconici, illo majore, reliquis lenticularibus.

---

(1) Germ. Ins. Sp. I. p. 410. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 94. n° 46. — Latr. Règne Anim. p. 391. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 596

Rostrum brevissimum, latiusculum, crassum, supra planiusculum, apice parum emarginatum; scrobs profunda, curvata, subtus flexa.

Oculi rotundati, plus minusve prominuli.

Thorax sæpissime transversus, basi apiceque truncatus, lateribus ampliato-rotundatus.

Scutellum nullum.

Elytra oblongo-ovata, convexa.

Observ.—Corpus oblongo-ovatum, in nonnullis pilosum, mediocris magnitudinis.

STIRPS 1. – Rostrum supra planum, sub-angulatum; frons planiuscula. Oculi valde prominuli.

* 1. T. CATARACTUS.

Oblongo-ovatus, æneo-fuscus, pilosus, cinereo-squamosus, thorace fusco, lineis duabus albidis, elytris macula postica nuda, ænea, albo-interrupta.—SAHLB.

Cycloderes id. SAHLB. *Spec. ins.* I. p. 21. n° 14. T. 2. f. 10.

Patria : Lusitania.

* 2. T. MUS.

Niger, pilosus, rostro lato, plano, thorace granulato, lineis duabus griseis, elytris striato-punctatis, ante apicem macula alba. — HERBST.

Curculio mus. HERBST. *Col.* VII. p. 53. n° 611. T. 98. f. 10.

Patria : Lusitania.

STIRPS 2. — Rostrum supra sub-planum; frons convexiuscula; oculi modice prominuli.

* 3. T. FRITILLUM.

Oblongo-ovatus, niger, undique pubescens, squamulisque depressis cinereo-albidis vestitus, thorace brevi, lateribus ampliato, plaga discoidali rhombea, fusco-squamosa notato, elytris nigro alboque sub-tessellatis, apice conjunctim acute rotundatis.

Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. f. 19.
GERM. *Iter Dalm.* p. 233. n° 276.
Curculio raucus. PANZ. *in Naturf.* XXIV. p. 23. n° 31. T. 1. f. 31.
Curculio robiniæ. HERBST. *Col. VI.* p. 288. n° 259. T. 82. f. 5.

* VAR. β. Undique densius albido-squamosus, obsoletius fusco-tessellatus.

T. lapidarius. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

Curculio canescens. ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* I. p. 40. n° 100. T. 2. fig. 5.—Ed. HELLW. I. p. 378. n° 100.

VAR. γ. Dilutius piceus, parcius squamosus.

T. Hoepfneri. JENISON, secundum Dom. Von WINTHEIM *in Litt.*

Patria: Europa meridionalis. Var. β, præcipue e Gallia merid. a Dom. Com. DEJEAN missus. Var. γ, e Pyrenæis communicavit Dom. Von WINTHEIM. Mus. SCHH.

Medius, *Polydroso micanti* non brevior, sed angustior; caput latum, sub-quadratum, modice convexum, remote punctatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum et pubescens; oculi semiglobosi, nigri; rostrum capite brevius, sed non angustius, supra planum, canalicula brevi, profunda ad basin insculptum. Antennæ crassiusculæ, piceæ, cinereo-squamulosæ et pilosæ. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra convexus, punctatus, niger, squamis depressis, rotundatis, cinereo-albidis, metallico-nitidis vestitus, vittisque tribus fusco-squamosis notatus, media sub-rhombea, lateralibus arcuatis, obsoletioribus; in vitta media interdum linea pallidior observatur. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, concinne, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, disperse punctatis; nigra, squamulis cinereo-albidis, sæpe metallico-nitidis, et pubescentia satis densa cinerea vestita, maculis albidioribus et nigro-fuscis alternantibus obsolete tessellata; plaga humeralis, margo lateralis totus et macula difformis in callo postico, plerumque albo-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis albidis, metallico-micantibus, dense vestitum. Pedes mediocres, punctati, nigri, albido-squamosi et pubescentes.

Var. β. Albidior, signaturis fuscis obsoletioribus tantum differt.

Var. γ. Dilutior, ferrugineo-piceus, supra parcius squamosus, forte immaturus.—GHL.

* 4. T. GLABRATUS.

Oblongo-ovatus, niger, supra glaber, squamulis densis obscure aurichalceis, sub-nitidis tectus, thorace brevi, lateribus ampliato, vitta discoidali sub-rhombea nigro-squamosa notato, elytris nigro maculatis, apice conjunctim obtuse rotundatis.

Curculio robiniæ. HERBST. secundum SCHNEID. teste Dom. SCHUPPEL.

T. obtusus.? DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

Patria : Lusitania. A Dom. SCHUPPEL et STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et affinitas *T. fritilli*, distinctus tamen colore, glabritia et elytris apice obtusis. Caput rostrumque forma et punctura ut in *T. fritillo*, squamulis obscure aurichalceis dense tecta, pilisque erectis fuscis parce adspersa. Antennæ piceæ, clava acuminata, apice dilutius ferruginea. Thorax structura ut in priori, supra tamen paulo minus convexus, disperse punctatus, niger, squamulis obscure aurichalceis tectus, vitta dorsali nigro-squamosa, medio latiore, utrinque erosa notatus; supra glaber, subtus et lateribus pilis paucis, erectis, fuscis adspersus. Elytra antice truncata, pone basin ampliata, posterius parum attenuata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix quadruplo longiora, supra convexa, concinne, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, disperse punctatis; nigra, glabra, squamulis obscure aurichalceis tecta, maculisque plurimis nigro-squamosis, sæpe obsoletis, seriatim sub-tessellata; in callo postico macula cinerascenti-squamosa, at obsoleta observatur. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis minutis, metallico-nitidis adspersum, cinereo-pubescens. Pedes validi, punctati, nigri, fusco-pubescentes.—GHL.

* 5. T. TESSELLATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, pubescens, squamulis depressis cinereo-albidis tectus, thorace brevissimo, lateribus valde ampliato, supra fere plano, plaga dorsali rhombea, fusco-squamosa notato, elytris elongatis, confertim albo fuscoque tessellatis, humeris sub-rectangulatis.

T. rotundicollis.? DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

Patria : Lusitania. A Dom. CHEVROLAT, sub nomine *Curculionis robiniæ* HERBST., ex Musæo Dom. OLIV. benevole communicatus. Mus. SCHH.

T. fritillo aliquantum similis, sed major, præsertim in elytris longior, thorax brevior et latior, supra fere planus, elytra magis confertim tessellata, antice thoracis basi latiora, humeris sub-rectangulatis. Caput, rostrum, oculi et antennæ omnino ut in *T. fritillo*. Thorax adhuc brevior quam in illo, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, supra fere planus, lateribus utrinque squamulis depressis cinereo-albidis, nitidis, dense vestitus, plaga magna media, longitudinali, lateribus angulatim dilatata, sub-rhombica, obscuriore, squamulis fusco-sub-metallicis, nitidis tecta, notatus. Scutellum minutum, nigrum.

Elytra elongata, antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis, lateribus nonnihil ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, subtiliter, obsolete punctato-striata, squamulis cinereo-sub-metallicis tecta, maculisque plurimis parvis fuscis et albidis alternantibus seriatim tessellata; in callo postico macula major, ovata, albida. Corpus subtus squamulis densis albidis nitidis vestitum, punctisque fuscis irroratum. Pedes validi, remote punctati, nigri, squamulis albidis nitidis tecti et fusco-pubescentes.—Ghl.

* 6. T. Turbatus.

Oblongo-ovatus, niger, tenuiter pubescens, squamis cinereo-submetallicis dense tectus, thorace brevi, lateribus valde ampliato, supra sub-depresso, plaga sub-rhombea obscuriore notato, elytris fusco maculatis, apice conjunctim acute rotundatis.

T. sabulosus. Dejean. *Cat. Col.* p. 95.

Patria: Lusitania et Hispania. Mus. Schh. et Ghl.

T. fritillo quodammodo similis, sed triplo major, latior, *Liophlœo nubili* æqualis; thorax magis depressus, color obscurior, pubescentia brevior, etc. Caput sub-quadratum, parum convexum, punctatum, nigrum, squamis cinereo-submetallicis tectum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix capite brevius vel angustius, supra planum, canalicula brevi, profunda versus basin insculptum, similiter ac caput punctatum et squamosum. Antennæ breviusculæ, subtenues, piceo-ferrugineæ, squamulosæ et pubescentes. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, supra parum convexus, in dorso fere planus, disperse punctatus, niger, squamis cinereo-sub-metallicis tectus, plaga media sub-rhombea, obscurius squamosa notatus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace fere quintuplo longiora, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, disperse punctatis; nigra, in dorso squamulis cinereo-sub-metallicis, versus latera albidioribus tecta, pubescentia brevi, declinata, adspersa, maculisque fuscis sub-seriatis variegata. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamis albido-sub-argenteis dense vestitum, longius pubescens. Pedes validi, nigri, albido-squamulosi, longius et densius pubescentes.

Observ.—Sub nomine *T. sabulosus* olim ab Ill. Comite Dejean missus, sed alia vice varietati β *T. fritilli* idem nomen ipse addidit; quare ad confusionem ulteriorem evitandam, nomen mutavimus.—GHL.

* 7. T. UMBRINUS. *Schh.*

Oblongus, niger, longius pubescens, supra squamis umbrinis, subtus et lateribus cinereo-albidis tectus, thorace longiore, lateribus parum ampliato, supra sub-convexo, plaga rhombea obscuriore notato, elytris punctato-striatis, obsoletissime tessellatis.

Curculio fritillum. FABR. *Syst. el.* II. p. 520. n° 80.—*Ent. Syst. Suppl.* p. 171. n° 292—3. forte.?

T. elongatus.? DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

Patria: Lusitania. Mus. SCHH. et GHL.

T. fritillo major, magis elongatus, thorax longior, lateribus minus ampliatus, etc. Caput latum, sub-quadratum, parum convexum, remote punctatum, nigrum, squamis cinereo-albidis, metallico-micantibus tectum, pilisque erectis fuscis parce adspersum; oculi parvi, semi-globosi, nigri; rostrum capite parum brevius, nec angustius, supra planum, similiter ac caput punctatum et squamosum, ad basin canalicula paulo longiore quam in affinibus insculptum. Antennæ crassiusculæ, nigro-piceæ, fusco-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine vix brevior, basi apiceque truncatus, lateribus parum ampliatus, supra minus convexus, disperse punctatus, niger, supra squamis fusco-cinereis tectus et pubescentia erecta fusca adspersus; in medio dorsi plaga sub-rhombea, obscurius fusca notatus, cui utrinque adjacet linea arcuata albidius squamosa, et versus marginem lateralem alia, fere recta, ejusdem coloris. Scutellum minutum, nigrum. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, subtilius punctato-striata, interstitiis disperse punctatis, nigra, squamulis obscure metallicis tecta et pubescentia longiore erecta, fusca adspersa; margo lateralis late albido-squamosus et in callo postico macula indeterminata ejusdem coloris; præterea in disco lituræ, seriatim dispositæ, albidius squamosæ, interdum obsoletæ. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis albido-subargenteis tectum et pubescentia cinerea adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigro-picei, cinereo-albido-squamosi, fusco-pubescentes.

Observ. Cl. Fabricius, loc. cit. *Curc. fritillo* «Thoracem cylindricum» adscripsit, quod de *C. fritillo* Panzeri dici non possit, quare potius ad præsentem adhibui.—GHL.

* 8. T. CHALCOGRAMMUS. *Schh.*

Elongato-ovatus, æneo-fuscus, griseo-pubescens, squamulis cupreis, albidis et nigris variegatus, thorace supra albido quinque-lineato, elytris punctato-striatis, macula postica ænea, albo pupillata.

Habitat in Hispania. Mus. SCHH.

T. umbrino paulo major et latior, colore et angulis posticis thoracis sub-acuminatis, abunde distinctus. Caput latum, crassum, æneo-fuscum, subtilissime alutaceum, cupreo-brunneo-squamosum, macula magna frontali æneo-fusca notatum, pilis fuscis parcis obsitum; oculi laterales, semi-globosi, nigri: rostrum breve, capiti contiguum, eoque paulo angustius, crassiusculum, supra planum, obsolete canaliculatum, squamulis cupreo-brunneis ob-tectum pilisque griseis adspersum. Antennæ capite cum thorace breviores, æneo-fuscæ, pilosæ, squamulis cinereis adspersæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine multo brevior, transversus, antice posticeque truncatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, angulis posticis rectis, sub-prominulis; supra modice convexus, confertim alutaceus, æneo-fuscus, squamulis tectus, parce griseo-pubescens; lineis tribus dorsalibus e squamulis albidis, media recta, angusta, lateralibus arcuatis, et præterea linea marginali albida utrinque ornatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra oblongo-ovata, thorace fere dimidio latiora, lateribus vix ampliata, apicem versus attenuata, sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, regulariter punctato-striata, striis per paria sub-approximatis, interstitiis alternis latioribus cupreo-squamosis, alternis angustioribus lateribusque cinereo-albido-squamosis et irregulariter nigro-punctatis, macula obliqua prope apicem nigra, albido pupillata. Corpus subtus squamulis et pilis densis cupreo-sub-argenteis tectum. Pedes breviusculi, similiter squamulosi, tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 9. T. LASIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, æneo-fuscus, hirsutus, rostro breviter canaliculato, thorace rugoso-punctato, supra obsolete cervino quadrilineato, elytris ovatis, punctato-striatis, linea media et laterali postice connexis cervino-squamosis.

Habitat in Lusitania. Mus. GHL. et SCHH.

Cneorhino fabro quodammodo statura similis, sed dimidio major, præsertim longior et longius hirsutus. Caput breve, latum, subdeflexum, rugoso-punctatum, æneo-fuscum, squamulis griseis atque pilis longis, erectis, fuscis ob-tectum; oculi laterales, semiglobosi, nigri; rostrum capite vix longius et parum angustius, crassiusculum, æneo-fuscum, rugoso-punctatum, similiter squamulosum et pilosum, supra planum, canalicula brevi in medio exaratum. Antennæ thoracis basin non attingentes, nigro-piceæ, pilosæ, clava fusca. Thorax latitudine brevior, antice posticeque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, angulis non prominulis, supra modice convexus, remote at sat profunde punctatus, obsolete canaliculatus, æneo-fusco-squamosus, hirsutie longa, erecta, fusca, crebre adspersus, et præterea lineis quatuor obsoletis, rectis, e squamulis cinereo-fuscis seu cervinis, notatus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, in ipsa basi coarctata, pone humeros ampliata, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, æneo-fusca, minus regulariter punctato-striata, interstitiis vage punctulatis; in interstitiis quarto et sexto a sutura lineæ sub-obsoletæ, antice posticeque confluentes e squamulis brunneo-cupreis vel cervinis; hirsutie longa, erecta, fusca, undique adspersa. Corpus subtus fusco-æneum, punctatum, pilis depressis albidis obsitum. Pedes nigro-ænei, punctati, pilis longis albidis vestiti; tarsi subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 10. T. PILOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, fusco-hirtus squamosusque, antennis ferrugineis, thorace utrinque rotundato, cinereo-quadri-lineato, elytris obsolete punctato-striatis, pallido lineatis. BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 525. n° 108. — *Ent. Syst.* II. p. 468. n° 309.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 327. n° 158.

Curculio licinus. HERBST. *Col.* VI. p. 299. n° 271. T. 83. f. 6.

Curculio pilosulus. HERBST. *Col.* VI. p. 292. n° 263. (Exclud. fig.

Patria: Germania, Hungaria, Sibiria.

* 11. T. PILIFERUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-hirtus squamosusque, fronte leviter, rostro profunde canaliculatis, thorace undique tuberculis parum elevatis obsito, elytris punctato-striatis.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Cneorhino fabro magnitudo æqualis et statura subsimilis. Caput latum, nigrum, obsolete striolato-rugosum, squamulis pubeque grisea adspersum; fronte stria longitudinali leviter canaliculata; oculi laterales, modice prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine capitis et illo parum angustius, crassum, nigrum, similiter squamulosum, longitudinaliter late impressum, et in impressione canaliculatum. Antennæ minus tenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra parum convexus, niger, tuberculis sat magnis, poriferis, parum elevatis, undique obsitus, squamulis setulisque griseis parce adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace dimidio latiora, et illo quadruplo longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, a basi versus apicem linearia, tum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, parum profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, lævibus, squamulis fusco-griseis adspersa, setulisque pallidis seriatim dispositis, obsita. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamosi et pubescentes; femoribus clavatis, muticis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

12. T. Microsus.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis argillaceis densissime tectus, antennis ferrugineis, thorace antice leviter constricto, transversim impresso, lateribus parum rotundato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus.

Curculio microsus. Say *in Litt.*

Patria: Missouri Americæ borealis. Mus. Dom. Say.

Magnitudo et fere facies *Bagoi lutosi.* Caput breve, rotundatum, nigrum, squamulis dilute argillaceis densissime tectum: oculi laterales, parvi, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius sed parum angustius, crassum, supra planum, nigrum, indumento capitis. Antennæ in medio rostri insertæ, ultra medium thoracis pertingentes, minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine media vix longior, basi apiceque truncatus, mox pone apicem leviter constrictus et transversim impressus, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, sat crebre sed

minus profunde punctatus, undique squamulis unicoloribus, argillaceis, tectus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, mox pone basin ampliata, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, dorso antico parum convexa, postice declivia, sutura obsolete elevato-carinata, nigra, obsoletius punctato-striata, interstitia alterna parum elevatiora; tota squamulis argillaceis densissime tecta. Corpus subtus nigrum, thorace cinereo-squamoso, pectore ventreque nudis, sub-nitidis, sat confertim punctatis. Pedes mediocres, validi, nigri, squamulis cinereis tecti; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, sub-rectis, tarsis ferrugineis subtus setosis.—BHN.

13. T. NINGNIDUS (1).

Femoribus posticis, sub-dentatis, griseo-squamosus, antennis rufis, coleopteris ovalibus, punctato-striatis, sutura albo-squamosa.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 412. n° 556.

Patria: Halæ Saxonum.

GENUS 69. CNEORHINUS. *Nobis* (2).

Thylacites GERM., DEJEAN, STURM.—*Polydius* MEGERLE, DEJEAN.—*Curculio* FABR., OLIV., HERBST., GYLLEN.

Character generis.—Antennæ breviusculæ, minus tenues; articuli funiculi 1-2 obconici, reliqui breves, aut nodosi, aut apice truncati.

Rostrum breve, sublatum, supra planum, per strigam transverso-impressam a fronte distinctum, apice profunde emarginatum; scrobs lata, parum curvata.

Oculi sub-rotundati, modice prominuli.

Thorax brevis, antrorsum paulo angustior, lateribus parum rotundatus.

Scutellum aut parvum, aut nullum.

Elytra aut oblonga, aut breviter ovata, supra convexa.

Observ.—Corpore breviore et thoracis forma diversa, rostro apice profunde emarginato et scrobe lata, parum arcuata, hoc genus præcipue a genere *Thylacite* distinguitur.—Corpus mediocris magnitudinis, apterum.

---

(1) An hujus generis? mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 96. *Thylacites* subgenus A.

Stirps 1.—Antennarum articuli 4-8 breviores, nodosi; frons inter oculos linea dimidiata longitudinali impressa.

1. C. Barcelonicus.

Oblongo-ovatus, niger, squamositate cinereo-cretacea dense tectus, thorace disperse punctato, lateribus parum ampliato, elytris remote punctato-striatis, punctis oblongis, angustis, interstitiis obsolete fusco maculatis, interioribus posterius convexis, callosis.—Ghl.]

Curculio id. Herbst. *Col.* VII. p. 45. n° 603. T. 98. f. 2.
* Var. β. Elytrorum interstitiis immaculatis.
Curculio innocuus. Fabr. *Syst. el.* II. p. 512. n° 29.

Patria: Hispania, Africa borealis.

* 2. C. Prodigus.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis albo-argenteis aureisque adspersus, rostro basi constricto, thorace rugoso, lateribus modice ampliato, elytris punctato-striatis, transversim rugosis.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 509. n° 12.—*Ent. Syst. Suppl.* p. 170. n° 238.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 340. n° 390. T. 18. f. 232.
Polydius id. Dejean. *Cat. Col.* p. 96.
Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 186.
Curculio hispanus. Herbst. *Col.* VII. p. 41. n° 599. T. 97. f. 11.
Habitat in Hispania, Barbaria. Mus. Schh. et Ghl.

Longitudo *Brachyderis incani*, sed latior, præsertim in elytris; variat tamen magnitudine. Caput breve, latum, parum convexum, rugoso-punctatum, nigrum, squamulis albo-argenteis, immixtis interdum paucioribus aureo-micantibus, adspersum, fronte foveola profunda, conica impressa; rostrum capite fere longius et parum angustius, basi profunde constrictum, apice triangulariter excisum, supra impressum, cum carinula elevata in impressione; undique rugoso-punctatum, nigrum, similiter ac caput squamosum; oculi laterales, semi-globosi, brunnei. Antennæ thoracis basin fere attingunt, crassiusculæ, fusco-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine multo brevior, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus, niger, squamulis similibus uti caput, plus minusve dense adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora et illi

arcte applicata, pone basin ampliata, versus apicem valde attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, rugis transversis, elevatis, lævibus confertim obsita, nigra, squamulis albo-argenteis et aliis aureo-micantibus plus minusve dense adspersa. Corpus subtus nigrum, rugoso-punctatum, squamulis albidis adspersum, ad latera anteriora maculatim condensatis. Pedes validi, picei vel obscure ferruginei, albido squamosi et pilosi.—GHL.

* 3. C. LUDIFICATOR.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis albido-sub-cœrulescentibus parce adspersus, rostro basi constricto, thorace rugoso, lateribus valde ampliato, in medio breviter carinato, elytris-punctato-striatis, transversim rugosis.

Habitat in Hispania. Mus. SCHH. et GHL.

C. prodigo simillimus et nimis affinis, plerumque paulo minor, thorace lateribus multo magis ampliato, supra in medio breviter carinato et squamositate rariore, aut albida aut cœrulescenti-tincta, fere unice distinctus. Caput, rostrum, oculi, antennæ omnino ut in priori, squamositate rariore tantum excepta. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium valde rotundato-ampliatus, supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus, niger, squamulis albidis, interdum sub-cœrulescentibus, parce adspersus; in medio dorsi carinula, parum elevata, utrinque abbreviata. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma, color, punctura et rugositas omnino ut in priori, sed squamositas rarior, albido-sub-cœrulescens. Corpus subtus et pedes ut in priori.—GHL.

* 4. C. QUADRILINEATUS.

Oblongo-ovatus, niger, dense cinereo-squamosus, thorace parce punctato, sulcato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis alternis anterius elevatis.

Mas.? *dimidio minor et ultra, rostro longiore, angustiore, canaliculato, fronte sulculo obsoleto, impressa.*

Femina: *rostro breviore, crassiore, obsolete sulcato, fronte evidenter sulcata.*

Thylacites id. Dom. ESCHSCHOLTZ *in Litt.*

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Magnitudo valde variat. Femina magnitudine fere *Barynoti obs-*

curi, mas fere triplo minor. Caput breve, nigrum, squamulis cinereis omnino tectum; fronte depressa in mare obsolete, in femina evidentius sulcata, sulco brevi; oculi laterales, sub-oblongi, modice prominuli, brunnei; rostrum capite longius, basi constrictum, maris angustius, evidenter canaliculatum, feminæ latius, supra planum, inæquale, sub-bi-canaliculatum, lateribus reflexis. Antennæ capite cum thorace breviores, piceæ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, fusca. Thorax latitudine medii vix brevior, antice angustior, sub-emarginatus, postice sub-truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, parce punctatus, in medio leviter canaliculatus, squamis densis cinereis undique tectus. Scutellum parvum, triangulare, fuscum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, et illo quadruplo longiora, lateribus inflexa, nonnihil ampliata, apice acuminata, supra valde convexa, nigra, squamulis densis cinereis tecta, sat profunde sed remote punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, sutura et interstitia alternis 3, 5 et 7 a sutura, anterius elevata, sub-costata. Corpus subtus subtiliter coriaceum, squamulis cupreo-argenteis tectum. Pedes concolores; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 5. C. Argentatus. *Gebler.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseo-argenteis tectus, fronte rostroque canaliculatis, thorace profunde remote punctato, elytris subtiliter punctato-striatis.

Habitat in montibus Altaicis. Dom. Gebler. Mus. Schh.

Magnitudo fere *C. quadrilineati.* Caput breve, crassum, supra parum convexum, nigrum, subtiliter punctulatum, squamulis depressis viridi-argenteis adspersum; fronte evidenter sulcata, sulco brevi; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum capite dimidio longius et angustius, basi constrictum, crassum, supra planum, longitudinaliter canaliculatum, nigrum, punctis remotis impressum, squamulis sub-argenteis adspersum. Antennæ longitudine capitis cum thorace, nigræ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax longitudine vix latior, antice angustior, truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, parce punctatus, niger, squamulis cupreo-argenteis, nitidis, undique tectus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, pone humeros sensim ampliata, tum apicem versus citius angustata, apice conjunc-

tim sub-acuminata, supra valde convexa, præsertim posterius, nigra, squamulis unicoloribus griseo-argenteis tecta, subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, planis. Corpus subtus nigrum, squamulis argenteis vestitum. Pedes validi, nigri, squamulis viridi-argenteis adspersi; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

STIRPS 2. – Antennarum articuli 4-8 longiores, sub-obconici; frons ut in stirpe precedenti.

* 6. C. PYRIFORMIS. *Schh.*

Ovatus, niger, dense squamosus, rostro basi constricto, thorace transverso, canaliculato, elytris ventricosis, regulariter punctato-striatis.

α. Squamulis viridi-sericeis tectus.

* VAR. β. Squamulis cupreo-brunneis et nigris undique variegatus.

VAR. γ. Squamulis cinereis unicoloribus vestitus.

Habitat in Lusitania. Mus. GHL. et SCHH.

Magnitudo fere *Liophlœi nubili*, sed variat etiam dimidio minor. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis depressis, in α viridi-sericeis adspersum, fronte sulculo tenui, sæpe obsoleto, impressa; oculi laterales, oblongo-ovati, parum prominuli, brunnei; rostrum capite paulo longius, sed parum angustius, porrectum, basi constrictum, nigrum, supra planum, viridi-sericeo apicem versus cupreo-squamulosum. Antennæ thoracis basin non attingentes, tenues, piceæ, griseo-pilosæ, clava ovata, acuminata, fusca. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, antrorsum paulo angustior, lateribus vix ampliatus, supra modice convexus, niger, squamulis depressis viridi-sericeis sub-metallicis tectus, in medio longitudinaliter obsolete canaliculatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ventricosa, antice thoracis basi vix latiora, humeris obliquis, sed mox pone humeros valde ampliata, apice acuminata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius, lata nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, squamulis viridi-sericeis, ad latera et apicem densioribus tecta. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter coriaceum, squamulis viridi-cupreis tectum. Pedes picei, parce viridi-squamosi et griseo-pubescentes; tarsi subtus fulvo-spongiosi.

Varietates colore indumenti tantum differunt:

In *var.* β, squamulæ fusco-cinereæ, metallico-micantes, immixtis maculis albidioribus ad latera et apicem elytrorum.

In *var. γ*, tota pagina superior squamulis læte cinereis, concoloribus, vestita; latera inflexa elytrorum et pagina tota inferior, squamulis albidioribus, argenteo-micantibus vestita. — BHN.

7. C. HYPOCYANUS.

Oblongo-ovatus, squamulis fusco-cupreis tectus, antennis pedibusque piceis, rostro basi constricto, thorace transverso, canaliculato, utrinque foveola impressa, lineis duabus obsoletis albidis notato, elytris regulariter punctato-striatis, setulis declinatis adspersis.

Mas.? *minor, rostro angustiore, longiore, fronte canaliculata.*
Femina.? *dimidio major, rostro breviore, latiore, fronte non canaliculata.*

Curculio id. Dom. Com. HOFFMANS. *in Litt.*

Habitat in Lusitania. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. GHL.

Sciaphilo muricato magnitudine æqualis. Caput nigrum, squamulis fusco-cupreis, nitidis, omnino tectum; fronte inter oculos depressa, in mare, non vero in femina canaliculata; oculi semiglobosi, brunnei; rostrum basi constrictum, capite paulo longius, in mare illo angustius; supra impressum, rostrum feminæ latius, supra planum, in utroque crassum, rugoso-punctatum, squamulis fusco-cupreis, tectum. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, tenues, rufo-ferrugineæ, pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, angulis obtusis, supra convexus, squamulis fusco-cupreis tectus; in medio canaliculatus, utrinque linea obsoleta, arcuata, albidiore, et postice utrinque foveola, obliqua, impressa, notatus. Scutellum minutum, subtriangulare, nigrum, punctulatum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi parum latiora, mox pone basin ampliata, apice subacuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, nigra, regulariter striato-punctata, interstitiis latis, planis; squamulis densis fusco-cupreis tecta, immixtis squamulis albidis et nigris, unde obsolete variegata videntur; in singulo interstitio series e setulis rigidis, albidis, declinatis. Corpus subtus nigrum, cinereo-squamosum. Pedes nigro-picei, squamulis fusco-cupreis, et pilis albidis vestiti, femoribus muticis, tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

STIRPS 3. — Antennarum articuli 4-8 breviores, nodosi; frons inter oculos absque linea impressa.

* 8. C. GEMINATUS.

Niger, dense fusco-squamosus, cinereo-lineatus, elytris latis, subglobosis, albido-setosis, rostro plano, vix canaliculato.—GHL.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 523. n° 94.—*Ent. Syst.* I. II. p. 465. n° 297.—*Mant.* I. p. 46. n° 203.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 357. n° 416. T. 19. f. 246.—*Enc. méth.* V. p. 537. n° 293.
HERBST. *Col.* VI. p. 348. n° 321. T. 87. f. 7.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 302. n° 31.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 289. n° 112.—*Mon. Curc.* p. 91. n° 91.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 325. n° 146.
VILL. *Ent.* IV. p. 293.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1780. n° 337.
Curculio globatus. HERBST. *Arch.* p. 83. n 76. T. 24. f. 32.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 553. n° 370.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 325. n° 150.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1799. n° 483.
Curculio maritimus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 307. n° 202.
Curculio plagiatus. SCHALL. in *Acta Hal.* I. p. 284.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1798. n° 471.

Patria: Europa temperata et septentrionalis.

* 9. C. ALBICANS.

Ovatus, niger, dense cretaceo fuscoque squamosus, rostro basi subconstricto, thorace transverso, ante medium sub-latiore, obsolete fusco-trilineato, elytris minus ventricosis, subtilissime punctato-striatis, albido-setosis.

Thylacites id. DEJ. *Catal. Col.* p. 95.

Habitat in Gallia boreali. Illust. Com. DEJ. Mus. SCHH.

C. geminato simillimus et valde affinis, sed distinctus videtur, rostro basi evidentius constricto, thorace magis depresso, ante medium ampliato, et elytris subtilius punctato-striatis, brevius setosis. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, squamulis densis cinereo-albidis, pubeque tenui, erecta, albida, tectum; fronte convexa, non canaliculata; oculi parvi, semi-globosi, brunnei; rostrum capite vix longius et parum angustius, basi striga evidenter impressa a fronte distinctum, supra planum, colore punctura et indumento simili uti caput. Antennæ capite cum thorace breviores, fusco-ferrugineæ, albido-pilosæ,

clava ovata, acuminata, pubescente. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium rotundato-ampliatus, supra perparum convexus, intra apicem transversim impressus, crebre subtiliter punctatus, squamulis cretaceo-albidis tectus, lineis tribus dorsalibus, latis, obsoletis, paulo obscurioribus notatus, præterea pube tenui, erecta, albida, obsitus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum. Elytra magna, minus tamen ventricosa quam in *C. geminato*, antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin dilatata, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, apice acuminata, supra valde convexa, nigra, subtilissime punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; squamulis omnino tecta et pube albida, sub-setosa, adspersa; color squamularum in dorso cretaceo et pallide cinerascenti alternatim mixtus, latera vero tota alba vel cretacea. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albido vel cinereo-squamulosum. Pedes concolores et cinereo-pubescentes. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 10. C. ALBINUS. *Schh.*

Ovatus, niger, dense cretaceo et orichalceo-squamosus, rostro basi constricto, fronte sub-canaliculata, thorace utrinque vitta sub-orichalcea notato, vix carinato, elytris sub-ventricosis, regulariter punctato-striatis, albido-setosis, dorso sub-orichalceo, lateribus cretaceo-squamosis.

Habitat in Caucaso. Celeb. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

C. geminato et *albicanti* similis, sed longior et in pluribus distinctus. Caput breve, latum, nigrum, dense squamosum, squamulis in vertice albo-argenteis, in fronte orichalceo-micantibus; frons angustissime canaliculata; rostrum latitudine capitis et illo paulo longius, crassum, supra planum, dense albo-squamosum; oculi semi-globosi, brunnei. Antennæ thoracis basin non attingunt, nigro-piceæ, pilosæ, clava ovato-acuminata. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, antice paulo angustior, sub-constrictus, lateribus vix ampliatus, supra convexus, niger, crebre, subtiliter rugoso-punctatus, squamulis densis cretaceis tectus, medio longitudinaliter obsolete sub-carinatus, vitta laterali utrinque lata orichalceo-squamosa. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum. Elytra ampla, sub-ventricosa, antice quidem thoracis basi parum latiora, humeris obliquis, sed pone humeros valde ampliata, apice acuminata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, nigra, fortius et sub-remote regula

riter punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime coriaceis; tota squamulis densis omnino tecta et setulis minutis, albidis, adspersa; dorsum totum sub-orichalceo-squamosum, parum albido-variegatum, lateribus cretaceo-squamosis. Corpus subtus et pedes dense cretaceo-squamulosis et albido-pubescentes. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 11. C. EXARATUS.

Ovatus, niger, squamulis griseis unicoloribus tectus, rostro medio sub-constricto basi striga a fronte distincto, thorace angustiore, subtiliter rugoso-punctato, elytris ventricosis, subtiliter punctato-striatis, albido-setulosis.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 303. nº 188.
C. signatifrons. Dom. CHEVROLAT *in Litt.*

Habitat in Anglia. Dom. KIRBY. Mus. GHL. In Gallia. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

C. geminato et *albicanti* valde affinis, sed sæpius duplo major, et distinctus colore, rostro thoraceque angustiore, etc. Caput breve, latum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum, squamulis nonnullis griseis adspersum; oculi parvi, globosi, valde prominuli, brunnei; rostrum capite paulo longius, sed parum angustius, crassum, medio constrictum, basi striga profunda, sub-arcuata, a fronte distinctum, supra planum, longitudinaliter obsolete impressum, nigrum, squamulis griseis apicem versus sub-argenteis tectum. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, versus apicem rostri insertæ, fusco-ferrugineæ, albido-pilosæ, clava ovata, acuminata, obscuriore. Thorax quam in *C. geminato* angustior, brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium leviter rotundato-ampliatus, supra modice convexus, intra apicem vix transversim impressus, niger, crebre subtiliter rugoso-punctatus, longitudinaliter sæpius obsolete carinatus, squamulis griseis præsertim versus latera adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, magis quam in *C. geminato* ventricosa, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obliquis rotundatis, mox pone basin valde ampliata, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, versus apicem angustata apice conjunctim sub-acuminata, supra valde convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; tota squamulis densis griseis unicoloribus undique tecta, setulisque brevissimis, albidis, reclinatis, adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter punctulatum, parce griseo-squamu-

losum. Pedes validi, nigri, mutici, griseo-squamosi et pubescentes. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

GREX STROPHOSOMUS.

Strophosoma BILLB. — *Thylacites* GERM., DEJ., STURM., SCHH. (1). *Curculio* FABR., GYLLENH., OLIV. — *Bryssus* et *Julodes* MEG.

Adumbratio. — *Antennæ* longiusculæ, subtenues, scapo longo, clavato; articuli 3-7 funiculi aut nodosi, aut longiusculi, sub-obconici. — *Caput* latum, sæpius sulco frontali longitudinaliter impressum. — *Rostrum* breve, latum, basi sæpius per strigam transversam a capite distinctum. — *Oculi* globosi, valde prominuli.— *Elytra* ampla, ovata, convexa.

Observ.—A genuinis *Cneorhinis* differunt antennis paulo longioribus, magis tenuibus, rostro latiore, oculis magis prominulis. —Corpus minoris magnitudinis, apterum.

STIRPS 1.—Thorax basi truncatus. Elytra ovata, juxta basin non constricta.

* 12. C. CRUCIFRONS.

Ovatus, ferrugineus, griseo-squamosus, fronte profunde canaliculata, rostro brevi, tri-carinato, striga transversa a fronte distincto, thorace rugoso, carinato, elytris subtilissime punctato-striatis.

Strophosoma id. BILLB. *Enum. Ins.* p. 44.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. GHL. et SCHH.

Statura fere *C. fabri*, sed triplo major, variat magnitudine. Caput breve, latum, nigrum, punctulatum, squamulis murinis tectum; fronte plana, sulco profundo, posterius angustato, exarata, inter oculos linea abbreviata transversim insculpta; oculi semi-globosi, valde prominuli, nigri; orbita argenteo-squamosa; rostrum vix longitudine capitis et illo parum angustius, crassum, nigrum, crebre subtiliter punctatum, supra carinulis tribus parallelis insignitum, lateralibus abbreviatis; nigrum, indumento capitis. Antennæ ferrugineæ, pilosæ, vix thoracis basin attingentes, clava, oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, supra parum convexus, nigro-piceus, minus crebre rugosus, squamulis murinis et cinereis obtectus, in medio carinula

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 97 *Thylacites* (subgenus B *Strophosomus*).

valde angusta, modice elevata, præditus. Scutellum demersum, in metathorace forte situm. Elytra ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-prominulis, versus medium modice ampliata, dein sensim angustata, apice ipso rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, ferruginea, regulariter subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, squamulis minutis, murinis, unicoloribus, obtecta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-squamosum. Pedes validi, nigri, squamulis sub-metallico-micantibus adspersi. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.

Observ. Specimen adest duplo fere majus, capite thoraceque evidentius rugosis, cætera omnino conveniunt; forte femina. ?—BHN.

* 13. C. GRAVIS. *Chevrolat.*

Ovatus, nigro-piceus, dense griseo-squamosus, fronte canaliculata, rostro brevi, longitudinaliter late impresso et in impressione unicarinato, thorace subtiliter punctato, obsolete carinato, elytris subtiliter punctato-striatis, albo-setulosis.

Patria: Cap. Bonæ Spei; secund. Dom. CHEVROLAT et HOPE. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *C. crucifrontis*: structura rostri, thorace non rugoso, obsoletius carinato, etc., ab illo distinctus. Caput breve, latum, nigrum, punctulatum, squamulis griseis tectum; fronte plana, sulco minus profundo, postice angustato, impressa; oculi valde prominuli, semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo nonnihil angustius, crassum, rectum, supra planum, longitudinaliter late impressum et in impressione unicarinatum; totum nigrum, subtiliter punctulatum, squamulis griseis tectum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax brevis transversus, longitudine duplo fere latior, antice posticeque truncatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, postice tenue marginatus, supra parum convexus, subtiliter punctatus, carinula longitudinali obsoleta instructus, nigro-piceus, squamulis griseis interdum murinis dense obsitus. Scutellum demersum, vix conspicuum. Elytra ovata, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thorace nonnihil latiora, illoque quadruplo longiora, humeris parum prominulis, a basi ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso rotundata, supra convexa, nigro-picea, regulariter at subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime coriaceis; tota squamulis griseis dense obtecta, setulis brevibus, declinatis,

albidis, adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, squamulis cinereis obtectum. Pedes mediocres, validi, nigri, squamulis griseis vestiti; femoribus muticis, medio incrassatis; tibiis sub-rectis; tarsis subtus cinereo-spongiosis.—BHN.

14. C. ANGULICOLLIS. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis cinereis dense tectus, fronte canalicula tenui impressa, rostro brevi, supra plano, thorace utrinque angulariter valde producto, dorso non carinato, elytris subtiliter punctato-striatis, fusco variegatis.

Habitat in Africa meridionali. Mus. HOPE.

C. gravis statura et facies subsimilis, sed multo minor. *C. coryli* magnitudine æqualis; a congeneribus lateribus thoracis in medio angulariter valde productis mox distinctus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, cinereo-squamosum; fronte sulco vel canalicula longitudinali tenui, insculpta; oculi laterales, valde prominuli, semi-globosi, nigri; rostrum capite parum angustius et longius, crassum, supra planum, non carinatum, nigrum, punctulatum, cinereo-squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, minus crassæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine media multo brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus utrinque in medio angulariter valde productus, supra parum convexus, nigro-piceus, subtilissime punctulatus, squamulis cinereo-argenteis dense tectus, basi maculis nonnullis fuscis notatus. Scutellum vix ullum. Elytra ovata, antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, pone medium angustata, thorace vix quadruplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, nigro-picea, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; tota squamulis densis, dilute cinereis tecta, immixtis maculis e squamulis fuscis præsertim in dorso. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis cinereis dense obsitum. Pedes mediocres, validi, mutici, nigro-picei, cinereo-squamulosi; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 15. C. CORYLI.

Niger, squamulis densis fuscis cinereisque variegatus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, fronte rostroque latis, sulcato-rugosis. —GHL.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 524. n° 98. — *Ent. Syst.* I. II. p. 466. n° 301.—*Mant.* I. p. 116. n° 205.—*Sp. ins.* I. p. 189. n° 154. —*Syst. Ent.* p. 148. n° 110.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 356. n° 415. T. 24. f. 348. — *Enc. méth.* V. p. 537. n° 295.

HERBST. *Col.* VI. p. 349. n° 322. T. 87. f. 8.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 304. n° 32. et IV. p. 613. n° 32.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 287. n° 110.—*Mon. Curc.* p. 93. n° 90.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 335. n° 10.

PANZ. *Faun. Germ.* XIX. 12.—*Ent. Germ.* p. 325. n° 149.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 303. n° 187.

BECHST. et SCHARFF. *Forstins.* I. p. 174. n° 31.

VILLERS. *Ent. Linn.* I. p. 213. n° 164. et IV. p. 278. n° 164.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1780. n° 339.

MART. *Engl. Ent.* T. 19. f. 20.

Curculio capitatus. DE GEER. *Ins.* V. p. 245. n° 32.

BONSD. *Curc. Suec.* p. 33. n° 23. Tab. fig. 24.

VILLERS. *Ent.* I. p. 215. n° 185. et IV. p. 282. n° 185.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1795. n° 449.

Curculio melanogrammus. FORSTER. *cent. Ins.* p. 36.?

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1798. n° 470.?

Thylacites affinis. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

* VAR. β. Minor, griseus vel testaceus, cinereo-fuscoque variegatus, elytris macula baseos albida utrinque.—GHL.

Curculio coryli, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 304.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 335. n° 10. Var. b. et c.

Curculio cervinus. FABR. *Syst. el.* II. p. 528. n° 121.—*Ent. Syst.* I. II. p. 470. n° 317. — *Mant.* I. p. 117. n° 213. —*Sp. ins.* I. p. 190. n° 160.—*Syst. Ent.* p. 149. n° 114.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 328. n° 165.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1781. n° 70.

Thylacites id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 412. n° 8.

Curculio retusus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 306. n° 196.

Curculio aurora. BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 59. n° 193. ?

BECHST. et SCHARFF. *Forstins.* I. p. 173. n° 28.

* VAR. γ. Corpore toto squamulis concoloribus cinereis tecto.—GYLLENH. loc. cit. var. c.

Thylacites coryli. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

Curculio obesus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 304. n° 191.

* VAR. δ. Niger, glaber, antennis pedibusque dilutius rufis; detritus.—GHL. loc. cit. var. d.

Curculio truncatus. BONSD. *Curc.* II. p. 33. n° 22. fig. 23.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 554. n° 376.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1795. n° 448.
Curculio globulus. Panz. *Ent. Germ.* p. 326. n° 152. forte.

Patria : Europa.

16. C. Alternans. *Schh.*

Sub-globosus, piceus, squamulis densis fuscis cinereisque sub-metallicis variegatus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, fronte subtiliter canaliculata, rostro leviter impresso, carinato, thorace sat profunde rugoso, dorso obsolete carinato, elytris cinereo-fuscoque lineatis, sat profunde punctato-striatis, striis per paria approximatis.

Var. β. Parcius squamosus, squamulis unicoloribus cinereis tectus; forte detritus.?

Habitat in Gallia. Mus. Chevrolat.

Minoribus individuis *C. coryli* magnitudine æqualis, elytris magis globosis, thorace breviori, aliter coloratus. Caput latitudine fere thoracis, breve, supra planum, nigrum, squamulis cinereis sub-metallicis dense tectum; fronte canalicula longitudinali tenuissima insculpta, ad oculos utrinque nonnihil producta; oculi laterales, valde prominuli, semi-globosi, nigri; rostrum capite nonnihil longius et angustius, crassum, supra planum, medio longitudinaliter leviter impressum et in impressione carinula parum elevata notatum; totum nigrum, indumento capitis. Antennæ ad thoracis basin pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava elongato-ovata, acuminata. Thorax longitudine duplo latior, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra convexus, niger, crebre sat rude rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter obsolete carinatus, squamulis metallicis cinereis immixtis fuscis tectus. Scutellum nullum. Elytra magna, globosa, antice thoracis basi parum latiora, mox pone basin ampliata, apicem versus iterum angustata, thorace quadruplo longiora, humeris et apice rotundata, supra valde convexa, postice declivia, sat profunde punctato-striata, interstitiis fere planis, alternis paulo angustioribus, unde striæ per paria magis approximatæ; picea, dense fusco-squamosa, interstitia latiora lateribusque squamulis cinereo-albidis tectis, unde elytra cinereo-lineata apparent, setulis brevissimis albidis etiam adspersa. Corpus subtus piceum, squamulis sub-argenteis dense tectum. Pedes mediocres, validi, mutici, rufo-ferruginei, squamulis sub-argenteis, pubeque albida adspersi; tarsis subtus fulvo-spongiosis. -Bhn.

* 17. C. ILLIBATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis sub-cupreis et umbrinis variegatus, antennis pedibusque rufo-piceis, fronte canaliculata, rugulosa, rostro basi constricto, medio impresso, thorace rugoso-punctato, sub-sulcato, elytris punctato-striatis, seriatim setosis.

Habitat in Vollhynia. Dom. BESSER. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et SCHH.

Magnitudo et statura *C. fabri.* Caput breve, latum, nigrum, supra planum, profunde canaliculatum, sulcisque lateralibus impressum, squamulis cupreis et umbrinis tectum; oculi laterales, semi-globosi, brunnei; rostrum capite paulo longius et fere aequelatum, crassiusculum, nigrum, rugoso-punctatum, similiter squamulosum, in medio foveola magna impressum, versus apicem sub-carinatum; basi striga transversa a fronte distinctum. Antennae capite cum thorace paulo breviores, tenues, dilute piceae, pilosae, clava oblongo-ovata, fuscescente. Thorax latitudine brevior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, crebre granulato-rugosus, squamulis umbrinis tectus, in medio anguste et obsolete canaliculatus. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros subito ampliata, apice acuminata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, squamulis densis umbrinis et cupreis mixtis tecta; præterea etiam pube setulisque sub-declinatis, cinereis seriatim digestis adspersa; ipsa basi suturæ interdum nigra denudata, forte detrita. Corpus subtus nigro-piceum, punctatum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, picei, cinereo-pubescentes. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

18. C. NODULIPENNIS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis fusco-brunneis tectus, rostro carinato, fronte plana, supra oculos elevata, thorace brevi, transverso, carinato, rugoloso, elytris sat profunde punctato-striatis, interstitio quarto pone medium trinodoso.

Habitat in Bengalia. Mus. HOPE.

C. geminato nonnihil major. Caput breve, latum, crassum, nigrum, squamulis fuscis adspersum; vertice denudato, transversim subtilissime strigoso; fronte plana, rugulosa, supra oculos nonnihil elevata, carinula longitudinali ad apicem rostri continuata, instructa; oculi rotundati, modice prominuli, nigro-

brunnei; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, rectum, supra planum, nigrum, rugulosum, squamulis fuscis adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis basin vix pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax longitudine duplo fere latior, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium nonnihil rotundato-ampliatus, supra parum convexus, niger, dorso carinatus, totus rugulosus, squamulis fuscis adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra ovata, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thorace parum latiora sed illo quintuplo longiora, humeris rotundatis, mox pone basin valde ampliata, apicem versus iterum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice valde declivia, sat profunde punctato-striata, inter striam a sutura quartam quintamque pone medium tuberculis tribus parum elevatis, ultimo magis producto, instructa; tota nigra, squamulis fusco-brunneis undique tecta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parce squamosum. Pedes validi, mutici, nigri, squamulis cupreo-micantibus pubeque pallida parce obsiti; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 19. C. GLOBOSUS. *Gebler.*

Ovatus, niger, pube grisea tenuissime adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro basi transversim impresso, thorace lateribus rotundato-ampliato, minus crebre punctulato, basi obsolete carinato, elytris ventricosis, piceis, punctato-striatis, interstitiis subtiliter rugulosis.

Habitat in montibus Altaicis. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Statura *C. geminati*, sed dimidio major. Caput breve, latum, planum, nigrum, sat profunde, minus crebre ruguloso-punctatum, pube grisea tenuissime adspersum; vertice sub-lævi; fronte tenue canaliculata; oculi laterales, valde prominuli, globosi, nigri; rostrum capite fere brevius sed vix angustius, crassum, supra leviter impressum, nigrum, ruguloso-punctatum, pube grisea adspersum, basi sulco transverso, sat profunde insculpto, a fronte distinctum. Antennæ crassiusculæ, obscure ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, supra parum convexus, niger, minus crebre punctulatus, basi obsolete carinatus, pube grisea præsertim versus latera adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, nitidum. Elytra ampla, sub-ventricosa, antice thoracis basi parum latiora

humeris obliquis, pone humeros versus apicem ampliata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, nigro-picea, glabra, minus profunde punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtiliter rugulosis, pube grisea parce adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectus squamulis viridi-argenteis variegatum. Pedes validi, obscure ferruginei; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

STIRPS 2. — Thorax basi sub-bisinuatus. Elytra oblongo-ovata, pone basin constricta, margine baseos elevato.

* 20. C. CRUCIFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, fere glaber, fronte rostroque cruciatim impressis, thorace transverso, basi sub-bisinuato, angulato, profunde rugoso-punctato, elytris regulariter et profunde striato-punctatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. SCHH.

Statura oblongior et magnitudo *C. fabri.* Caput breve, latum, nigrum, subtiliter, obsolete punctulatum, supra planum, profunde canaliculatum; oculi laterales, valde prominuli, brunnei; rostrum capite paulo longius et vix angustius, crassum, supra impressum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, basi sulco transverso, profunde insculpto, a fronte distinctum, crucem cum canalicula frontali formante. Antennæ thoracis basin attingentes, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fuscescente. Thorax brevis transversus, antice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, angulis sub-prominulis, supra modice convexus, niger, versus latera confertim et profundius, in medio parcius et subtilius rugoso-punctatus. Scutellum nullum. Elytra in ipsa basi coarctata, thorace fere angustiora, intra basin constricta, margine basali reflexo, dein nonnihil latiora, oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, nigra, glabra, profunde striato-punctata, interstitiis convexis, lævibus. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, sub thorace rugoso-punctatum, parce cinereo-squamosum. Pedes validi, nigro-picei. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 21. C. FABER.

Niger, griseo-hirtus squamosusque, fronte canaliculata, oculis prominulis, thorace brevissimo, postice sinuato, supra cinereo quadrilineato, elytris antice angustioribus.—GHL.

Thylacites id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 411. n° 4.
Curculio id. HERBST. *Arch.* p. 81. n° 68. T. 24. f. 28.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 522. n° 368.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1799. n° 475.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 314. n° 118.
Curculio pilosus. HERBST. *Col.* VI. p. 237. n° 202. T. 77. f. 6.
Curculio pilosellus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 300. n° 29.
Curculio limbatus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 360. n° 421. T. 31. f. 470.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 301. n° 183.
Thylacites id. DEJ. *Cat. Col.* p. 95.
Curculio latirostris. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1807. n° 590.
LESKE. *Mus.* p. 22. n° 466.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 22. C. OXYOPS. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, squamulis densis unicoloribus cinereo-argenteis tectus, antennis pedibusque ferrugineis, fronte non canaliculata, oculis valde prominulis, thorace brevissimo, rugoso, postice sub-truncato, marginato, elytris antice angustioribus, subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Gallia. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

C. fabri statura simillimus, sed dimidio minor et ultra, oculis magis prominulis, fronte non canaliculata, thorace postice sub-truncato, squamulis unicoloribus cinereo-argenteis tecto, etc., ab illo facile distinctus. Caput latum, supra planum, nigro-piceum; vertice denudato; fronte squamulis unicoloribus cinereo-albidis sub-argenteis tecta, non canaliculata, ad oculos utrinque nonnihil producta; oculi laterales, valde prominuli, obscure brunnei; rostrum capite vix longius sed nonnihil angustius, crassum, nigrum, similiter squamulosum, supra planum, nullo modo impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, capite cum thorace nonnihil breviores, tenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax brevis, transversus, apice truncatus, lateribus perparum rotundatus, basi sub-truncatus, marginatus, angulis vix prominulis, supra parum convexus, niger, sat profunde minus crebre rugoso-punctatus, totus squamulis cinereo-albidis sub-argenteis, minus dense tectus. Scutellum nullum. Elytra basi truncata, antice coarctata, thorace fere angustiora, transversim vix impressa, dein nonnihil ampliata, oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub convexis, alternis paulo angustioribus,

unde striæ per paria magis approximatæ; tota squamulis unicoloribus cinereo-albidis, sub-argenteis, dense tecta. Corpus subtus nigrum, parcius cinereo-squamulosum. Pedes validi, rufo-testacei, squamulis sub-argenteis pubeque albida adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. BOH.

* 23. C. LIMBATUS.

Niger, subnitidus, oculis prominulis, thorace postice truncato, elytris ovatis, æqualibus, suturæ basi lineaque laterali argenteo-squamosis. — GHL.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 527. n° 118. — *Ent. syst.* I. II. p. 469. n° 314.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 301. n° 30.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 288. n° 111.

HERBST. *Col.* VI. p. 499. n° 530.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 328. n° 163.

Curculio lateralis. PAYK. *Mon. Curc.* p. 95. n° 92.

Thylacites squamiger. DEJ. *Cat. Col.* p. 95.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 24. C. CRISTATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis fuscis adspersus, oculis prominulis, fronte elevata, impressa, longitudinaliter sulcata, thorace rotundato, supra confertim rugoso, elytris oblongo-ovatis, minus profunde punctato-striatis.

Habitat in Hispania. A Dom. SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

C. limbato angustior sed vix longior. Caput breve, latum, nigrum opacum, rugoso-punctatum, squamulis fuscis adspersum; vertice transversim impresso, denudato; fronte elevata, basi impressa, longitudinaliter sulcata; oculi laterales, parvi, brunnei, valde prominuli; rostrum capite nonnihil longius sed vix angustius, crassum, nigrum opacum, rugoso-punctatum, squamulis fusco-griseis obsitum. Antennæ rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media nonnihil brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, niger, sub-opacus, crebre sat profunde rugosus, squamulis fuscis parce adspersus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, antice in ipsa basi coarctata, thoracis medio vix latiora, pone basin ampliata, thorace quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice rotundata, supra modice convexa, postice

tamen declivia, nigra opaca, minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, æqualibus, squamulis minutis fusco-griseis parce adspersis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis dilute cinereis, parce obsitum. Pedes validi, pube squamulisque cinereis adspersi; femoribus nigris; tibiis nigro-piceis, tarsisque ferrugineis.—BHN.

STIRPS 3. — Antennarum articuli 4-8 breviores, nodosi. Rostrum capiti contiguum, nec per strigam transversam impressam a fronte distinctum; ceterum ut in stirpe 1.

* 25. C. SQUAMULATUS.

Subglobosus, fuscus, dense albo-squamosus pilosusque, antennis, tibiis tarsisque testaceis, thorace brevissimo, æquali, elytris tenue striatis, rostro lato, emarginato.—GHL.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 527. n° 116.
HERBST. *Col.* VI. p. 353. n° 326. T. 87. f. 12.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 306. n° 33.
Patria: Europa borealis, temperata et meridionalis.

STIRPS 4. — Antennæ magis tenues; articuli funiculi 3-7 oblongi, sub-obconici; rostrum ut in stirpe 3.

* 26. C. PORCELLUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, griseo-hirtus, squamulis fuscis et griseis variegatus, antennis rufo-piceis, fronte non canaliculata, thorace profunde punctato, fusco-trilineato, elytris subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

C. fabro duplo major. Caput breve, latum, nigrum, punctatum, squamulis griseis et hirsutie densa fusca obsitum: fronte non sulcata: oculi parvi, laterales, semi-globosi, brunnei; rostrum capiti contiguum et illo paulo longius, extrorsum nonnihil angustius, nigrum, punctatum, similiter squamulosum et hirtum, supra planum, apicem versus impressum, denudatum. Antennæ longitudine fere capitis cum thorace, tenues, dilute piceæ, pilosæ, clava angusta, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, angulis obtusis, supra convexus, niger, sat profunde rugoso-punctatus, cinereo-squamosus et fusco-hirtus, lineis tribus fuscis notatus, quarum media obsoletior, laterales fere nigræ, arcuatæ. Scutellum nullum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora

humeris sub-angulatis, apice acuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; superficies tota squamulis densis griseo-fuscis et sordide albidis variegata, unde elytra quasi e fusco et albido tessellata apparent, hirsutie densa, erecta, fusca, obsita. Corpus subtus piceum, obsolete punctulatum, parcius cinereo-squamulosum et pilosum. Pedes fusco-picei, squamis cinereis pilisque fuscis vestiti. Tarsi rufo-ferruginei, subtus fulvo-spongiosi.

Bhn.

* 27. C. Hispidus.

Oblongo-ovatus, niger, griseo-hirtus squamosusque, antennis pedibusque obscure ferrugineis, fronte vix canaliculata, oculis modice prominulis, thorace angustiori, supra fusco-trilineato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis.

Habitat in Gallia meridionali. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Thylacites hispidus. Com. Dejean *in Litteris.*

Facies, magnitudo et summa similitudo *C. fabri*, sed ab illo oculis minus prominulis, fronte non canaliculata, ut et thorace angustiori, mox distinctus. Caput breve, latum, nigrum, squamulis cinereo-albidis tectum, hirsutie densa fusca obsitum, fronte non sulcata; oculi laterales, parvi, parum prominuli, semi-globosi, nigri; rostrum capiti contiguum et illo paulo longius, extrorsum nonnihil angustius, crassum, supra planum, colore et indumento capitis. Antennæ longitudine capitis cum thorace, subtenues, obscure ferrugineæ, pilosæ, clava angusta, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, apice truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis sub-obtusis, supra modice convexus, niger, sat profunde minus crebre rugoso-punctatus, squamulis cinereo-albidis pubeque fusca tectus, præterea lineis tribus fuscis notatus, media recta, laterales nonnihil arcuatæ. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apice acuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, vix coriaceis; superficies tota squamulis densis griseo-fuscis, et cinereo-albidis variegata, hirsutie erecta fusca obsita. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, parce cinereo-squamulosum et pilosum. Pedes obscure ferruginei, pube cinerea adspersi; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 28. C. TOMENTOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, griseo-hirtus squamosusque, antennis pedibusque obscure ferrugineis, fronte rostroque canaliculatis, oculis prominulis, thorace angustiori, canaliculato, profunde rugoso-punctato, elytris obsolete punctato-striatis.

Thylacites id. Dom. Com. DEJEAN *in Litt.* teste Dom. DUPONT juniore.

Habitat in Gallia. Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *C. hispidi*, sed ab illo fronte thoraceque canaliculatis, oculis prominulis, elytris obsolete punctato-striatis, facile distinctus. Caput breve, latum, crassum, nigrum, obsolete coriaceum, pube grisea adspersum; fronte plana, canalicula profunda ad medium rostri extensa, insculpta; oculi laterales, parvi, semi-globosi, valde prominuli, nigri; rostrum capite paulo longius, et æque fere latum, crassum, nigrum, squamulis raris argenteis adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis basin pertingentes, subtenues, ferrugineæ, griseo-pilosæ, clava parva, sub-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix brevior, apice truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, angulis sub-obtusis, supra modice convexus, niger, profunde rugoso-punctatus, longitudinaliter tenue canaliculatus, pube grisea parce adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, quam latiora fere triplo longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apice acuminata, supra convexa, nigra, obsolete punctato-striata, interstitiis sub-convexis, vix coriaceis, squamulis unicoloribus cinereis tecta, setulis erectis albidis seriatim adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube grisea parce obsitum. Pedes validi, picei, pube cinerea adspersi; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 29. C. SUBSULCATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-pubescens, squamulis cinereis tectus, rostro canaliculato, thorace brevissimo, angustiore, utrinque in medio leviter impresso, postice truncato, elytris antice angustioribus, subtiliter punctato-striatis, singulo vitta umbrina ornato.

Patria : Istria et Italia; secundum Dom. SCHUPPEL. Mus. SCHH.

C. fabro statura et magnitudine subsimilis, nonnihil tamen longior, thorace angustiori, postice truncato ut et colore, etc., abunde distinctus. Caput breve, latum, nigrum, squamulis cinereis dense obtectum; oculi laterales, globosi, modice prominuli; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, nigrum, similiter squamulosum, supra planum, stria longitudinali sat profunde canaliculatum. Antennæ longitudine fere capitis cum thorace, tenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava parva, oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, antice nonnihil latior, supra modice convexus, utrinque fere in medio leviter impressus, dorso longitudinaliter obsolete canaliculatus; totus niger, squamulis cinereo-griseis undique tectus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra in ipsa basi coarctata, thoracis medio angustiora, dein nonnihil latiora, oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, apicem versus iterum angustata, apice ipso rotundata, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, æqualibus, nec alternis angustioribus, superficies tota squamulis griseis pubeque tenui erecta cinerea tecta, in medio singulo elytro vitta irregulari e squamulis umbrinis. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus clavatis muticis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

GENUS 70. SCIAPHILUS. *Nobis.*

Thylacites GERM., DEJEAN, STURM, SCHH. (1). — *Eusomus* GERM. —*Polydrusus* et *Omias* DEJEAN.—*Curculio* FABR., OLIV., GYLLENH.

Character generis.—Antennæ longiusculæ, subtenues, scapo oculos sæpius superante; articuli funiculi 1, 2 obconici, reliqui aut nodosi, aut brevissime obconici.

Rostrum breve, capite paulo angustius, supra sub-planum, apice profunde rotundato-emarginatum; scrobs linearis, angusta, subito subtus flexa.

Oculi parvi, rotundati, parum prominuli.

Thorax parvus, lateribus nonnihil æqualiter rotundatus.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 98. *Thylacites* (subgenus C. *Sciaphilus*).

Observ.—Subgenus *D. Brachysomus* in Curc. Disp. Meth. p. 99 — Vide infra genus idem, sub div. *Cyclomides*.

Scutellum parvum, triangulare.
Elytra oblongo-ovata, supra convexa.

Observ. — Genus hoc *Cneorhinis*, gregis *Strophosomi*, præcipue stirpium 3, 4, affine, sed differt antennis paulo longioribus, scapo oculos sæpius superante, scrobe rostrali angustiore, jam mox subtus flexa. — Corpus oblongo-ovatum, minoris magnitudinis.

Stirps 1. — Thorax longitudine latior.

* 1. S. Muricatus.

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, dense cinereo-squamosus, antennis pedibusque fusco-ferrugineis, thorace brevi, angusto, elytris punctato-striatis, setis erectis hispidis. — Ghl.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 544. n° 223. — *Ent. Syst.* I. II. p. 489. n° 401.
Herbst. *Col.* VI. p. 351. n° 323. T. 87. f. 9.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 321. n° 45.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 279. n° 102.
Panz. *Ent. Germ.* p. 334. n° 205.
Curculio asperatus. Fabr. *Syst. el.* II. p. 541. n° 205.
Payk. *Mon. Curc.* p. 84. n° 81.
Bonsd. *Curc. Suec.* II. p. 34. n° 24. fig. 25.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 561. n° 405.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1795. n° 450.
Curculio planirostris. Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1806. n° 586.
Leske. Mus. p. 21. n° 459. forte.

Patria : Europa.

* 2. S. Barbatulus (1).

Niger, viridi-squamosus, fusco-hirtus, antennis pedibusque rufis, thorace transverso, antice angustiore, elytris punctulato-striatis. — Germ.

Eusomus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 460. n° 604.

---

(1) Cum antennarum scrobs valde curvata et versus paginam inferiorem rostri arcuata sit, eoque loco distincte continuata, antennæ subtenues, haud graciles; tarsi breves, lati, articulis primis trigonis haud longiusculis sub-angustatis, quod e contrario in typo generis *Eusomi* (*Eusomus ovulum*), hac ratione imprimis ausus sum, has tres species a Celeb. Germar ut *Eusomi* descriptas, apte ad hoc genus *Sciaphilus* transferre.

Thylacites smaragdinus. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 95.

Patria : Dalmatia, Illyria.

* 3. S. SCITULUS (1).

Niger, dense viridi-squamosus, antennis tarsisque rufis, thorace cylindrico, elytris punctato-striatis, albo-hirtis.—GERM.

Eusomus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 459. n° 603.

Eusomatus crinitus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 141.

Curculio parvulus. FABR. *Syst. el.* II. p. 528. n° 119. ?—*Ent. Syst.* I. II. p. 469. n° 315. ?

HERBST. *Col.* VI. p. 500. n° 531. ?

Patria : Illyria, Germania.

* 4. S. SETOSULUS (1).

Niger, pallido-squamosus, fusco-hirtus, antennis pedibusque rufis, thorace transverso, cylindrico, elytris punctato-striatis.—GERM.

Eusomus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 461. n° 605.

Patria : Illyria.

* 5. S. VIRIDIS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute virescentibus tectus pubeque fusca adspersus, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace transverso, antice angustiori, elytris evidenter punctato-striatis, femoribus muticis.

Habitat in Italia. A Dom. CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

Affinis certe *S. scituli*, sed dimidio minor, antennis gracilioribus cum pedibus rufis, etc., ab illo diversus. Caput elongatum, tereiusculum, nigrum, punctulatum, squamulis dilute viridi-argenteis adspersum; oculi laterales, sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo paulo angustius, crassum, supra planum, nigrum, punctulatum, indumento capitis, apice triangulariter emarginatum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, tenues, testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax

(1) Vide notam præcedentem, pag. 547.

parvus, longitudine multo latior, basi apiceque truncatus, lateribus perparum rotundatus, apice paulo angustior, supra convexus, niger, dilute viridi-argenteo-squamosus, punctis nigris denudatis pubeque fusca adspersus. Scutellum minutum, vix perspiciendum. Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thoracis basi dimidio latiora, pone basin ultra medium ampliata, tum apicem versus iterum angustata, thorace quadruplo longiora, apice ipso sub-acuminata, supra convexa postice declivia, nigra, evidenter punctato-striata, interstitiis planis; tota squamulis dilute viridi-argenteis tecta, pubeque depressa fusca adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum; pectore parce viridi-squamoso, ventre denudato. Pedes longiusculi, subtenues, rufo-testacei, pube albida adspersi; femoribus clavatis, muticis, obscurioribus, squamulis nonnullis viridi-argenteis adspersis; tarsis elongatis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 6. S. OBLONGUS.

Oblongo-ovatus, niger, griseo-tomentosus, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro brevissimo, fronte canaliculata, thorace subtiliter punctato, sub-carinato, elytris obsoletius punctato-striatis.

Omias oblongus. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 96.

Habitat in Hispania. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Parvus; *Brachysomo hirsutulo* minor, angustior. Caput majusculum, latitudine fere thoracis, convexum, nigrum, subtiliter punctulatum, albido-tomentosum; fronte sat profunde canaliculata; oculi parvi, laterales, sub-rotundi, parum prominuli, nigri; rostrum brevissimum, capite brevius, angustius, crassum, tumidum, supra subplanum, apice impressum, emarginatum, nigrum, punctulatum. Antennæ longitudine fere capitis cum thorace, subtenues, rufo-piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax brevissimus, transversus, antice posticeque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra modice convexus, leviter carinatus, subtiliter punctatus, colore et indumento simili uti caput. Scutellum minutum, sub-triangulare, nigrum, nitidum, punctulatum. Elytra magna, oblongo-ovata, antice thorace multo latiora et illo quadruplo longiora, humeris rotundatis, apice sub-acuminata, supra convexa, nigra, nitida, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, hirsutie albida, declinata obsita. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, hir-

sutie albida uti supra adspersum; segmento anali dilute piceo, carinato. Pedes mutici, rufo-picei, griseo-pubescentes.—BHN.

7. S. AFFLATUS.

Oblongo-ovatus, niger sub-nitidus, squamulis argenteis parce adspersus, antennis tibiis tarsisque rufo-testaceis, rostro brevissimo, fronte canaliculata, thorace sat crebre punctato, elytris obsoletius punctato-striatis.

Curculio id. Dom. CREUTZER *in Litt.* secundum Dom. SCHNEIDER.

Habitat. . . . Mus. GHL.

S. oblongo affinis, sed duplo major, femoribus nigris, thorace non carinato, etc., ab illo mox distinctus. Caput majusculum, latitudine fere thoracis, crassum, parum convexum, nigrum, sat profunde crebre punctulatum, squamulis argenteis adspersum; fronte canalicula brevi exarata; oculi parvi, laterales, globosi, prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, et illo angustius, crassum, supra planum, apice emarginatum, nigrum, punctulatum, squamulis argenteis parce adspersum. Antennæ longitudine capitis cum thorace, subtenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax brevissimus, longitudine fere duplo latior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, supra modice convexus, subtiliter sat crebre punctatus, niger, sub-nitidus, squamulis argenteis præsertim versus latera adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra oblongo-ovata, basi truncata, antice thorace vix latiora, humeris rotundatis, dein ampliata, apicem versus angustata, thorace quadruplo longiora, apice ipso sub-acuminata, supra convexa, nigra, nitida, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, sub-lævibus, squamulis argenteis parce versus latera densius adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, obsolete punctatum, squamulis albidis parce obsitum. Pedes mediocres, rufo-testacei; femoribus nigris, basi apiceque ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

STIRPS 2. Thorax latitudine longior.

* 8. S. Carinula.

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis luteo-virescentibus parce adspersus, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace compresso, rugoso-punctato, carinula longitudinali medio valde elevata instructo, elytris profunde punctato-striatis, fusco-pubescentibus, femoribus dentatis.—Bhn.

Curculio id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 420. nº 518. T. 26. f. 389.
Thylacites asferculatus. Germ. *in Litt.* (Olim.)

* Var. β. Nonnihil latior, squamulis aureo-igneis sat dense obsitus.

Patria: Lusitania.

* 9. S. Hirtipennis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, æneo-fusco-squamosus, antennis rufo-ferrugineis, thorace angusto, oblongo, antice coarctato, obsolete cinereo-trilineato, elytris hispidis, valde convexis, punctato-striatis, obsolete cinereo-lineatis.

Habitat in Guinea. Dom. T. Lund. Mus. Schh.

Magnitudo et facies fere *Sitonæ lineellæ*, sed elytra valde convexa, sub-gibbosa. Caput sub-deflexum, nigrum, squamulis minutis æneo-fuscis tectum, orbita oculorum et lateribus sordide albido-squamosis, setulis rigidis, erectis, albidis adspersum; oculi sub-orbiculati, minus prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum et illo vix longius, apicem versus paulo angustius, crassiusculum, supra planum, cinereo-squamosum. Antennæ capite cum thorace breviores, rufo-ferrugineæ, albido-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine medii multo longior, basi apiceque truncatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, antice angustior et intra apicem constrictus, supra in medio transversim convexus, niger, remote punctatus, squamulis æneo-fuscis tectus setisque brevibus albidis adspersus, lineisque tribus et squamulis cinereo-albidis notatus, media angustiore, obsoletiore. Scutellum demersum, in metathorace situm. Elytra oblongo-ovata, antice vix thoracis basi latiora, lateribus ampliata, apice sub-acuminata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, nigra, punctato-striata, squamulis æneo-fuscis tecta, lineisque pluribus obsoletis, cinereo-albidis, ornata, et præterea setis longioribus, erectis, rigidis, seriatim dispositis, adspersa. Corpus subtus rufo-

piceum, punctulatum, squamulis densis cinereo-albidis sub-metallicis, tectum. Pedes validi, picei, cinereo-squamulosi et pilosi; femoribus modice clavatis.—BHN.

GENUS 71. BLOSYRUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breves, crassiusculæ, setosæ; articuli funiculi duo basales obconici, reliqui breviores, sub-rotundati.

Rostrum brevissimum, sub-tetragonum, crassum, apice emarginatum, per strigam transversim impressam a fronte distinctum; scrobs profunda, arcuata.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax transversus, lateribus æqualiter modice rotundatus.

Elytra ampla, valde convexa, sub-globosa, setifera.

Observ. — Antennæ breves, crassiusculæ, elytra sub-globosa et corpus setosum, hocce genus a reliquis præcipue distinguunt.—Corpus variæ magnitudinis, apterum.

1. B. ONISCUS.

Ovatus, niger, squamulis umbrinis adspersus, fronte tri-canaliculata, rostro late impresso, in impressione utrinque foveolato, thorace remote tuberculato, elytris rude sed minus profunde punctato-striatis, puncto basali et humerali, fascia media obsoleta, tuberculo postico, niveo-squamosis.—BHN.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 355. n° 413. T. 24. f. 346.

Patria : Calcutta.

2. B. ASELLUS (2).

Cinereus, elytris basi utrinque angulatis, postice tuberculo acuto. —OLIV.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 356. n° 414. T. 24. f. 347.

Patria : Bengalia.

3. B. HERTHUS (2).

Fusco-cinereus, elytris fascia laterali abbreviata alba.—HERBST.
Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 64. n° 621. T. 98. f. 14.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 99. *Thylacites* subgenus I.

(2) Huc quoque referri posse opinor, mihi invisus.

Patria : India orientalis.

* 4. B. Hystrix. *Schh.*

Ovatus, niger, dense cinereo-squamosus, setis erectis adspersus, antennis piceis, fronte thoraceque profunde canaliculatis, elytris valde convexis, gibbis, punctato-striatis, macula dorsali, communi, cruciformi, umbrino-squamosa.

Habitat in India orientali et Canton. Dom. Groendal. Mus. Ghl. et Schh.

Magnitudo *S. muricati;* elytris valde convexis, et colore a reliquis hujus generis distinctissimus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis fuscis omnino tectum et setis brevibus, erectis, rigidis parce adspersum; fronte depressa profunde canaliculata; oculi globosi, nigri; rostrum capite vix longius et illo parum angustius, crassum, apice emarginatum, supra planum, per strigam transversim impressam a fronte distinctum, setis et squamulis similibus uti caput obtectum. Antennæ breves, crassiusculæ, setosæ, piceæ, clava ovata, obscuriore. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, crebre subtiliter rugoso-punctatus, in medio profunde canaliculatus et lateribus transversim bis impressus, squamulis fuscis et setis raris, brevibus, erectis, rigidis tectus. Scutellum nullum. Elytra ad basin thorace vix latiora et illo quadruplo longiora, pone humeros valde ampliata, dein versus apicem citius angustata, apice acuminata, valde convexa, globosa seu gibba, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis sub-elevatis, subtilissime rugulosis, squamulis cinereis tecta, macula magna dorsali, communi, umbrino-squamosa, crucem fere formante, ornata, et præterea in singulo interstitio dorsali serie e setis longioribus, crassis, erectis, rigidis, fuscis muricata. Corpus subtus piceum, punctulatum, cinereo-squamosum. Pedes validi; femoribus parum incrassatis, fusco-squamosis et pilosis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. — Bhn.

Genus 72. PLATYCOPES. *Dalman* (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, scapo magno, dila-

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 100. *Thylacites*, subgenus F.

tato, complanato; funiculo subtenui, articulis duobus basalibus, sub-obconicis, reliquis brevioribus, sub-rotundatis.

Rostrum breve, ad basin latitudine capitis eique contiguum, versus apicem angustius, supra planum, per strigam transversam, angulatam, a fronte distinctum in medio sulco longitudinali impressum; scrobs profunde arcuata.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax transversus, lateribus parum ampliatus.

Elytra ampla, rotundato-ovata, valde convexa.

Observ. Scapus satis elongatus, extrorsum valde dilatatus, et rostrum supra planum, per strigam angulatam a fronte distinctum, causam nobis præbuerunt hoc genus distinguendi a *Cneorhino*, cui præterea est simile. Corpus minoris magnitudinis, apterum.

1. P. ARGYRELLUS.

Breviter ovatus, niger, squamulis viridi-argenteis undique tectus, thorace brevissimo, lateribus parum ampliato, elytris amplis, ob-ovatis, sub-remote punctato-striatis.

Curculio id. SPARRM. in *Acta Holm.* 1785. I. p. 56. n° 39. T. 3. f. 39.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 570. n° 54.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1794. n° 442.

Habitat ad Promont. Bonæ Spei. Dom. SPARRMAN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Parvus; minimis *Cneorhini coryli* individuis æqualis et statura similis. Caput breve, latum, sub-convexum, subtiliter granulatum, dense squamosum; rostrum longitudine capitis, antrorsum paulo angustius, basi striga angulata a capite distinctum, supra planum, profunde canaliculatum, dense squamosum; oculi semi-globosi, brunnei. Antennæ thoracis basin attingunt, scapo maximo, extrorsum subtus valde dilatato, compresso, squamoso, funiculo subtenui, piloso, clava parva, ovata, nigra. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus vix ampliatus, supra parum convexus, obsolete rugosus, dense viridi-argenteo-squamosus. Scutellum nullum. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi non latiora, humeris oblique rotundatis, lateribus ultra medium valde ampliata, inflexa, apice conjunctim acuminata, supra convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis latis, planis;

squamulis viridi-argenteis omnino tecta. Corpus subtus squamulis magis argenteo-nitidis tectum. Pedes validi, femoribus dense squamosis, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis, parce squamulosis.—GHL.

2. P. SPATHULATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, squamositate cinerea et fusca vestitus, thorace brevissimo, confertim tuberculato, anterius in medio elevato; elytris amplis, gibbosis, profunde punctato-striatis, pone humerum tuberculo laterali notatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

P. argyrello simillimus, sed longe major, *Cneorhino geminato* mediocri æqualis, et aliter vestitus. Caput breve, latum, posterius convexum, confertim granulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi parvi, semi-globosi, nigri: rostrum capite paulo brevius, antrorsum nonnihil angustius, supra planum, canaliculatum, granulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Antennæ thoracis basin attingunt, nigræ, cinereo-pubescentes, scapo maximo, extrorsum valde dilatato, compresso. Thorax brevissimus, transversus, antice paulo angustior, truncatus, lateribus posterius nonnihil ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, confertim tuberculatus, niger, dense cinereo-squamulosus, in medio dorsi anterioris magis elevatus, fusco-squamosus. Elytra ampla, antice truncata, thoracis basi ibi non latiora, sed pone basin oblique ad tuberculum laterale valde ampliata, dein posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, fornicata, profunde punctato-striata, interstitiis latis, planis, lævibus; nigra, squamositate densa, fusca, vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, dense cinereo-squamulosi.—GHL.

GENUS 73. HERPYSTICUS.

Herpisticus GERM., LATR., SCHH. (1).

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; scapus

---

(1) Germar. Ins. Spec. I. p. 413. — Latr. Regne Anim. p. 591. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 101. nº 47.

oculos attingens; articuli primi funiculi longiusculi, obconici, reliqui breves, sub-turbinati, ultimo clavæ adpresso; clava oblonga, acuta.

Rostrum breve, crassum, supra planum, canaliculatum; scrobs curvata, percurrens.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax brevis, lateribus antrorsum, sensim angustatus, anguli postici sub-acuti.

Scutellum distinctum, triangulare.

Elytra oblongo-ovalia.

Observ. — Corpus elongatum, in feminis paulo latius, apterum, majusculum.

1. H. LESICOLLIS. *.

Niger, brunneo-subsquamosus, thorace alutaceo, lineolis duabus transversis punctisque quatuor impressis, coleopteris oblongo-ovalibus, punctato-striatis, fusco-nebulosis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 413. nº 557. T. 2. f. 3.

Curculio eremita. OLIV. *Ent.* V. 85. p. 321. nº 359. T. 24. f. 338.

Patria : Insula Teneriffa.

GENUS 74. BRACHYDERES. *Nobis* (1).

Thylacites GERM., BILLB. — *Naupactus* MEG., DEJEAN. — *Curculio* auctorum reliquorum.

Character generis. — Antennæ graciles, thorace longiores; scapus ultra oculos extensus; articulus secundus funiculi plerumque primo longior, reliqui breviores, omnes obconici; clava angusta, ovalis.

Rostrum brevissimum, crassum, supra sub-planum; scrobs parum curvata, non profunda.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax brevis, lateribus rotundatus.

Elytra oblonga, sub-ovata.

Observ. — Corpus elongatum, angustum, læve, muticum, apterum, majusculum.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 102. nº 48.

1. B. LUSITANICUS. ♂♀

Elongatus, niger, pube grisea adspersus, subtus cupreo-squamosus, antennis ferrugineis, rostro longitudinaliter late impresso, thorace granulato, antice parum angustato, elytris punctato-striatis, interstitiis confertim granulatis, macula humerali lineaque marginali argenteo-squamosis.--BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 518. n° 63.—*Ent. Syst.* I. II. p. 460. n° 278.—*Mant.* I. p. 115. n° 190.—*Spec. ins.* I. p. 187. n° 144.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 329. n° 373. T. 16. f. 202.—*Enc. méth.* V. p. 532. n° 273.

HERBST. *Col.* VI. p. 326. n° 300. T. 85. f. 12.

VILLERS. *Ent.* LINN. I. p. 212. n° 160. et IV. p. 278. n° 160.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1787. n° 389.

Mas : *elongatus, thorace supra vix impresso, elytris apice muticis.*

Femina : *dimidio latior, thorace supra longitudinaliter late impresso, carinato, elytris sutura argenteo-squamosa, intra apicem tuberculo parvo, conico, instructis.*

VAR. β. Elytris pone medium vitta magna alba.

Patria : Lusitania, Gallia meridionalis.

2. B. GRACILIS. ♂♀. *Schneider.*

Elongatus, niger, griseo-pubescens, antennis tenuibus ferrugineis, thorace brevissimo transverso, crebre rugoso-punctato, supra non impresso, elytris apice sub-mucronatis.

Habitat in Lusitania. Mus. GHL. et SCHH.

B. incano simillimus et valde affinis, differre tamen videtur capite thoraceque evidentius punctatis, elytris posterius magis angustatis, apice sub-mucronatis. Caput breve, latum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, griseo-pubescens; oculi laterales, globosi, brunnei; rostrum brevissimum, vix capite longius, ejusque fere latitudine, crassum, nigrum, supra planum, crebre rugoso-punctatum, in medio late sed non profunde impressum, griseo-pubescens. Antennæ versus apicem rostri insertæ, longitudine fere dimidii corporis, tenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava angusta, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax brevis, longitudine fere dimidio latior, basi apiceque truncatus, anterius paulo angustior, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, ni-

ger, sat crebre et profunde rugoso-punctatus, antice transversim obsolete impressus, griseo-pubescens. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra elongato-ovata, antice thorace vix latiora, pone basin sensim dilatata, apicem versus citius angustata, thorace sextuplo longiora, supra dorso sub-plana, postice declivia, apice in mare obsolete, in femina distincte mucronata, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis rugulosis, pube fusco-grisea, versus apicem magis condensata tecta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, griseo-pubescens, medio denudatum. Pedes longiusculi, validi, fusco-picei, griseo-pubescentes. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. —BHN.

3. B. OPACUS. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis fusco-cupreis adspersus, rostro angustiori, longitudinaliter late sed parum profunde impresso, thorace subtiliter granulato, anterius angustato, postice angulato, elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete granulatis.

Mas : *elongatus, thorace supra vix impresso, elytris apice muticis.*

Femina : *multo latior, thorace supra longitudinaliter impresso, carinato, elytris intra apicem tuberculo valido, conico instructis.*

Habitat in Armorica. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

B. lusitanico statura et magnitudine æqualis, rostro angustiori, thorace longiori, postice angulato, antice magis angustato, etc., ab illo distinctus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, parce griseo-pubescens; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite paulo longius et angustius, crassum, sub-rectum, supra planum, longitudinaliter late sed parum profunde impressum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, griseo-pubescens. Antennæ elongatæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, picea, cinereo-pubescente. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, anterius angustatus, dein sensim latior, angulis baseos rectis, subprominulis, supra fere planus, in mare vix impressus, in femina longitudinaliter impressus et in impressione apicem versus carinatus, niger, subtiliter granulato-punctatus, pube grisea parce obsitus. Scutellum nullum. Elytra in mare elongata, in femina elongato-ovata, antice thoracis basi angustiora, mox pone basin sensim ampliata, apicem versus iterum angustiora, thorace fere sextuplo longiora, apice simultaneæ rotundata, mutica, in femina intra apicem juxta suturam, tuberculo subconico, sat valido instructa.

supra sub-depressa, postice declivia, nigra, tenue punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis vel granulatis, pube grisea squamulisque fusco-cupreis sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, cupreo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, mutici, nigro-picei, fusco-squamosi et griseo-pubescentes; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

4. B. ILLESUS. *Schneider.*

Elongato-ovatus, niger, fulvescenti-pubescens, antennis tenuibus, ferrugineis, thorace brevissimo, crebre rugoso-punctato, transversim medio impresso, elytris profundius punctato-striatis, apice dehiscentibus, tuberculo conico munitis.

Habitat in Lusitania.? Mus. GHL.

B. incano, feminæ, quodammodo similis, sed dimidio major, a reliquis hujus generis distinctissimus, statura latiori, elytris apice dehiscentibus et tuberculo conico instructis. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, griseo-pubescens; oculi laterales, globosi, glauci rostrum et antennæ ut in *B. gracili;* thorax brevis, longitudine dimidio latior, basi apiceque truncatus, anterius paulo angustior, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, supra parum convexus, niger, crebre rugoso-punctatus, in medio transversim obsolete impressus, pube tenui, depressa, fulvescenti tectus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra thoracis basi dimidio latiora et sextuplo fere longiora, antice thoracis basi angustiora, humeris rotundatis, pone humeros parum ampliata, apicem versus sensim angustata, apice ipse dehiscentia, singulatim acuminata, et paulo intra apicem superne tuberculo magno, crasso, subconico, instructa; supra sub-depressa, nigra, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter rugosis, pube depressa, versus apicem magis condensata, fulvescenti, tecta. Corpus subtus nigrum, obsoletius punctatum, fulvo-pubescens, præsertim ad latera. Pedes elongati, fusco-picei, griseo-pubescentes; tarsis dilutioribus, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

5. B. INCANUS. *.

Elongatus, niger, fusco-pubescens, antennis tenuibus ferrugineis, thorace brevissimo transverso, supra depresso.—GHL.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 631.—*Syst. nat.* I. II. p. 610. n° 81. -Ed. GMEL. I. IV. p. 1785. n° 81.

FABR. *Syst. el.* II. p. 518. n° 66. *Ent. Syst.* I. II. p. 461. n° 281.

—*Mant.* I. p. 115. n° 193.—*Spec. ins.* I. p. 187. n° 147.— *Syst. ent.* p. 147. n° 106.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 332. n 377. T. 31. f. 471.—*Enc. méth.* V. p. 533. n° 276.

HERBST. *Col.* VI. p. 236. n° 201. T. 77. f. 5. — *Arch.* V. p. 80. n° 61. T. 24. f. 24.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 286. n° 18.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 296. n° 120.— *Mon.* p. 102. n° 99.

PANZ. *Faun. Germ.* XIX. n° 8.—*Ent. Germ.* p. 323. n° 134.

BONSD. *Curc. Suec.* II. p. 41. n° 36. fig. 37.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 344.

FISCH. *Naturg.* v. *Livl.* p. 134. n° 272.

VILLERS. *Ent.* LINN. I. p. 209. n° 149.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 249. n° 42.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 509. n° 3.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 172. n° 27.

OKEN. *Naturg.* III. p. 769. n° 2.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 237. n° 81.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 86. n° 946.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 71. n° 232.

ZINCKE. *Nadelh. Ins.* p. 38. n° 14.

Naupactus id. DEJ. *Catal. Col.* p. 95.

Brachyrhinus id. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 256. n° 2.—*Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 160.

Curculio griseo-apterus. DE GEER. *Ins.* V. p. 242. n° 28.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 282. n° 10.

LINKS. *Forstm.* I. p. 62. n° 14.

LIST. *Scarab. Angl.* p. 394. n° 30.

♂♀ VAR. β. Pedibus rufescentibus.

Curculio id. VAR. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 610. n° 18.

Curculio rufipes. LINN. *Faun. Suec.* n° 634.—Ed. I. n° 453. *Syst. nat.* I. II. p. 617. n° 83.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1786. n° 83.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 310. n° 209.

VILLERS. *Ent.* LINN. I. p. 209. n° 151.

ZINCKE. *Nadelh. Ins.* p. 38. n° 15.

BESCHT. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 173. n° 29.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 86. n° 945.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 238. n° 83.

LINK. *Forstm.* I. p. 62.

Curculio testipes. SCHRANK. *Faun. Boica.* n° 495.

Patria : Europa.

6. B. Lepidopterus. ♀. *Chevrolat.*

Elongatus, niger, opacus, pube squamulisque cinereis et albidis subvariegatus, antennis ferrugineis, thorace transverso, dorso impresso, elytris mollioribus, subtiliter alutaceis, obsoletissime punctato-striatis.

Habitat in Galliæ Betula. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *B. incani;* distinctus tamen, asseverante Dom. Chevrolat, elytris mollioribus, obsoletissime tantum striatis, subtilius alutaceis, habitatione, etc. Caput et rostrum ut in *B. incano*, nigra, squamulis depressis albidis et pube cinerea parce adspersa. Antennæ tenues, ferrugineæ, pubescentes. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, intra apicem late constrictus, margine elevato, lateribus rotundato-ampliatus, supra in medio fovea magna, lata impressus, obsolete punctatus, niger, parce albido-squamulosus et pubescens. Scutellum minutum, concolor. Elytrorum forma omnino ut in *B. incano*, confertissime, subtilius alutacea, obsoletissime punctato-striata, striis vix nisi versus latera et apicem observandis; nigra, squamulis albidis et pube griseo-sub-ochracea densiore vestita. Corpus subtus saturatius nigrum, obsolete punctatum, parce pubescens. Pedes validi, nigri, dense pubescentes, femoribus clavatis, muticis, tarsis subtus albido-spongiosis.—Ghl.

7. B. Pubescens. ♂♀.

Elongatus, niger, dense griseo-pubescens squamulisque æneo-micantibus adspersus, antennis rufo-piceis, thorace brevissimo, utrinque transversim impresso, elytris punctato-striatis, apice muticis.

Naupactus id. Dejean. *Catal. Col.* p. 95.

Habitat in Gallia meridionali. Dom. Com. Dejean et Dom. Chevrolat. Mus. Schh.

B. incano statura similis, sed dimidio minor, angustior, pube grisea adspersus, thorace aliter constructo et impresso, distinctus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter at non crebre punctatum, griseo-pubescens; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, brunnei; rostrum capite fere brevius eoque paulo angustius, supra planum, anterius impressum, nigrum, punctatum, griseo-pubescens. Antennæ longitudine dimidii corporis, tenues, rufo-ferrugineæ, griseo-pubescentes, clava elongata, acuminata. Thorax brevis transversus, antice posticeque truncatus, lateribus in medio non-

nihil rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, subtiliter rugoso-punctatus, griseo-pubescens, præsertim ad latera immixtis squamulis metallico-micantibus; fere in medio utrinque transversim obsolete impressus. Scutellum minutum, triangulare, piceum. Elytra antice thorace fere angustiora, dein perparum ampliata, apicem versus angustata, thorace sextuplo fere longiora, supra sub-depressa, postice declivia, mutica; tota nigra regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis, pube densa grisea, tecta, immixtis hinc inde squamulis albido-sub-metallicis. Corpus subtus fusco-piceum, obsolete punctatum et tenue griseo-pubescens. Pedes nigri, griseo-pubescentes, tarsis sæpe dilutioribus.

Femina differt: magnitudine paulo major, elytris latioribus et thorace antice obsolete impresso.—BHN.

* 8. B. INAURATUS. *Mannerheim.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-pubescens, supra griseo, subtus aureo-squamosus, oculis oblongis, antennis brevioribus, crassioribus, piceis, thorace longiore, subtiliter rugoso-punctato, elytris ovatis punctato-striatis, apice acuminatis.

B. leucophæus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 103.

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER; in Caucaso. Celeb. Dom. STEVEN. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus, nomine *Otiorhyncus inauratus.* Mus. SCHH.

Facies fere *Otiorhynchi.* Magnitudo *O. æneopunctati.* Caput breve, latum, nigrum, subtiliter crebre punctatum, squamulis paucis cinereo-argenteis, certo situ cupreo-micantibus, pilisque griseis tectum; fronte obsolete canaliculata; oculi sub-oblongi, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum capite paulo longius eoque angustius, apice emarginatum, supra planum, colore, punctura et indumento simili ac caput. Antennæ capite cum thorace paulo longiores, subtenues, piceæ, pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine, paulo brevior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, supra modice convexus, subtiliter rugoso-punctatus, squamulis cinereis et cupreis parce, pilisque depressis griseis obsitus. Scutellum minutissimum, sub-triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et illo quadruplo longiora, oblongo-ovata, pone basin paulatim ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso acuminata, supra valde convexa, subtiliter punctato-striata, intersti-

tiis granulatis, squamulis vel cupreis et cinereis vel cinereo-fuscis obtecta, præterea pube depressa grisea adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter coriaceum, squamulis cinereo-albidis, in pectore sæpe metallico-nitidis adspersum. Pedes nigri, cinereo-squamulosi et pubescentes. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.

BHN.

* 9. B. CONSTRICTUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pubescens, dense dilute viridi-argenteo-squamosus, rostro impresso, thorace brevis transverso, elytris basi coarctatis, transversim impressis, subtiliter punctato-striatis, sutura, vitta dorsali lateribusque dilute fusco-squamosis.

Habitat in Persia. A Dom. STEVEN et FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

B. incano dimidio brevior sed vix angustior, in elytris magis convexus. Caput breve, latum, nigrum, squamulis dilute viridi-argenteis dense tectum; frons depressa, sulculo in medio abbreviato, tenui, impresso; oculi laterales, parvi, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum, crassum, capite parum longius et angustius, supra planum, apicem versus impressum, nigrum, similiter squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, thoracis basin fere attingentes, subtenues, nigræ, squamulis viridi-argenteis, minus dense obsitæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax capite cum rostro brevior, basi apiceque truncatus, anterius paulo angustior, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, squamulis dilute viridi-nitentibus fuscis immixtis tectus, pube depressa, pallida, adspersus. Scutellum minutum, sub-rotundum, planum, squamulis dilute viridi-argenteis tectum. Elytra oblongo-ovata, antice thorace vix latiora, in ipsa basi coarctata, et transversim impressa, pone humeros sensim ampliata, apicem versus iterum angustiora, thorace quintuplo longiora, apice ipso sub-acuminata, supra convexa, postice declivia; tota nigra, subtilissime punctato-striata, squamulis dilute viridi-argenteis vestita, sutura, vitta lata dorsali lateribusque anguste læte fusco-squamosis, pube densa, depressa, pallida, obsita. Corpus subtus dense viridi-argenteo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, densissime viridi-argenteo-squamosi et fusco sub-pilosi; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 75. EUSOMUS.

Eusomus GERM., LATR. — *Eusomatus* DEJEAN, STURM. — *Thylacites* (*Eusomus*) SCHH. olim (1).

Character generis.—Antennæ longiusculæ, graciles; scapo oculos superante, articulis funiculi obconicis, primis longioribus: clava angusta, ovali.

Rostrum breve, crassum, subteres: scrobe curvata, obsolete, continuata.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus.

Elytra ovalia, convexa.

Descriptio.—*Corpus* oblongum, convexum, dense squamosum, apterum.—*Antennæ* apicales, capite thoraceque longiores, graciles, fractæ, 12 articulatæ: articulo 1° oculum superante, clavato; articulis 2, 3 longiusculis, sub-clavatis, sub-æqualibus, 4-8 brevioribus, obconicis; clava longiuscula, angusta, ovali, acuminata, 4-articulata.—*Caput* exsertum, sub-quadratum, modice convexum.—*Rostrum* capite longius eoque paulo angustius, crassum, subteres, parallelipipedum, apice profunde emarginatum; scrobe subtus flexa, obsolete continuata. (Mandibula crassa, cornea, apice acuta, edentula. Maxilla lobo magno, securiformi, membranaceo, apice setoso, basi setis longioribus densis recurvis instructa. Palpi quatuor æquales, longiusculi, filiformes. Glossarium angustatum, oblongum, corneum, cordatum, intergerio magno, semicirculari. —GERM.)—*Oculi* rotundati, prominuli.—*Thorax* latitudine medii vix longior, antice posticeque truncatus, lateribus sub-æqualiter rotundatus, supra modice convexus, subtus integer. — *Scutellum* aut minutum, triangulare, aut nullum.—*Elytra* medio thorace latiora, humeris rotundatis; oblongo-ovalia, convexa, fere connata.—*Pedes* longiusculi; femoribus clavatis, denticulatis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis minus latis, articulis duobus basalibus longiusculis, sub-trigonis, penultimo latiore bilobo, ultimo parum clavato, bi-unguiculato.

TYPUS: — *Eusomus ovulum.* ILLIG., GERM.

Ab εὖ bene, apte, σῶμα corpus.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 457. [illegible] Latr. Règne Anim. p. 391 — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 103.

Observatio. — Corpus semper dense squamosum, articulus antennarum tertius haud secundo longior, quædam formæ scrobis diversitas, atque tarsi paulo longiores et angustiores, præcipue hoc genus a genere *Brachydere* distinguere posse videntur.

* 1. E. OVULUM. *Illiger.*

Niger, viridi-squamosus, opacus, antennis basi rufis, thorace transverso, sub-cylindrico, coleopteris punctato-striatis, femoribus dentatis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 459. n° 602. T. 2. f. 5.
Eusomatus id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 94.
Chrysoloma alneti. MEG. *in Litteris.*

Patria : Germania, Gallia, Tauria, Iberia.

* 2. E. PILIFERUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis cinereo-argenteis tectus, pilisque erectis fuscis adspersus, antennis flavescentibus, elytris subtilius punctato-striatis, femoribus valide dentatis.

Habitat in Persia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *E. ovuli*, ab illo colore squamularum, femoribus valide dentatis ut et pilositate densiori, fere unice distinctus. Caput oblongum, porrectum, nigrum, crebre subtiliter coriaceum, squamulis cinereis, nitidis supra parce versus latera dense adspersum ; præterea pilis tenuibus, fuscis obsitum ; frons plana, canalicula abbreviata, tenui, exarata ; oculi ovati, modice prominuli, nigri ; rostrum capite brevius et paulo angustius, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis et pilis similibus uti caput tectum. Antennæ in medio rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, tenues, pallido-testaceæ seu flavescentes, parce pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine parum brevior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra modice convexus, sub-æqualis, versus basin et apicem obsoletissime impressus; totus niger, subtiliter confertim rugulosus, squamulis cinereo-argenteis versus latera densioribus, pubeque fusca adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, læve. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, versus posteriora magis ampliata, thorace quintuplo longiora, apice ipso rotundata, supra convexa, nigra, regulariter sed minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, lævibus, squamulis par-

vis cinereo-argenteis viridibus immixtis tecta, pubeque erecta, fusca, dense obsita. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis densis cinereo-argenteis tectum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus incrassatis, subtus dente valido armatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 3. E. ELONGATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, griseo-pubescens, squamulis viridi-argenteis tectus, antennis tenuibus flavescentibus, oculi globosi, prominuli, elytris elongatis, punctato-striatis, femoribus denticulatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

E. ovulo minor, angustior. Caput oblongum, porrectum, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis parvis, rotundatis, viridi-argenteis, minus nitidis pubeque depressa grisea tectum: oculi laterales, globosi, valde prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo angustius, supra planum, colore, punctura et indumento simili uti caput. Antennæ longitudine fere dimidii corporis, tenues, pallide testaceæ, griseo-pubescentes, clava angusta acuminata, nigricante. Thorax latitudine vix brevior, basi apiceque truncatus, lateribus vix rotundato-ampliatus, supra modice convexus; totus niger, subtiliter coriaceus, squamulis similibus uti caput tectus, pube grisea obsitus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, viridi-squamosum. Elytra elongata, antice thoracis basi parum latiora et illo quintuplo longiora, supra convexa præsertim posterius, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis sub-lævibus, squamulis rotundatis viridi-argenteis, sub-opacis et pube depressa grisea tecta. Corpus subtus piceum, dense dilute viridi-squamosum. Pedes longiusculi; femoribus crassis, viridi-squamosis, subtus dente parvo armatis; tibiis tarsisque dilute piceis, griseo-pubescentibus.—BHN.

* 4. E. VIRENS. *Schh.*

Oblongus, niger, albido-pubescens, squamulis læte virescentibus tectus, antennis rufo-piceis, rostro impresso, elytris subtilissime punctato-striatis, femoribus denticulatis.

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER: in Podolia australi. Dom. BESSER. Mus. SCHH.

E. ovulo paulo longior, sed angustior. Caput satis magnum, porrectum, subtiliter coriaceum, squamulis minutis, rotundatis, viridi-nitentibus tectum; vertice ob raritatem squamularum obscuriori, fronte obsolete canaliculata; oculi laterales, parvi, globosi, nigri; rostrum capiti contiguum, illo brevius et paulo angus-

tius, supra impressum, nigrum, indumento simili uti caput tectum. Antennæ prope ad apicem rostri insertæ, capite cum thorace longiores, valde tenues, rufo-piceæ, extrorsum obscuriores, pubescentes, clava angusta, acuminata. Thorax rostro cum capite vix longior, antice angustior, sub-emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi truncatus, supra modice convexus, niger, squamulis viridibus obtectus, in medio rarius squamosus, obscurior. Scutellum parvum, sub-triangulare, viridi squamosum. Elytra thorace parum latiora, sed quintuplo longiora, sub-cylindrica, apice angustata, supra convexa, subtilissime regulariter punctato-striata, nigra, squamulis viridi-nitentibus vestita, lateribus et linea dorsali utrinque densius et dilutius viridi-argenteo-squamosis; præterea pube griseo-fusca adspersa. Corpus subtus dilute viridi-argenteo-squamosum. Pedes elongati, tenues, viridi-squamosi et griseo-pubescentes; femoribus incrassatis, subtus dente parvo armatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

5. E. MARTINII (1).

Niger, obscure flavo-aureo-squamosus, fusco-hirtus, antennis rufis, femoribus dentatis.

HUMM. *Ess. ent.* VI. p. 12. n° 17.

Patria : Petropolis.

SUBDIVISIO 2.—Corpus elongatum vel oblongum, plerumque alatum; humeri plus minusve angulati vel prominuli.

GENUS 76. NAUPACTUS.

Naupactus MEG., DEJEAN, STURM.—*Alceis* BILLB.—*Leptocerus* GERM., SCHH. olim (2).—*Curculio* FABR., OLIV.

Character generis.—Antennæ graciles, in plerisque longissimæ, in nonnullis mediocres; scapus oculos superans, clavatus; articulus secundus funiculi duplo longior primo, reliqui breves, omnes obconici; clava elongata, angusta vel oblongo-ovata.

Rostrum breve, supra planum, in medio canaliculatum; scrobs infra-ocularis curvata.

---

(1) Mihi invisus.

(2) Germ. Ins. Spec. I p. 417. —Latr. Règne Anim. p. 391. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 596. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 104. n° 49. Nomen *Leptocera* antea ab Illustr. Com. Dejean, Dom. Lat. et Sturm, in familia *Cerambycino* um usitatum; quare mutandum.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax forma variat : sæpissime breviter subconicus, in aliis sub-rotundatus, in nonnullis pulvinatus.

Elytra aut oblonga aut breviter ovata; humeri plerumque angulati, in nonnullis sub-rotundati.

Pedes antici elongati, validi; femora sæpius magna, valde incrassata; tibiæ anticæ plerumque intus crenulatæ, apice valde curvatæ.

Corpus oblongum aut ovatum, sæpissime alatum, raro apterum, mediæ magnitudinis.

STIRPS I.—Antennæ in plerisque longissimæ. Thorax sub-rotundatus, pulvinatus, basi truncatus. Elytra sub-ovata, antice sæpius sub-truncata, sub-elevata, in nonnullis singulatim sub-rotundata: humeri sub-retusi, vix angulati. Corpus oblongo-ovatum, interdum apterum.

1. N. LONGIMANUS. ♀

Elongato-ovatus, niger, squamulis viridi-argenteis tectus, rostro thoraceque canaliculatis, thorace antice linea transversa, postice maculis duabus aureo-squamosis notato, elytris medio valde ampliatis, punctato-striatis, basi linea transversa, macula laterali margineque apicali dilute viridi-argenteo-squamosis, pedibus ferrugineis.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 519. n° 72. — *Ent. Syst.* I. II. p. 462. n° 287.—*Mant.* I. p. 115. n° 197.—*Spec. ins.* I. p. 188. n° 149. *Syst. Ent.* p. 147. n° 107.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 330. n 375. T. 10. f. 114. -- *Enc. méth.* V. p. 535. n° 286.

HERBST. *Col.* VI. p. 491. n° 515. T. 95. f. 4.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1785. n° 373.

N. interruptus. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 94.

♂ VAR. β. Parcius viridi-squamosus, puncto laterali margineque apicali viridi-argenteis deficientibus, pedibus testaceis, femoribus anticis piceis.

♀ VAR. γ. Parcius viridi-squamosus, thorace elytrisque signaturis ut in α, pedibus piceis.

♀ VAR. δ. Obscurius et parcius viridi-squamosus, signaturis elytrorum forte detritis, pedibus testaceis, anticis piceis.

♀ VAR. ε. Parcius viridi-argenteo-squamosus, thorace ut in α, signaturis elytrorum deficientibus, pedibus piceis.

♀ VAR. ζ. Supra squamulis aureis subtus viridi-argenteis tectus,

thoracis dorso denudato, elytrorum basi, macula laterali margineque apicali viridi-argenteo-squamosis, pedibus nigris.

♀ Var. η. Thorace ut in δ, elytris testaceis, squamulis aureis adspersis, signaturis viridi-argenteis ut in α, pedibus nigris, femoribus posterioribus testaceis.

Curculio longimanus, var. Fabr., Oliv., Herbst., loc. ant. cit.

♀ Var. θ. Thorace ut in δ, elytris obscure testaceis, aureo-squamosis, macula laterali deficiente, pedibus nigris.

♀ Var. ι. Thorace ut in δ, elytris castaneis, squamulis aureis adspersis, signaturis viridi-argenteis ut in α; femoribus basi tibiisque ferrugineis.

Habitat in Brasilia. Mus. Schh.

Statura et magnitudo *N. bipedis*. Caput breve, latum, crassum, porrectum, nigrum, obsolete punctulatum, squamulis viridi-argenteis adspersum; vertice sub-convexo; fronte plana, sulculo tenui ultra medium rostri continuato, exarata; oculi parvi, globosi, nigri; rostrum capitis longitudine et fere latitudine, eidemque contiguum, crassum, parum arcuatum, supra planum, medio nonnihil impressum, nigrum, squamulis griseis et virescentibus adspersum, apice late profunde triangulariter emarginatum, ciliatum. Antennæ longitudine dimidii corporis, tenuissimæ, pallide testaceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fuscescente. Thorax sub-rotundatus, latitudine media vix brevior, antice truncatus, angustior, ibique sub-coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter sub-emarginatus, supra convexus, crebre subtiliter rugoso-punctatus, longitudinaliter angusto canaliculatus, niger, squamulis viridi-argenteis parce adspersus, in margine antico linea lata transversa, et in basi utrinque macula oblonga, sat magna, aureo-squamosis. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice sub-truncata, thoracis basi parum latiora, humeris sub-angulatis, thorace vix triplo longiora, pone humeros sensim valde ampliata, medio valde dilatata, tum apicem versus citius angustata, apice sub-attenuata, conjunctim sub-rotundata; supra parum convexa, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis sub-planis, subtilissime coriaceis, squamulis viridi-argenteis pubeque pallida adspersa, signaturis e squamulis viridi-argenteis insignita; nempe: in singulo elytro ad basin linea angusta transversa, macula in medio laterali vittaque marginalis abbreviata versus apicem. Corpus subtus parce viridi-argenteo-squamosum, ventris medio denudato. Pedes rufo-ferruginei; antici elongati, robusti; femoribus magnis incrassatis,

piceis; tibiis intus spinulosis; reliqui graciles; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 2. N. CURTUS. *Chevrolat.*

Oblongo ovatus, niger, cupreo-brunneo-squamosus, rostro thoraceque antice canaliculatis, thorace sub-globoso, confertim rugoloso, basi pallido-trimaculato, elytris punctato-striatis, sutura lineaque laterali medio introrsum flexa e squamulis dilute virescentibus ornatis.

VAR. β. Niger, capite rostro lineaque obsoleta laterali elytrorum e squamulis cinereis; detritus.

Mas: *dimidio minor, præsertim angustior, nigro-piceus, squamulis albidis parce adspersus; forte detritus.?*

N. unicolor. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH. et CHEVROLAT.

N. longimano affinis, sed dimidio brevior. Caput breve, latum, crassum, nigrum, subtiliter rugulosum, squamulis cupreo-brunneis tectum; fronte plana, canalicula longitudinali ad apicem rostri extensa, insculpta; oculi parvi, laterales, globosi, nigri; rostrum longitudine capitis illoque nonnihil angustius, crassiusculum, vix arcuatum, supra planum, medio leviter impressum, nigrum, a basi ultra medium dense brunneo-squamosum, dein magis denudatum, squamulis viridi-argenteis adspersum. Antennæ longitudine dimidii corporis, tenuissimæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata obscuriori. Thorax sub-rotundatus, latitudine media vix longior, antice truncatus, sub-coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi late sed parum profunde emarginatus, supra valde convexus, subtiliter crebre rugulosus, a medio apicem versus longitudinaliter anguste canaliculatus, niger, squamulis brunneis cupreo-micantibus dense adspersum, ante scutellum et ad latera utrinque macula oblongo-quadrata, e squamulis sub-argenteis. Scutellum minutum, triangulare, dense dilute viridi-argenteo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris vix prominulis, rotundatis, mox pone basin ultra medium ampliata, tum apicem versus citius angustata, thorace plus duplo longiora, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigra, regulariter punctato-striata; tota squamulis brunneis cupreo-micantibus tecta, sutura lineaque laterali in medio sinuatim introrsum flexa dilute viridi-argenteo-squamosis. Corpus subtus nigrum, squamulis cupreis dense obsitum, ventre medio denudato. Pedes nigri, squamulis cupreis adspersi; antici robusti, femoribus

magnis valde incrassatis, muticis; posteriores graciles; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

3. N. Xanthographus. ♂♀

Elongatus, cylindricus, brunneo-squamosus, elytris flavo-signatis, apice tuberculatis, sutura grisea.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 424. n° 567.

Patria : Buenos-Ayres.

* 4. N. Aulacus.

Piceus, brunneo-subsquamosus, coleopteris ovalibus, punctato-striatis, striga humerali, apicali, margine laterali fasciaque media undulata albo-squamosis.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 421. n° 563.
N. histrio. Dejean. *Catal. Col.* p. 95.

Patria : Brasilia.

* 5. N. Curialis.

Brunneus, squamosus, thorace canaliculato, coleopteris oblongo-ovalibus, profunde striato-punctatis, albo maculatis.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 423. n° 566.

Patria : Brasilia.

* 6. N. Roborosus.

Brunneus, squamosus, coleopteris ovato-globosis, punctato-striatis, striga utrinque baseos et fascia media albidis, fusco indutis.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 423. n° 565.
Thylacites (Strophosomus) id. Schh. *Curc. Disp. Meth.* p. 98.

Patria : Brasilia.

* 7. N. Decorus.

Supra fuscus, thorace coleopterisque vittis duabus viridi-aureis.—Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 509. n° 11.—*Ent. Syst.* I. II. p. 450. n° 238.—*Mant.* I. p. 111. n° 165. —*Spec. ins.* I. p. 185. n° 134.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 306. n° 338. T. 12. f. 152. — *Enc. méth.* V. p. 527. n° 245.
Herbst. *Col.* VI. p. 317. n° 290. T. 85. f. 2.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1791. n° 414.

Patria : Brasilia.

* 8. N. KLUGII. *Schh.*

Oblongus, niger, supra squamulis viridibus nitidissimis subtus argenteis indutus, antennis dense pilosis, thorace rugoso, canaliculato, lateribus rotundato-ampliato, elytris sulcatis, sulcis in fundo punctatis, interstitiis carinatis, squamulis destitutis.

Habitat in Brasilia. A Dom. KLUG benevole communicatus. Mus. SCHH.

Species pulchra, antennarum forma et pilositate singulari. Longitudo fere *N. rivulosi*, sed multo angustior. Caput latum, crassum, supra planum, nigrum, parce subtiliter punctulatum, squamulis viridi-argenteis adspersum; fronte sulco longitudinali impressa, ad apicem rostri usque continuato; oculi parvi, globosi, nigri; rostrum longitudine capitis eoque parum angustius, crassum, supra planum, impressum, nigrum, remote punctulatum, squamulis viridibus minus dense obsitum. Antennæ longitudine elytrorum, minus tenues, articulo 1° longitudine rostri, a basi ad apicem sensim incrassato, pubescens, articulis reliquis sensim crassioribus, longe et dense pilosis, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media vix longior, antice posticeque angustatus, apice truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis baseos productis, supra parum convexus, niger, rugoso-granulatus, fundo squamulis viridi-argenteis adsperso, longitudinaliter canaliculatus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, argenteo-squamosum. Elytra elongato-ovata, basi subtruncata, antice thoracis medio fere angustiora, humeris obliquis, rotundatis, pone humeros ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus angustata, thorace triplo longiora, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, squamulis viridi-argenteis nitidis tecta, sat profunde regulariter sulcata, sulcis in fundo confertim punctatis; interstitia elevata, sub-carinata, nigra nitida, remote obsolete punctulata. Corpus subtus nigrum, squamulis cinereis, sub-argenteis, indutum, ventre medio longitudinaliter late denudato. Pedes validi, nigri, squamulis pubeque grisea adspersi; antici elongati, robusti, femoribus valde incrassatis, tibiis intus crenulatis, apice curvatis, uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

Dom. *F. Klug* a Consiliis de rebus medicinalibus in Borussia. Auctor *Entomologische Monographien* et plurium de Hymenopteris disquisitionum; quare in indicium observantiæ quam illi debeo, hoc pulchro Insecto denominando memoriam illius nominis propagare volui. — SCHH.

* 9. N. CHORDINUS. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-pubescens, squamulis virescentibus adspersus, capite rostroque longitudinaliter sulcatis, thorace rugoso-punctato, sulcato, elytris punctato-striatis.

Habitat ad Buenos-Ayres. Sub nomine *Thylacites chordinus.* GERM. a Dom. WESTERMANN communicatus. Mus. CHEVROLAT et SCHH.

Statura fere et longitudo *N. bipedis* feminæ. Caput satis magnum, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis viridi-sericeis tectum, griseo-pubescens, sulculo impresso ad apicem rostri continuato; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum longitudine capitis eoque paulo angustius, crassum, supra planum, nigrum, indumento simili uti caput tectum. Antennæ capite cum thorace paulo longiores, subtenues, nigro-piceæ, griseo-pubescentes, clava elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine medii vix longior, antice truncatus, capite parum latior, lateribus rotundato-ampliatus, posterius parum dilatatus, basi sub-bisinuatus, angulis prominulis, supra modice convexus, niger, rugoso-punctatus, squamulis viridibus obtectus, in medio longitudinaliter sulcatus, rarius squamosus, obscurior, pube longiore grisea adspersus. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum, viridi-squamosum. Elytra thorace quintuplo longiora, antice thorace paulo latiora, sub-truncata, humeris oblique rotundatis, pone humer s nonnihil ampliata, apicem versus iterum angustata, apice singulatim acuminata, supra convexa, nigra, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtilissime coriaceis, squamulis viridibus, in dorso rarioribus, et pube erecta grisea obtecta. Corpus subtus nigrum, dense viridi-argenteo-squamosum. Pedes nigri; antici elongati, robusti, femoribus magnis, valde incrassatis, tibiis intus crenulatis, apice curvatis, unco armatis; femoribus viridi-squamosis, tibiis tarsisque nigro-piceis, griseo-pubescentibus. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.

BHN.

* 10. N. SUFFITUS. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, parce griseo-pubescens squamosusque, capite rostroque longitudinaliter sulcatis, thorace obsolete rugoso-punctato, sulcato, elytris punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, femoribus modice clavatis.

Habitat ad Buenos-Ayres. Sub nomine *Thylacites suffitus.* GERM. a Dom. DE WINTHEIM communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *N. chordini*; colore et femoribus minus clavatis, unice fere distinctus. Caput nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis fusco-griseis et pube concolore præsertim ad oculos et lateribus adspersum; fronte sulculo longitudinali impresso ad apicem rostri continuato; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum capite vix longius, sed paulo angustius, crassum, supra planum, nigrum, indumento simili uti caput tectum. Antennæ ut in *N. chordino*. Thorax latitudine vix longior, antice truncatus, angustior, lateribus rotundato-ampliatus, posterius parum ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis baseos sub-prominulis, supra obsolete rugoso-punctatus, longitudinaliter sulcatus, niger, in dorso denudatus, squamulis cinereis ad latera et hinc inde in dorso condensatis, obsitus, griseo-pubescens. Scutellum mediocre, subtriangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, ut in *N. chordino*, nigra, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtilissime coriaceis, squamulis cinereis, apicem et lateribus versus magis condensatis pubeque erecta, grisea, obtecta. Corpus subtus nigrum, fusco-squamosum, ventris medio magis nudo. Pedes nigri; antici longiores, validi; femoribus modice incrassatis; tibiis anticis intus crenulatis, apice inflexis, uncinatis; femoribus cinereo-squamosis et pilosis; tibiis tarsisque nigro-piceis, griseo-pubescentibus. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. BHN.

* 11. N. ANCEPS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, griseo-pubescens, squamulis fusco-cupreis tectus, capite rostroque longitudinaliter canaliculatis, thorace granulato, sulcato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

Affinis certe *N. suffiti*, sed dimidio brevior, vix vero angustior, thorace granulato, ut et interstitiis elytrorum planis, ab illo etiam diversus. Caput crassum, nigrum, obsolete punctulatum, squamulis fusco-cupreis dense adspersum, sulculo longitudinali ultra medium rostri extenso, impressum; oculi laterales, ovati, prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, et parum angustius, crassum, nigrum, supra planum, rugoso-punctatum, squamulis fusco-cupreis adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, subtenues, nigræ, parce pilosæ. Thorax latitudine media parum brevior, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter sinuato-emarginatus, angulis baseos sub-prominulis, supra modice convexus, sat crebre granu-

latus, longitudinaliter sulcatus, niger, dorso parce versus latera dense fusco-cupreo-squamosus. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, pone basin apicem versus sensim ampliata, tum citius angustata, thorace quadruplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, præsertim posterius, nigra, punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime remote coriaceis, squamulis fusco-cupreis dense tecta, dorso nonnihil denudata; forte detrita, pubeque erecta, fusca, adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis fusco-cupreis parce obsitum. Pedes validi, nigri, squamulis fuscis adspersi; femoribus modice clavatis; tibiis rectis, anticis apice nonnihil arcuatis, intus crenulatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. —Bhn.

Stirps 2. — Antennæ longæ. Thorax sæpius sub-cylindricus, basi truncatus. Elytra oblonga, sub-ovata, antice truncata, thorace haud latiora, angulis humeralibus sub-acutis. Corpus oblongum, apterum.

* 12. N. Optatus.

Oblongus, niger, squamulis dilute umbrinis tectus, thorace sub-quadrato, elytris punctato-striatis, macula scutellari rotunda et alia suturali oblonga niveo-squamosis, linea humerali viridi-argentea maculaque laterali pone medium nivea obscure umbrino-pupillata, ornatis.

Curculio id. Herbst. *Col.* VII. p. 40. n° 597 T. 99. f. 12.
Curculio ypsylon. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 330. n° 374. T. 16. f. 203.

Habitat in America meridionali.? A Dom. Dehaan missus. Mus. Schh.

Statura fere *N. durii*, sed dimidio major et in elytris latior. Caput breve, latum, crassum, nigrum, squamulis densis dilute umbrinis tectum; frons plana, sulculo in medio ad apicem rostri fere extenso, impressa; oculi laterales, ovati, prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, supra planum, leviter impressum, nigrum, similiter squamosum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad thoracis basin vix pertingentes, minus tenues, nigræ, umbrino-squamosæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, vix punctatus, squamulis umbrinis versus latera nonnullis viridi-argenteis

immixtis, dense tectus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, umbrino-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-angulatis, a basi ultra medium sensim ampliatis, tum apicem versus angustatis, thorace plus triplo longiora, apice ipso sub-acuminata, supra parum convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, nigra, squamulis dilute umbrinis dense tecta; in ipsa basi pone scutellum macula sub-rotunda et in medio dorsi ad suturam alia oblonga e squamulis niveis, infra humeros lineola longitudinali viridi-argenteo-squamosa et versus apicem macula laterali obscure umbrina niveo-marginata, ornata. Corpus subtus nigrum, densissime fusco-cupreo-squamosum. Pedes mediocres, validi, nigri, squamulis umbrinis tecti; anticis robustioribus; femoribus apice viridi-argenteo-squamosis; tibiis rectis, anticis apice incurvatis, intus crenulatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

13. N. AMENS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis unicoloribus fusco-cupreis tectus, capite rostroque canaliculatis, thorace amplo, antice angustiori, supra parum convexo, tenue canaliculato, elytris oblongo-ovalibus, profunde punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Magnitudo *N. durii* ₊, ab illo tamen colore, thorace magno, canaliculato, mox distinctus. Caput latum, crassum, nigrum, obsoletissime punctulatum, squamulis fusco-cupreis sat dense obsitum; frons plana, canalicula angusta, ad apicem rostri fere extensa, insculpta; oculi laterales, rotundati, prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo nonnihil angustius, crassum, rectum, supra planum, nigrum, similiter squamulosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine dimidii corporis, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax amplus, latitudine media nonnihil brevior, apice truncatus, basi leviter sub-bisinuatus, marginatus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, niger, punctulatus, canalicula longitudinali, obsoleta, impressus; totus squamulis fusco-cupreis dense obsitus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, fusco-cupreo-squamosum. Elytra oblongo-ovalia, antice thoracis basi parum latiora, sub-linearia, apicem versus sensim attenuata, thorace duplo longiora, apice conjunctim sub-rotundata, supra parum convexa, regulariter sat profunde punctato-striata; tota nigra, squamulis fusco-cupreis tecta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, squamulis fusco-cupreis adspersum. Pedes

elongati, nigri, fusco-cupreo-squamulosi; femoribus incrassatis; tibiis rectis, anticis arcuatis, intus crenulatis; tarsis rufo-piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 14. N. Cinerosus. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis unicoloribus cinereis tectus, capite rostroque canaliculatis, thorace longiori, postice marginato, lateribus modice rotundato-ampliato, linea dorsali pallidiori notato, elytris ovalibus, subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. Schuppel missus. Mus. Schh.

Magnitudo *N. durii* ♀, sed aliter coloratus, thorace longiori, elytris brevioribus, etc. Caput latum, crassum, nigrum, squamulis cinereis sat dense tectum; frons linea angusta ultra medium rostri extensa, insculpta; oculi laterales, globosi, prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, nigrum, supra planum, similiter squamulosum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis basin vix pertingentes, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media parum longior, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice marginatus, supra modice convexus, niger, squamulis cinereis undique sat dense obsitus, linea tamen dorsali, recta, e squamulis albidis, ornatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra ovalia, basi truncata, antice thoracis medio parum latiora, humeris subangulatis, mox pone basin sensim ampliata, pone medium iterum angustata, thorace duplo longiora, apice sub-acuminata, supra convexa, præsertim posterius, regulariter sed minus profunde punctato-striata, nigra, squamulis cinereis dense tecta, setulis albidis adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, parcius cinereo-squamosum. Pedes nigri, squamulis cinereis obsiti: femoribus anticis magis incrassatis; tibiis rectis, anticis arcuatis, intus crenulatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

15. N. Marginalis. *Schh.*

Oblongus, niger, obscure umbrino-squamosus, oculis vix prominulis, thorace cylindrico, lineis quinque sub-argenteis, ornato, elytris convexis, punctato-striatis, sutura vittaque marginali dilute viridi-argenteo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Faldermann.

Ab hoc genere differt oculis vix prominulis. Latitudo *N. durii* ♀.

sed brevior. Caput latum, crassum, nigrum, squamulis obscure umbrinis tectum; macula frontali orbitaque oculorum dilute viridi-argenteo-squamosis; frons fere plana, canalicula tenui ad medium rostri extensa, impressa; oculi ovati, vix prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo paulo angustius, crassum, nigrum, supra planum, squamulis dilute viridi-argenteis umbrinis immixtis, tectum. Antennæ in medio rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, subtenues, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine parum longior, cylindricus, lateribus rectis, apice perparum rotundato-productus, basi truncatus, supra convexus, niger, umbrino-squamosus, lineis quinque rectis e squamulis dilute viridi-argenteis, ornatus, una dorsali et duabus in utroque latere. Scutellum parvum, triangulare, dilute viridi-argenteo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris oblique angulatis, apicem versus attenuatis, thorace vix duplo longiora, apice ipso sub-acuminata, supra convexa, præsertim posterius, regulariter sat profunde punctato-striata, nigra, squamulis obscure umbrinis tecta, sutura, vitta laterali, inæquali, postice abbreviatis, lineola dorsali lineaque marginali e squamulis dilute viridi-argenteis, ornata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis dilute viridi-argenteis tectum. Pedes nigri, squamulis viridi-argenteis adspersi; femoribus modice clavatis; tibiis rectis, anticis parum arcuatis, intus crenulatis; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

16. N. SETARIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, æneo-fusco-squamosus, capite rostroque canaliculatis, thorace supra argenteo-bilineato, elytris punctato-striatis, macula utrinque basali et tribus disci argenteis, ornatis, setis albidis seriatim hispidis.

Habitat in Brasilia. Mus. GYLLENHAL. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus.

N. scelesto etiam similis et affinis, sed dimidio major, thorace bi-lineato, elytris aliter coloratis, abunde distinctus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis æneo-fuscis tectum setisque albidis obsitum; fronte sulcata; oculi rotundati, modice prominuli, nigri, orbita albido-squamosa, cincti; rostrum vix capite longius et illo angustius, crassiusculum, supra planum, canaliculatum, punctura squamulis et setis ut in capite, apice parce albido-squamosum. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, piceæ, griseo-pubescentes, clava ovata, acuminata, fusca. Thorax

latitudine medii paulo longior, basi apiceque truncatus, lateribus in medio nonnihil rotundatus, supra convexus, niger, squamulis minutis æneo-fuscis tectus et setis albidis adspersus; utrinque linea sub-recta e squamulis densis argenteis, ornatus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi parum latiora sed quadruplo longiora, pone basin mox ampliata, apicem versus angustata, apice acuminata, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, squamulis dilute fusco-cinereis densis tecta, linea laterali utrinque a basi ultra medium extensa, æneo-fusca; in medio baseos macula oblongo-quadrata argenteo-squamosa e linea thoracis continuata et pone medium striga obliqua e maculis tribus vel quatuor argenteo-squamosis; præterea etiam setis rigidis, reclinatis, albidis seriatim hispida. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis densis tectum, in thorace et pectore magis nitidis, sub-argenteis, in ventre obscurioribus, fusco-cinereis. Pedes ut in *N. scelesto*, æneo-fusci, albido-pubescentes. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.

Bhn.

17. N. Scelestus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, æneo-fuscus, setosus, antennis piceis, capite rostroque canaliculatis, thorace albido-trilineato, elytris punctato-striatis, albido-lineatis, lateribus albis, pone medium macula transversa, nigra, abruptis.

Habitat in Brasilia. Dom. Schuppel. Mus. Gyllenhal.

Sciaphilo muricato magnitudine fere æqualis. Caput breve, latum, planum, æneo-fuscum, griseo-squamosum, setosum, longitudinaliter canaliculatum; oculi laterales, rotundati, valde prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum eodemque vix longius, sed paulo angustius, crassiusculum, sub-rectum, supra planum, longitudinaliter canaliculatum, griseo-squamosum et pilosum. Antennæ thoracis basin parum superantes, tenues, piceæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine longior, antice posticeque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, angulis posticis sub-prominulis, supra convexus, subtiliter rugoso-punctatus, fusco-squamosus, setis erectis griseis adspersus, præterea lineis tribus e squamulis albidis densioribus notatus, quarum media dorsalis, recta et una utrinque, lateralis, latior, arcuata. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi parum latiora, sed pone basin ampliata, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, regulariter punctato-striata, æneo-fusca, squamulis minutis setis-

que brevibus reclinatis, fusco-umbrinis tecta; linea suturalis lata, fere integra, communis, dense albo-squamosa et lateralis lata, undata, ut et latera inæqualiter albo-squamosa; pone medium macula transversa, nigra, abrupta; præterea in interstitiis dorsalibus lineolæ et maculæ irregulares albo-squamosæ. Corpus subtus æneo-fuscum, punctulatum, squamulis densis, cinereis tectum. Pedes æneo-fusci, griseo-pubescentes; antici femoribus modice incrassatis, tibiis intus crenulatis, apice curvatis, uncinatis. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

18. N. Impurus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, æneo-fuscus, griseo-pubescens squamosusque, antennis rufo-ferrugineis, capite rostroque canaliculatis, thorace angustiore obsolete sulcato, elytris punctato-striatis, maculis irregularibus albido-squamosis, ornatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Gyllenhal. A Dom. Schuppel benevole communicatus.

N. scelesto similis, paulo tamen minor et abunde distinctus: thorace angustiore, obsolete canaliculato, non albo-lineato, elytris aliter coloratis, etc. Caput breve, latum, planum, æneo-fuscum, parce griseo-squamosum, pube tenui grisea adspersum, canalicula media ad apicem rostri continuata, exaratum; oculi globosi, valde prominuli, nigri; rostrum sub-horizontale, capiti contiguum, ejusque longitudine sed paulo angustius, crassiusculum, supra planum, nigrum, indumento simili uti caput tectum. Antennæ capite cum thorace longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, picea. Thorax latitudine paulo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, angulis posticis sub-rotundatis, supra convexus, subtiliter rugoso-punctatus, in medio obsolete canaliculatus, æneo-fuscus, squamulis griseis parce adspersus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, ad basin thorace parum latiora, pone humeros ampliata, apicem versus angustata, apice acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, æneo-fusca, regulariter et sat profunde punctato-striata, lateribus et fascia maculari transversa pone medium, cum albedine marginis connexa, dense albido-squamosis, et præterea squamulis æneo-fuscis hinc inde et pube grisea, adspersa. Corpus subtus æneo-fuscum, punctulatum, squamulis cinereis raris obtectum. Pedes æneo-fusci, griseo-pubescentes; femoribus anticis modice incrassatis; tibiis anticis intus spinulosis, apicem versus curvatis, uncinatis. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

19. N. DURIUS. ♂♀

Niger, griseo-squamosus, antennis piceis, thorace transverso, cylindrico, coleopteris oblongo-ovalibus, punctato-striatis. — GERM.

Sitona id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 417. nº 558.

Patria : Buenos-Ayres.

20. N. EQUESTRIS.

Elongatus, niger, squamulis fusco-griseis tectus, fronte rostroque cruciatim impressis, thorace rugoso-punctato, basi bi-sinuato, elytris punctato-striatis, puncto utrinque parvo basali lineaque angusta laterali niveo-squamosis.

Curculio id. Dom. SCHNEIDER *in Litteris.*

Habitat in Brasilia.? Dom. SCHNEIDER. Mus. GYLLENHAL.

Statura oblongior et magnitudo *Brachyderis pubescentis.* Caput breve, latum, nigrum, squamulis densis fusco-griseis tectum, supra planum, anguste canaliculatum; oculi laterales, globosi, obscure brunnei; rostrum capite paulo longius, et angustius, crassiusculum, nigrum, supra sulcatum, griseo-squamosum, basi sulco transverso, obsoleto, a fronte distinctum, crucem cum canalicula frontali formantem. Antennæ ad apicem rostri insertæ, longitudine fere dimidii corporis, tenues, rufo-ferrugineæ, pallide pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine media sublongior, antice truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, crebre sat profunde rugoso-punctatus, squamulis fusco-griseis unicoloribus tectus. Scutellum vix conspicuum. Elytra elongata, basi conjunctim rotundato-emarginata, antice thoracis basi vix angustiora, illique arcte adæquata, intra basin nonnihil constricta, dein modice ampliata, thorace triplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus sensim angustata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigra, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, squamulis densis fusco-griseis tecta, utrinque puncto parvo ad basin interiorem, lineaque angusta laterali, antice punctis parvis continuata, postice abbreviata, e squamulis niveis, ornata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis dilute aureis adspersum, ventris medio denudato. Pedes validi, picei, griseo-pubescentes; femoribus modice incrassatis; tibiis anticis apice parum curvatis, intus vix crenulatis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. BHN.

STIRPS 3. — Antennæ longæ. Thorax antice valde gibbosus, basi truncatus, marginatus. Elytra sub-obconica, basi thorace haud latiora, angulis anticis acutis: versus apicem sensim angustata. Corpus oblongum, sub-obconicum, apterum.

* 21. N. SENEX. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, capite sulcato, rostro impresso, thorace amplo, antice valde gibboso, noduloso, lateribus tuberculato, elytris obsolete seriatim punctatis, apice retusis, tarsis albo-pilosis.

Habitat in Brasilia. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Longitudine N. *bipedis*, sed crassior. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter at minus crebre punctatum, fronte canalicula longitudinali impressa, versus medium rostri continuata; orbita oculorum albido-squamosa; oculi laterales, rotundati, globosi, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine capitis, et illo paulo angustius, crassiusculum, sub-rectum, supra anterius late impressum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum. Antennæ tenues, thoracis basin vix attingentes, nigro-piceæ, pubescentes. Thorax apice truncatus, antice angustior, coarctatus, lateribus in medio valde ampliatus, utrinque uni-tuberculatus, basi sub-bisinuatus, marginatus, angulis posticis rectis, prominulis; supra antice valde convexus, gibbosus, tuberculis elevatis, remotis adspersus, postice obsolete punctulatus, totus nigro-piceus. Scutellum minutum, oblongo-ovatum, nigro-piceum. Elytra sub-obconica, basi thorace haud latiora, eique arcte applicata, angulis humeralibus prominulis, thorace vix triplo longiora, lateribus inflexa, sensim, apicem versus citius angustata, apice ipse rotundata, et intra apicem impresso-retusa, supra convexa, pone scutellum foveola sat profunda impressa, nigro-picea, nitida, obsoletissime et remote seriatim punctata, interstitiis subtilissime transversim strigosis. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, pube grisea adspersum. Pedes picei: antici robusti, femoribus incrassatis, muticis, tibiis curvatis, intus crenulatis, apice uncinatis; pedes posteriores validi, femoribus vix incrassatis, tibiis rectis. Tarsi supra albido-pubescentes, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 22. N. GIBBICOLLIS. *Faldermann.*

Elongatus, nigro-piceus, capite sulcato, thorace amplo, sub-rotundato, valde gibboso, antice posticeque utrinque foveolato, coriaceo, lateribus mutico, elytris obsoletissime seriatim punctatis, apice retusis, tarsis albo-pilosis.

Habitat in Brasilia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo præcedentis, sed thoracis textura ejusque lateribus muticis, præcipue distinctus. Caput, rostrum, oculi, omnino ut apud præcedentem descripta. Antennæ capite cum thorace breviores, minus tenues quam in priori, nigro-piceæ, pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax quoad formam omnino ut in priori, nigro-piceus, supra, præsertim antice valde gibbosus, coriaceus, seu strigulis intricatis in areolas parvas divisus, areolis subtiliter punctulatis, ante medium utrinque foveola sub-rotunda et pone medium alia oblonga, sat profunde impressæ, latera thoracis rotundata, omnino mutica. Scutellum triangulare, nigro-piceum, punctulatum. Elytrorum forma, color et textura omnino ut in priori. Corpus subtus nigro-piceum, rugoso-punctatum. Pedum structura, color, pubescentia omnino ut in priori.

An modo sexu a præcedente distinctus?—BHN.

23. N. RETUSUS. ♂ ♀. *Dejean.*

Elongatus, niger, capite sulcato, thorace amplo, sub-rotundato, antice valde gibboso, noduloso, lateribus tuberculato, elytris punctato-striatis, lateribus et lineis albido-squamosis, tibiis anticis intus dente medio valido armatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Com. DEJEAN et MANNERHEIM. Mus. SCHH.

Statura *N. gibbicollis* sed triplo minor et ultra. Caput breve, latum, nigrum, sub-læve, squamulis fusco-cinereis parce adspersum, vertice denudato, obscuriori, fronte canaliculata; oculi laterales, rotundati, prominuli, nigro-brunnei; rostrum capiti contiguum ejusque longitudine, sed paulo angustius, crassiusculum, supra impressum vel excavatum, nigrum, punctura et indumento simili ut in capite. Antennæ thoracis basin vix superantes, subtenues, nigro-piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax sub-rotundatus, antice truncatus, angustior, lateribus in medio valde ampliatus, utrinque uni-tuberculatus, basi sub-bisinuatus, elevato-marginatus, angulis posticis prominulis, supra antice valde convexus, gibbosus, tuberculis parvis, elevatis, remotis, adspersus, postice sub-lævis, niger, apice lateribusque dilute miniato-squamosus. Scutellum minutum, sub-triangulare, dense albido-squamosum. Elytra sub-obconica, basi thorace fere angustiora, eique arcte applicata, angulis humeralibus rectis,

prominulis, thorace vix duplo longiora, lateribus inflexa, sensim, apicem versus citius angustata, apice rotundata, intra apicem obsolete retusa, supra convexa, regulariter et remote punctato-striata, nigra, squamulis argenteis hinc inde adspersa, versus suturam, latera et in linea media magis condensatis. Corpus subtus nigrum, squamulis fusco-cinereis, obtectum, ventris medio nudo. Pedes nigri, griseo-pubescentes; antici robusti, femoribus incrassatis, muticis, tibiis curvatis, crenulatis, intus in medio dente acuto, valido, armatis, apice uncinatis; posteriores tenues, femoribus vix incrassatis, tibiis rectis. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

STIRPS 4. — Antennæ in plerisque longissimæ. Thorax aut subrotundatus, pulvinatus, aut antice angustior, lateribus rotundatus, supra convexus, basi plus minusve bi-sinuatus. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata; humeri oblique angulati. Corpus plerumque elongatum, in aliis oblongo-ovatum, alatum.

24. N. BIPES. ♂ ♀.

Viridi-aureus, squamosus, pedibus posterioribus rufis, thorace convexo, lateribus rotundato, coleopteris punctato-striatis, vage setosis.—GERM.

Leptocerus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 426. nº 570.

♂♀. VAR. β. Pedibus omnibus nigris.

Leptocerus pithecius. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 426. nº 571.

N. squamifer. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 95.

* VAR. γ. Elytris vitta longitudinali dilute viridi-argentea, notatis, pedibus posterioribus testaceis.

VAR. δ. Elytris vitta longitudinali dilute viridi-argentea, notatis, pedibus omnibus nigris.

Patria : Brasilia.

* 25. N. AURICINCTUS. *Chevrolat.*

Elongato-ovatus, niger, sub-pubescens, squamulis viridi-aureis adspersus, rostro thoraceque canaliculatis, thorace basi leviter bi-sinuato, elytris obsolete punctato-striatis, basi linea angusta transversa et alia laterali, antice abbreviata, dense aureo-squamosis, pedibus testaceis, anticis nigris.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

Magnitudo *N. bipedis.* Caput breve, latum, porrectum, nigrum,

obsolete punctulatum, squamulis piliformibus viridi-argenteis parce adspersum; vertice parum convexo; fronte plana, sulculo ultra medium rostri fere continuato, exarata; oculi laterales, parvi, globosi, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, parum arcuatum, supra planum, medio nonnihil impressum, apice profunde triangulariter emarginatum, ciliatum, nigrum, squamulis viridi-argenteis dense adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, tenuissimæ, fusco-testaceæ, parum pubescentes. Thorax sub-rotundatus, latitudine media brevior, antice truncatus, angustior, sub-coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, angulis retrorsum productis, supra convexus, confertim subtiliter rugoso-punctatus, longitudinaliter tenue canaliculatus, niger, squamulis aureis viridi-argenteis immixtis adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra elongato-ovata, antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris parum elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, pone humeros ultra medium sensim perparum ampliata, tum apicem versus angustata, apice sub-attenuata, supra modice convexa, nigra, regulariter obsolete punctato-striata, interstitiis sub-planis, transversim rugulosis, squamulis aureis et viridi-argenteis parce adspersa, in ipsa basi linea angusta transversa et infra medium disci cujusvis elytri vitta longitudinali, antice abbreviata, e squamulis condensatis aureis, præterea pube longa fusca tenue obsita. Corpus subtus, nigrum, squamulis cupreo-argenteis tectum, ventris medio late longitudinaliter denudato. Pedes antici elongati, nigro-picei, robusti; femoribus modice clavatis; tibiis intus subtiliter crenulatis, apice arcuatis, uncinatis; reliqui graciles, testacei; femoribus vix incrassatis, tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 26. N. NODICOLLIS. *Schh.*

Elongatus, niger, fronte rostroque canaliculatis, thorace amplo, gibboso, subtiliter rugoso, albido trilineato, utrinque tuberculato, elytris punctato-striatis, parce albido-squamosis, femoribus anticis elongatis, valde incrassatis.

Mas: *angustior, antennis longissimis, rostro angustiori, subtiliter ruguloso.*

Femina: *elongato-ovata, antennis mediocribus, rostro lato, longitudinaliter strigoso.*

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN missus. Mus. MANNERH. et SCHH.

N. bipede nonnihil longior; thorace amplo, gibboso, lateribus uni-tuberculato, a congeneribus facile distinctus. Caput latum, depressum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum; fronte plana, sulculo tenui, ad apicem rostri latiore et profundiore continuato, impressa; squamulis sordide albidis parce in sulculo, supra oculos et ad latera densioribus tectum; oculi laterales, rotundati, valde prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum eodemque vix longius, parum autem angustius, crassiusculum, sub-rectum, apice bi-furcatum, supra planum, medio longitudinaliter impressum, nigrum, punctura et indumento capitis; in femina latior, longitudinaliter subtiliter strigosum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, piceæ, griseo-pilosæ, clava valde elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine media fere brevior, apice truncatus, angustior, lateribus in medio valde rotundato-ampliatus cum tuberculo producto utrinque, basi sub-bisinuatus, elevato-marginatus, supra valde convexus, fere gibbosus, ante scutellum et prope apicem longitudinaliter obsolete impressus, niger, subtiliter rugulosus, lineis tribus e squamulis sordide albidis notatus, quarum una dorsalis, angusta, interdum obsoleta, et una utrinque lateralis, latior. Scutellum mediocre, oblongo-quadratum, apice rotundatum, albido-squamosum. Elytra thoracis basi dimidio latiora et triplo longiora, antice singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, valde prominulis; lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice simultaneæ acuminata, supra convexa, nigra, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, subtilissime coriaceis; squamulis albidis et pilis depressis griseis, præsertim versus latera et apicem tecta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis densis cupreis vel cretaceis pubeque grisea tectum; lateribus thoracis in mare nigris, denudatis, impressis. Pedes nigri, fulvo-pubescentes; antici elongati, robusti, femoribus magnis, incrassatis, subtus in mare crenulatis et apicem versus dente validiori armatis, feminæ muticis; tibiis anticis intus spinulosis, apice uncinatis; tarsi omnes valde dilatati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

27. N. RIVULOSUS. * +.

Oblongo-ovatus, niger, pubescens, thorace punctulato, antice constricto, basi utrinque impresso, profunde sulcato, linea dorsali maculisque duabus lateralibus griseo-squamosis, notato, elytris profunde punctato-striatis, lineis duabus dorsalibus vittaque laterali griseo-squamosis.—BHN.

DEJEAN. *Cat. Col.* p. 94.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 533. n° 158. — *Ent. Syst.* I. II. p. 477. n° 350.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 317. n° 353. T. 11. f. 133. — *Enc. méth.* V. p. 545. n° 333.

HERBST. *Col.* VI. p. 311. n° 285. T. 84. f. 9.

* VAR. β. Signaturis thoracis elytrorumque citrinis.

* VAR. γ. Signaturis thoracis elytrorumque cinnabarinis.

Patria : Brasilia.

28. N. UNIVITTATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, squamulis cupreis viridi-argenteis parce mixtis tectus pubeque fusca adspersus, rostro angustiori cum capite canaliculato, thorace subtiliter granulato, elytris obsoletissime punctato-striatis, singulo in medio linea sat lata e squamulis pallidioribus.

Patria: Brasilia. Mus. CHEVROLAT.

Magnitudo fere *N. rivulosi.* Caput crassum, nigrum, obsolete punctatum, squamulis cupreis viridi-argenteis parce mixtis tectum; fronte canalicula tenui ad apicem rostri continuata, impressa; oculi rotundati, prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo angustius, crassum, parum arcuatum, supra planum, longitudinaliter late sed parum profunde impressum, nigrum, obsolete punctulatum, basi squamulis cupreis apicem versus viridi-argenteis adspersum. Antennæ longitudine fere dimidii corporis, tenuissimæ, nigræ, cinereo-pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, subtiliter granulatus, squamulis cupreis nonnullis viridi-argenteis mixtis tectus. Scutellum minutum, apice rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris obliquis, prominulis, rotundatis; lateribus linearia, thorace quintuplo longiora, apicem versus citius angustata, apice ipso sub-rotundata, supra convexa, nigra, obsoletissime punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertim subtiliter rugulosis; tota squamulis cupreis viridi-argenteis immixtis dense tecta, pubeque fusca adspersa, singulo in medio linea sat lata a basi ad apicem fere extensa e squamulis pallidioribus, notato. Corpus subtus nigrum, vix punctatum, squamulis cupreis dense tectum; ventre medio longitudinaliter denudato, utrinque viridi-argenteo-squamoso. Pedes mutici, squamulis cupreis pubeque albida adspersi; antici validi, nigri, femoribus valde clavatis; posterioribus tenuioribus, ferrugineis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

29. N. POLLIGER. ♂ ♀. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, pube depressa fulvescenti tectus, antennis longissimis, thorace transverso, canaliculato, basi bi-sinuato, elytris basi et apice gilvo-farinosis, lateribus abdominis albido-squamosis, femoribus anticis elongatis, incrassatis, muticis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

N. bipede paulo major. Caput magnum, porrectum, sub-depressum, nigro-piceum, subtilissime coriaceum, pube depressa fulvescenti tectum; fronte inter oculos sulco ad apicem rostri fere continuato, exarata; oculi globosi, nigri; rostrum capitis longitudine et fere latitudine, eidemque contiguum, sub-rectum, apice parum incrassatum, supra planum, longitudinaliter impressum, nigro-piceum, punctura et indumento simili ut in capite. Antennæ in apice rostri insertæ, dimidio corpore longiores, tenues, nigro-piceæ, pilosæ, clava valde elongata, acuminata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, angustior, transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, angulis sub-prominulis, supra modice convexus, niger, rugoso-punctatus, medio longitudinaliter obsolete canaliculatus, pube depressa fulvescenti et farina gilva præsertim antice et ad latera adspersus. Scutellum triangulare, nigro-piceum, punctulatum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora eoque quadruplo longiora, humeris elevatis, angulatis, pone humeros ampliata, apicem versus angustata, apice acuminata, supra convexa, nigro-picea, punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, pube depressa fulvescenti et farina gilva, præsertim ad basin et apicem adspersa. Pectus nigrum, dense fulvescenti-squamosum; venter niger, obsolete punctatus, lateribus late dense albido-squamosis et pubescentibus. Pedes nigri, cinereo-pilosi; antici elongati, robusti; femoribus muticis, incrassatis, tibiis anticis intus spinulosis, apice curvatis, uncinatis. Tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi.

Femina differt magnitudine majori et elytris latioribus.—BHN.

30. N. FATUUS. ♂ ♀. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis albidis adspersus, antennis longissimis, thorace angustiore, inæquali, basi leviter bi-sinuato, elytris punctato-sulcatis, humeris prominulis, angulatis.

Mas: *dimidio minor, angustior, parce squamosus.*

Femina : *major, præsertim latior, densius squamosa.*

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann communicatus. Mus. Schh.

N. polligero magnitudine et statura subsimilis, aliter coloratus, thorace angustiore. Caput magnum, porrectum, crassum, subdepressum, rufo-piceum, obsolete remote punctulatum, squamulis raris, albidis adspersum; fronte sulco ad apicem rostri fere continuato, exarata; oculi rotundati, prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, sub-rectum, crassum, supra planum, longitudinaliter impressum, rufo-piceum, obsolete punctulatum, squamulis albidis parce adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidio corpore longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava valde elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, anterius nonnihil angustior, apice truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, obsolete remote punctulatus, ferrugineus, squamulis argenteis in dorso parce, ad latera dense obsitus. Scutellum parvum, triangulare, ferrugineum, punctulatum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris elevatis, angulatis, pone humeros ampliata, thorace fere quintuplo longiora, apicem versus angustata, apice acuminata, supra convexa, ferruginea, punctato-sulcata, interstitiis convexis, præsertim posterius, subtilissime coriaceis, squamulis niveis in dorso parce, versus latera sat dense adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, obsolete punctulatum, squamulis niveis tectum; pectus et abdomen medio denudata. Pedes obscure ferruginei, squamulis albidis obsiti; antici robusti; tibiis rectis, anticis apice nonnihil arcuatis, intus crenulatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 31. N. Rufipes. *Chevrolat.*

Elongato-ovatus, niger, squamulis sulphureis dense adspersus, antennis pedibusque rufis, thorace tenue canaliculato, postice evidenter bi-sinuato, elytris profunde sulcato-punctatis, interstitiis elevatis, denudatis, femoribus posterioribus parum clavatis.

Patria : Brasilia. Mus. Chevrolat et Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *N. lævis* Germ.; ab illo elytris profunde sulcato-punctatis, femoribus minus incrassatis fere unice distinctus. Caput breve, latum, crassum, nigrum, pube fulva adspersum, sulco profundo ad apicem rostri continuato,

sculpturatum; oculi rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo angustius et apicem versus sensim perparum angustatum, crassum, rectum, supra planum, utrinque leviter impressum, nigrum, flavo-pubescens. Antennæ versus apicem rostri insertæ, vix longitudine dimidii corporis, tenuissimæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, cinereo-pubescente. Thorax longitudine duplo fere latior, apice truncatus, lateribus modice rotundatus, basi evidenter bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, tenue canaliculatus, niger, pube flava præsertim versus latera adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, flavo-pollinosum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, illoque quintuplo longiora, humeris prominulis; apicem versus angustata, apice ipso sub-rotundata, supra convexa, nigra, flavo-pubescentia et pollinosa, profunde punctato-sulcata, interstitiis elevatis, convexis, denudatis, unde nigro-lineata. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctatum, parce griseo-pubescens. Pedes rufi; antici elongati, validi, femoribus clavatis, tibiis piceis, intus spinulosis, apice arcuatis, uncinatis; posteriores tenues, femoribus vix clavatis, tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

32. N. LAR. *

Niger, pubescens, flavo-pollinosus, antennis pedibusque rufis, rostro profunde canaliculato, elytris punctato-sulcatis.—GERM.

Leptocerus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 427. n° 572.

Patria : Brasilia.

* 33. N. LORIPES.

Elongato-ovatus, depressus, niger, isabellino-pubescens et dense squamosus, antennis piceis, capite rostroque canaliculatis, thorace postice emarginato, angulato, elytris seriatim remote-punctatis.

Leptocerus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 419. n° 559.
Leptocerus deses. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 106.

Habitat in Brasilia. Dom. GERM. et STEVEN. Mus. SCHH.

N. pollígero dimidio fere minor, angustior, in elytris magis depressus. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis depressis, griseis tectum; fronte inter oculos sulculo ad apicem rostri continuato, impressa: oculi laterales, globosi, nigri: rostrum capite vix longius eoque paulo angustius.

sub-rectum, crassiusculum, supra planum, nigrum, punctura et indumento simili ut in capite. Antennæ capite cum thorace paulo longiores, rufo-piceæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, fusca. Thorax antice truncatus, angustior, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi emarginatus, angulis prominulis, acutis, supra parum convexus, rugoso-punctatus, niger, squamulis pilisque fusco-griseis tectus. Scutellum triangulare, nigrum, griseo-squamosum. Elytra thoracis basi dimidio latiora et quadruplo longiora, antice singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, prominulis, pone humeros vix ampliata, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice acuminata, supra sub-depressa, nigra, remote seriatim punctata, squamulis et pilis isabellinis vel cinereo-albidis undique crebre obtecta. Corpus subtus nigrum, griseo-squamosum, ventris medio obscuriore. Pedes nigro-picei, griseo-squamosi et pubescentes; antici elongati, robusti, femoribus valde incrassatis, muticis, tibiis anticis intus crenulatis, uncinatis. Tarsi subtus cinereo-spongiosi.—BHN.

34. N. VITTATUS. ♂♀.

Oblongus, niger, grisescens, thorace transverso pulvinato, elytris vitta dorsali et marginali roseis, pedibus anticis parum elongatis.

Naupactus id. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 172.

Habitat ad Rio-Janeiro Brasiliæ. Dom. LANGSDORFF. Mus. MANNERHEIM.

Magnitudo et statura *N. nodicollis*. Caput nigrum canaliculatum, anterius rugosum, fronte convexa, subtiliter punctulata; oculi nigriores prominuli; rostrum rugosum, late excavatum. Antennæ longitudine dimidii corporis, nigræ, griseo-pubescentes. Thorax longitudine fere duplo latior, antice posticeque truncatus, apice leviter constrictus, basi marginatus, lateribus rotundatis, supra valde convexus, pulvinatus, niger, grisescens, granulis elevatis rugulosus vel coriaceus, versus latera rugosior; subtus vero sub-lævis, scrobe profunda inæquali utrinque notatus. Scutellum minutum, albo-hirtum. Elytra basi thoracis medio nonnihil angustiora, latitudine triplo longiora, paulo pone medium versus apicem attenuata, punctato-striata, punctis versus latera majoribus, nigra, parce griseo-pubescentia; in stria secunda a sutura vitta longitudinalis et altera marginem lateralem subsequens latior e squamulis roseis condensatis. Corpus subtus nigrum, punctatum, pilis griseis parce indutum. Pedes crassi, elongati, antici parum longiores, omnes pilis densioribus griseis adspersi.—MANNERHEIM.

35. N. MORIO.

Oblongus, ater, capite rostroque latis, canaliculatis, subtilissime punctulatis, thorace lato, subtiliter granulato, tenue canaliculato, elytris convexis, sat profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, sub-lævibus.

Habitat in Brasilia. Mus. CHEVROLAT.

N. univittato dimidio fere minor. Caput latum, crassum, parum convexum, subtilissime punctulatum, atrum, sub-nitidum, canalicula tenui ad apicem rostri fere continuata, insculptum; oculi laterales, rotundati, prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil brevius et angustius, crassum, vix arcuatum, supra planum, punctulatum, apicem versus subtiliter strigosum; latum, nigrum subnitidum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, longitudine fere dimidii corporis, tenuissimæ, nigro-piceæ, basi ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, ater, apicem versus subtilissime, basin versus evidenter granulatus, dorso longitudinaliter tenue canaliculatus. Scutellum parvum, triangulare, atrum, punctulatum. Elytra antice thorace nonnihil latiora et illo quadruplo longiora, humeris prominulis, oblique angulatis, lateribus linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, præsertim postice, atra, parum nitida, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, sub-lævibus. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, vix punctulatum. Pedes nigri, subnitidi, parce pubescentes; antici validi, femoribus clavatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 36. N. HYPOCRITA.

Niger, cupreo-squamosus, coleopteris oblongo-ovalibus, transversim rugosis, margine inflexo viridi-aureis.—GERM.

Leptocerus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 420. n° 561.

Patria : Brasilia.

* 37. N. LATIFRONS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis unicoloribus cinereo-albidis tectus, capite lato, subtiliter punctulato, thorace obsoletissime canaliculato, basi confertim rugulosa, nigro trilineato, elytris sat profunde punctato-striatis, humeris sub-angulatis, prominulis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. Mannerheim, amice donatus. Mus. Schh.

Longitudo *N. bipedis*, sed latior et crassior, capite magno, lato, a congeneribus facile distinctus. Caput crassum, valde latum, supra planum, nigrum, subtiliter punctulatum, linea utrinque supra oculari, versus apicem rostri continuata, sat lata, e squamulis cinereo-albidis notatum; fronte canalicula tenui ad apicem rostri ducta, impressa; oculi ovati, modice prominuli, nigri. Antennæ longitudine fere elytrorum, in medio rostri insertæ, tenues, nigræ, albido-pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine media brevior, apice truncatus, leviter constrictus, lateribus parum ampliatus, basi sub-emarginatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis, supra modice convexus, niger, versus basin confertim rugulosus, apicem versus subtiliter punctulatus, longitudinaliter obsolete canaliculatus, squamulis cinereo-albidis tectus, linea lata dorsali, et alia utrinque laterali, angusta, denudatis. Scutellum triangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris obliquis, prominulis, sub-angulatis, apicem versus angustata, apice conjunctim sub-acuminata, supra convexa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter punctulatis, squamulis cinereo-albidis tecta, dorso denudata, forte detrita. Corpus subtus nigrum, squamulis griseis obductum, ventre medio denudato. Pedes validi, nigri, squamulis pubeque griseo-albida adspersi; antici elongati, robusti, femoribus valde incrassatis, tibiis intus crenulatis, apice curvatis, unco armatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 38. N. Rubiginosus.

Obscure brunneus, thorace lineis duabus, elytris macula laterali virescentibus, pedibus anticis longioribus. — Fabr.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 521. n° 82.

Patria: America meridionalis.

* 39. N. Illotus.

Supra flavo-subtus viridi-squamosus, antennis pedibusque rufis, coleopteris oblongis, punctato-striatis.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 424. n° 568.

Patria: Brasilia.

40. N. MACILENTUS. *Chevrolat.*

Angustus, niger opacus, pube depressa fusca adspersus, fronte rostroque canaliculatis, thorace confertim subtiliter granulato, elytris punctato-striatis, dorso planis, basi circa scutellum impressis, pectore ventreque utrinque niveo-lineatis.

Patria: Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Mas. Reliquis angustior. *Brachydere lusitanico* ♂ vix latior, sed nonnihil longior. Caput latum, crassum, ad oculos nonnihil ampliatum, nigrum opacum, subtiliter rugulosum, pube fusca adspersum; fronte plana, canalicula tenui ad apicem rostri continuata, insculpta; oculi laterales, mediocres, prominuli, rotundati, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, parum arcuatum supra late sed parum profunde impressum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, indumento capitis. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine fere corporis, tenuissimæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava valde elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, niger, opacus, subtiliter confertim granulatus, pube depressa fusca æqualiter adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum opacum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora illoque plus triplo longiora, humeris oblique angulatis, elevatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso sub-attenuata, supra in dorso fere plana, regulariter punctato-striata, interstitiis subtilissime rugulosis; tota nigra sub-opaca, pube depressa fusca dense adspersa, pone basin leviter impressa. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, obsoletissime punctulatum, pube fusca adspersum; pectore ventreque linea laterali, argenteo-squamosa, apicem versus angustata, ornatis. Pedes longissimi, nigri, pube pallida adspersi; antici validi, femoribus clavatis; tibiis intus obsolete crenulatis, apice arcuatis, uncinatis; tarsis valde elongatis, subtus fulvo-spongiosis; articulo primo reliquis simul sumptis longiore.—BHN.

* 41. N. Wintheimii. *Schh.*

Elongatus, sub-linearis, ater, antennis rufo-piceis, capite rostroque canaliculatis, thorace crebre punctato, margine antico abrupte, maculaque utrinque basali viridi-argenteo-squamosis, elytris subtiliter punctato-striatis, macula basali vittaque longitudinali e squamulis viridi-argenteis, ornatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. de Wintheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Longitudo fere *N. bipedis*, sed angustior, sub-linearis. Caput mediocre, supra parum convexum, nigrum, sat crebre sed non profunde rugoso-punctatum, fronte sulculo tenui impressa; oculi laterales, ovati, prominuli, nigri; rostrum capite vix longius sed dimidio angustius, crassiusculum, arcuatum, supra impressum, nigrum in impressione anguste canaliculatum, obsolete punctatum, versus apicem squamulis nonnullis viridi-argenteis adspersum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, dimidio corpore longiores, tenuissimæ, rufo-piceæ, albido-pilosæ, clava angusta, elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine media brevior, antice truncatus, angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, angulis baseos sub-acuminatis, supra modice convexus, ater, sat crebre punctatus, obsolete canaliculatus, margine antico medio interrupto maculaque utrinque basali oblongo-quadrata, viridi-argenteo-squamosis, ornatus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra elongata, sub-linearia, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, versus apicem nonnihil angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, transversim rugulosis, apice albido-pilosa, in basi utrinque macula difformi, et in medio cujusvis elytri, vitta longitudinali angusta, viridi-argenteo-squamosis, decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, læte viridi-argenteo-squamosum, griseo-pubescens, ventris medio longitudinaliter denudato. Pedes nigro-picei, griseo-pubescentes, squamulis raris virescentibus præsertim ad basin adspersi; antici elongati, robusti; femoribus incrassatis, muticis, tibiis crenulatis, apice inflexis, uncinatis; reliqui graciles. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

Dom. W. de Wintheim, Hamburgensis; Insecto hocce denominando veram et debitam observantiam ob larga adjumenta huic operi munifice tradita, declarare volui.—Schh.

* 42. N. VIRIDICINCTUS. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, subtus viridi-argenteo-squamosus, rostro latiori, tenue canaliculato, thorace obsolete rugoso-punctato, maculis quatuor viridi-argenteis ornato, elytris punctato-striatis, sutura macula basali et apicali, linea laterali, lineola in dorso antico viridi-argenteo-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

N. wintheimii proximus, sed nonnihil latior, magis convexus, rostro latiori, signaturis aliis. Caput breve, latum, supra parum convexum, nigrum, obsolete rugoso-punctatum; fronte plana, sulculo ad apicem rostri fere continuato, exarata; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum capite vix longius et angustius, crassum, parum arcuatum, supra impressum, obsolete punctulatum, versus apicem squamulis nonnullis viridi-argenteis pubeque fusca adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenuissimæ, nigro-piceæ, parum pubescentes. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice truncatus, angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, angulis baseos retrorsum prominulis, supra parum convexus, niger, minus crebre obsolete punctulatus, utrinque in margine antico macula parva rotunda et ad basin alia elongata, majore, viridi-argenteo-squamosis, ornatus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra elongato-ovata, basi singulatim rotundato-producta, thorace nonnihil latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, pone medium apicem versus angustata, apice modice declivia, singulatim acuminata, supra convexa, nigra, minus profunde punctato-striata, interstitiis fere planis, transversim rugulosis, pube fusca præsertim apicem versus adspersa; singulo elytro in ipsa basi macula parva rotunda, sutura angusta, lineola abbreviata in dorso antico, linea laterali antice posticeque abbreviata, maculaque libera apicali, viridi-argenteo-squamosis, ornato. Corpus subtus nigrum, dense viridi-argenteo-squamosum, pubeque pallida adspersum, ventris medio longitudinaliter denudato. Pedes antici elongati, nigri, femoribus incrassatis, muticis; reliqui graciles, rufo-testacei; femoribus medio infuscatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 43. N. INSTITOR. *Schh.*

Elongatus, niger, griseo-pubescens, antennis piceis, capite rostroque canaliculatis, thorace granulato, lineis duabus viridi-argenteis notato, elytris punctato-striatis, linea utrinque laterali, abrupta, viridi-argenteo-squamosa ornatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Brachydere incano dimidio minor. Caput breve, latum, nigrum, subtiliter punctatum, griseo-pubescens, supra sub-depressum, fronte antice anguste sulcata; orbita oculorum viridi-argenteo-squamosa; oculi laterales, ovati, prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum eodemque vix longius, sed paulo angustius, crassiusculum, supra planum, nigrum, rugoso-punctatum, profundius canaliculatum, griseo-pubescens, hinc inde præsertim apicem versus squamulis viridi-argenteis parce adspersum. Antennæ dimidio corpore nonnihil longiores, tenues, piceæ, tenuiter pubescentes, clava elongato-ovata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine fere longior, antice truncatus, lateribus modice rotundatus, basi late emarginatus, angulis posticis, sub-prominulis, supra modice convexus, niger, granulatus, pube depressa grisea adspersus, linea utrinque laterali viridi-argenteo-squamosa, apicem versus abrupta. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra thorace quadruplo longiora, sub-cylindrica, antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, humeris oblique angulatis, prominulis, dein sensim angustata, lateribus inflexa, apicem versus acuminata, supra convexa, nigra, punctato-striata, interstitiis convexis, subtilissime coriaceis; in utroque latere linea maculari abrupta, viridi-argenteo-squamosa notata, et præterea squamulis nonnullis viridi-argenteis pubeque grisea adspersa. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio nudo. Pedes nigro-picei, griseo-pubescentes; femoribus anticis incrassatis, muticis, tibiis anticis arcuatis, intus crenulatis, apice unco armatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

44. N. GRANICOLLIS. *Schh.*

Oblongus, niger, griseo-pubescens, subtus viridi-argenteo-squamosus, capite remote parum profunde rugoso-punctato, thorace granulato, elytris profunde punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. E Mus. Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus SCHH.

Longitudo *Phyllobii pyri*, sed nonnihil angustior. Caput cras-

sum, supra fere planum, nigrum, minus crebre rugoso-punctatum, sulco in fronte impresso, versus apicem rostri usque continuato; oculi globosi, nigri; rostrum capite vix longius, sed paulo angustius, crassum, parum arcuatum, supra planum, impressum, nigrum, obsolete rugoso-punctatum, pube fusca adspersum, squamulis raris viridi-argenteis obsitum. Antennæ pone medium rostri insertæ, elytris fere longioribus, tenuissimæ, fusco-ferrugineæ, pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine media paulo brevior, apice truncatus, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, undique granulato-tuberculatus, pube fusca adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra oblonga, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris prominulis, fere rectangulis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso sub-acuminata, supra modice convexa, nigra, regulariter profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis; tota pube densa fusca obsita. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio longitudinaliter denudato. Pedes elongati, nigro-picei, pube pallida adspersi; femoribus anticis valde incrassatis, tibiis apice arcuatis, uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 45. N. Bellus. *Schh.*

Elongato-ovatus, fulvus, cupreo-squamosus, antennis pallide testaceis, thorace obsolete canaliculato, viridi-argenteo quadri-maculato, elytris punctato-striatis, singulo maculis septem viridi-argenteo-squamosis ornatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Faldermann. Mus. Schh.

Polydroso cervino dimidio major. Caput mediocre, fulvum, subtiliter coriaceum, squamulis cupreis et viridi-argenteis tectum; orbita oculorum viridi-argenteo-squamosa; oculi laterales, rotundati, valde prominuli, nigri; rostrum capitis longitudine illoque parum angustius, sub-rectum crassiusculum, supra planum, fulvum, punctura et indumento simili uti caput, sulculo angusto in frontem adscendente, impressum. Antennæ capite cum thorace longiores, tenues, pallide testaceæ, tenuiter pubescentes, clava elongata, acuminata. Thorax antice truncatus, capite vix latior, posterius parum dilatatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, angulis posticis prominulis, supra modice convexus, obsolete canaliculatus, cupreo-squamosus, maculis

utrinque duabus difformibus e squamulis viridi-argenteis, ornatus. Scutellum triangulare, fulvum, cupreo-squamosum. Elytra thoracis basi fere dimidio latiora, humeris angulatis, oblique prominulis, pone medium adhuc magis ampliata, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, apice acuminata, supra convexa, fulva, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, squamulis fulvescentibus tecta, signaturis variis e squamulis viridi-argenteis insignita; nempe: sub callo humerali macula irregularis, interius versus scutellum altera minor oblongo-quadrata, paulo ante medium prope suturam tertia arcuata; quarta ei opposita versus marginem lateralem, sub-rotunda; quinta pone medium prope suturam; sexta ei opposita prope marginem lateralem, ambæ fere connexæ septimaque in apice prope suturam sub-rotunda, lineola angusta adscendente fere cum sexta conjuncta. Corpus subtus dilute fulvum, punctulatum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio nudo. Pedes pallide testacei, griseo-pubescentes, femoribus viridi-squamosis, anticis incrassatis, muticis obscurioribus, tibiis anticis valde arcuatis, intus crenulatis, apice uncinatis. Tarsi subtus-fulvo-spongiosi. —Bhn.

* 46. N. Signatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, fusco-cupreo-squamosus, antennis pedibusque rufo-testaceis, capite rostroque canaliculatis, thorace utrinque flavo-virescenti lineato, elytris profunde punctato-striatis, basi, sutura maculisque lateralibus, flavo-virescentibus, ornatis.

Habitat in Brasilia. E Mus. Dom. Com. Mannerheim benevole communicatus.

Sciaphilo muricato dimidio major. Caput breve, latum, fere planum, nigrum, squamulis cupreis tectum, linea utrinque lata, laterali, sub-argenteo-squamosa, ornatum, canalicula tenui a fronte versus apicem rostri ducta, exaratum; oculi globosi, nigri; rostrum capite fere brevius, eodem vix angustius, crassum, subrectum, supra planum, indumento et colore capitis. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis basin superantes, tenues, testaceæ, fusco-pilosæ, clava oblongo-ovata, fusca. Thorax latitudine media fere brevior, basi apiceque truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, angulis baseos retrorsum sub-productis, supra parum convexus, niger, fusco-cupreo-squamosus, ante scutellum macula obsoleta lineaque lata laterali, e squamulis flavo-virescentibus, ornatus. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi di-

midio latiora, humeris oblique angulatis, lateribus inflexa, thorace plus triplo longiora, pone humeros ultra medium nonnihil ampliata, apicem versus angustata, apice conjunctim sub-acuminata, supra convexa, nigra, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, rugulosis; fusco-cupreo-squamosa; ipsa basi, sutura, vitta humerali intra marginali, elongata, pone medium ramulum introrsum flexum emittente, maculaque difformi pone medium, e squamulis flavo-virescentibus, decorata. Corpus subtus nigrum, squamulis cupreis et virescentibus, minus dense adspersum. Pedes rufo-testacei, parce cupreo-squamulosi et pallido-pubescentes; femoribus modice incrassatis, muticis, tibiis anticis, apice curvatis, uncinatis, intus in medio crenulatis, reliquis rectis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 47. N. LEUCOPHÆUS. *Schh.*

Oblongus, niger, dense cinereo-squamosus, antennis piceis, rostro canaliculato, apice viridi-argenteo-squamoso, pedibus rufo-ferrugineis, elytris punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *N. belli.* Caput breve, nigrum, squamulis cinereis undique obtectum, canalicula frontali angusta impressa, versus apicem rostri continuata; oculi laterales, rotundati, valde prominuli, nigri; rostrum vix capitis longitudine et latitudine eidemque contiguum, crassiusculum, supra planum, squamulis cinereis, in apice viridi-argenteis dense vestitum. Antennæ capite cum thorace longiores, tenues, piceæ, griseo-pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine paulo brevior, antice truncatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter emarginatus, supra parum convexus, æqualis, niger, dense cinereo-squamosus. Scutellum triangulare, nigrum, parce squamosum. Elytra magna, thorace fere duplo latiora et illo quintuplo longiora, humeris oblique angulatis, sub-prominulis, pone medium nonnihil ampliata, lateribus inflexa, apice acuminata, supra convexa, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis planis; tota squamulis densis cinereis tecta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-squamosum. Pedes rufo-ferruginei, griseo-pubescentes; femoribus parce cinereo-squamosis; femoribus et tibiis anticis ut in *N. bello* constructis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

48. N. ANTHRIBIFORMIS. *Schh.*

Brevis, oblongo-ovatus, niger, undique dense umbrino et cinereo-squamosus, thorace magno, postice latiori, basi apiceque truncato, scutello albido-squamoso, elytris convexis, punctato-striatis, basi truncatis.

Habitat in Brasilia. Mus. FALDERMANN.

Forma ab hoc genere aliena, habitu fere *Anthribi* et *Tropideris dorsalis* magnitudine fere æqualis. Caput breve, latum, crassum, nigrum, squamulis griseis cinereis immixtis, dense vestitum; frons plana, canalicula tenui, ultra medium rostri continuata, insculpta; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, supra planum, nigrum, similiter squamulosum, apicem versus squamulis viridi-argenteis adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, longitudine dimidii corporis, tenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice marginatus, supra modice convexus, niger, squamulis umbrinis cinereis immixtis, dense tectum. Scutellum parvum, triangulare, niveo-squamosum. Elytra sub-ovata, basi truncata, antice thorace nonnihil latiora, humeris parum prominulis, rotundatis, thorace duplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso sub-acuminata, supra convexa, postice declivia, regulariter punctato-striata, interstitiis fere planis; tota nigra, squamulis umbrinis cinereis immixtis, dense obtecta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, squamulis cinereis obductum. Pedes obscure ferruginei, cinereo-squamulosi; tibiis anticis apicem versus arcuatis, intus spinulosis; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

49. N. INJUCUNDUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, fusco-ferrugineus, squamulis sub-argenteis et dilute cervinis variegatus, antennis pedibusque testaceis, rostro angustiori cum fronte leviter canaliculato, thorace angustiore basi late emarginato, elytris evidenter minus regulariter punctato-striatis, femoribus anticis obsolete dentatis.

Habitat in Cayenna. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *N. albuli*, sed nonnihil angustior; rostro te-

nuiori, femoribus anticis subtus obsolete dentatis, thorace basi emarginato ut et colore, ab illo mox distinctus. Caput mediocre, latum, crassum, supra planum, ferrugineum, squamulis griseo-albidis sub-metallicis tectum; sulculo tenui in fronte impresso, ad medium rostri usque continuato; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo nonnihil angustius, crassum, parum arcuatum, supra planum, colore et indumento capitis. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, tenues, rufo-piceæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine media nonnihil longior, sub-cylindricus, apice truncatus, anterius perparum angustatus, lateribus vix rotundatus, basi late sed parum profunde emarginatus, angulis retrorsum productis, supra modice convexus, ferrugineus, squamulis sordide argenteis, cervinis immixtis, tectus. Scutellum minutum, triangulare, ferrugineum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, et illo fere quintuplo longiora, humeris prominulis, oblique angulatis, lateribus inflexa, a basi ultra medium sensim perparum ampliata, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, ferruginea, minus regulariter parum profunde punctato-striata, squamulis sordide argenteis tecta, relictis in interstitiis dorsalibus lineis obsoletis, dilute cervino-squamosis, variegata. Corpus subtus rufo-testaceum, punctulatum, squamulis argenteis tectum. Pedes longiusculi, testacei, squamulis argenteis cupreo-micantibus, obsiti; femoribus modice clavatis, anticis nonnihil crassioribus, subtus pone medium obsolete dentatis; tibiis anticis intus crenulatis, apice arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

Stirps 5. — Antennæ longæ. Thorax antice angustior, lateribus rotundatus, basi modice bi-sinuatus. Elytra ovata, antice singulatim rotundata; humeri obtuse angulati. Tibiæ antice subrectæ, intus non crenulatæ, nec apice uncinatæ. Corpus subovatum, alatum.

50. N. Stauropterus.

Niger, virescenti-squamosus, coleopteris sub-ovalibus, punctato-striatis, humeris prominulis, fascia media suturaque atris.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 419. n° 560.

Patria: Brasilia.

* 51. N. Ambitiosus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, rufo-ferrugineus, subtus viridi-argenteo-squamosus, thorace granulato, viridi-argenteo quinque-lineato, elytris punctato-striatis, linea dorsali cum alia laterali apice connexa, lineolaque abbreviata in dorso antico, viridi-argenteo-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann communicatus. Mus. Schh.

Statura fere *Phyllobii pyri* ♀, sed plus duplo major. Caput breve, latum, crassum, obscure ferrugineum, obsoletissime punctulatum, squamulis argenteis adspersum, supra et infra oculos magis condensatis; frons plana, canalicula tenui versus apicem rostri extensa, impressa; oculi laterales, sub-rotundi, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, subrectum, crassum, supra planum, ferrugineum, apicem versus squamulis viridi-argenteis, adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava angusta, elongata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media parum brevior, apice truncatus, angustior, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum productis, supra modice convexus, minus crebre granulatus, rufo-ferrugineus, lineis quinque rectis e squamulis viridi-argenteis, ornatus; nempe: una dorsali et duabus in utroque latere. Scutellum parvum, triangulare, obscure ferrugineum. Elytra oblongo ovata, thoracis basi duplo latiora, antice singulatim rotundata, humeris prominulis, oblique angulatis, thorace quadruplo longiora, apicem versus sensim angustata, apice ipso acuminata, supra convexa, regulariter punctato-striata, rufo-ferruginea, linea longitudinali non procul a sutura cum alia laterali apice connexa, lineolaque abbreviata in dorso antico, e squamulis viridi-argenteis, ornata. Corpus subtus rufo-ferrugineum, subtilissime punctulatum, viridi argenteo-squamosum. Pectus et abdomen medio denudata. Pedes rufo-testacei, pallido-pubescentes; femoribus clavatis; tibiis anticis arcuatis, intus subtiliter crenulatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 52. N. Aurichalceus.

Oblongo-ovatus, niger, viridi-cœruleo-squamosus, antennis tibiisque rufo-ferrugineis, thorace canaliculato, nigro lineato, elytris punctato-striatis, ultra medium nigro-maculatis.

Naupactus id. Dejean. *Catal. Col.* p. 95.

Habitat in Brasilia. Dom. Steven et Westin. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et Schh.

Statura fere *Polydrosi micantis*, sed plus duplo major. Caput breve, latum, depressum, nigrum, subtilissime coriaceum, squamulis viridi-cœruleis tectum, sulculo in fronte tenuiter impresso, ultra medium rostri continuato; oculi laterales, ovati sub-rotundi, modice prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum, sub-horizontale, crassiusculum, capite vix longius, apice bifurcatum, supra planum, nigrum, punctura et squamulis similibus uti caput tectum. Antennæ longitudine dimidii fere corporis, tenues, rufo-ferrugineæ, pubescentes, clava angusta, elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine brevior, antice angustior, truncatus, lateribus parum rotundatus, basi latior, bi-sinuatus, supra modice convexus, rugoso-punctatus, obsolete canaliculatus, squamulis viridi-cœruleis obtectus, in medio rarius squamosus, obscurior, lineolis in dorso duabus et ad latera utrinque una denudatis, nigris. Scutellum sub-triangulare viridi-squamosum. Elytra thorace fere duplo latiora et sextuplo longiora, antice singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, lateribus sub-rectis, apicem versus sensim angustata, apice acuminata, supra convexa, punctato-striata, viridi-cœruleo-squamosa, humeris et maculis pluribus irregularibus ultra medium, nigris, denudatis, notata. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio ob raritatem squamularum, obscuriori. Pedes validi, femoribus nigris, basi pallidis, cœruleo-argenteo-squamosis, tibiis pallidis vel flavescentibus; femoribus anticis modice incrassatis, tibiis anticis sub-rectis, vix crenulatis, nec apice uncinatis. Tarsi supra griseo-pubescentes, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

53. N. Amoenus. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, squamulis viridi-argenteis et flavo-viridibus tectus, capite thoraceque canaliculatis, thorace quadri-lineato, elytris punctato-striatis, nigro maculatis, sutura fasciaque postica transversa, nigris, denudatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Westin. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

N. aurichalceo parum brevior, sed in elytris multo angustior et aliter coloratus. Caput breve, latum, sub-depressum, nigrum, squamulis viridi-argenteis et flavo-viridibus tectum, sulculo in

fronte tenuiter impresso, ultra medium rostri continuato; fronte ob raritatem squamularum obscuriori; oculi laterales, ovati sub-rotundi, modice prominuli, nigro-brunnei; rostrum capiti contiguum eodemque vix longius, sed paulo angustius, crassiusculum, sub-rectum, supra planum, nigrum, basi squamulis fulvescentibus, apice cœrulescentibus, tectum. Antennæ longitudine dimidii fere corporis, tenues, rufo-piceæ, griseo-pubescentes, clava angusta, elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine medii brevior, antice truncatus, angustior, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, rugoso-punctatus, obsolete canaliculatus, squamulis viridi-argenteis tectus, lineis quatuor nigris notatus, duabus dorsalibus angustis, rectis, lateralibus latioribus, arcuatis, apicem non attingentibus. Scutellum sub-triangulare, griseo-squamosum. Elytra thoracis basi duplo latiora, antice singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, apicem versus sensim angustata, acuminata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, viridi-argenteo et flavo-viridi-squamosa, humeris maculisque pluribus irregularibus ultra medium, sutura, fascia transversa postica et macula apicali, denudatis, nigris, ornata. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio obscuriori. Pedes nigri, validi, cœruleo-argenteo-squamosi et griseo-pubescentes; femoribus anticis modice incrassatis, muticis; pedes posteriores tenues, femoribus vix incrassatis, tibiis rectis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 54. N. Suavis. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, viridi-argenteo-squamosus, capite thoraceque canaliculatis, thoracis medio, lateribus maculisque quatuor lateralibus nigris, elytris punctato-striatis, sutura, macula magna humerali et apicali parvaque postica transversa nigris, denudatis, ornatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Magnitudo fere *Phyllobii pyri*, sed angustior. *N. amœno* similis, sed dimidio minor et aliter coloratus. Caput breve, latum, planum, nigrum, subtilissime punctulatum, squamulis nonnullis viridi-argenteis adspersum, supra oculos magis condensatis; sulculo in fronte tenuiter impresso, ultra medium rostri continuato; oculi laterales, ovati sub-rotundi, modice prominuli, nigri; rostrum breve, capiti contiguum, eoque paulo angustius, sub-horizontale, crassiusculum, supra planum, medio longitudinaliter impressum, nigrum, parce viridi-argenteo-squamosum. Antennæ

dimidio corpore longiores, tenues, nigro-piceæ, griseo-pubescentes, clava angusta, elongata, acuminata, fusca. Thorax latitudine medii parum brevior, antice truncatus, angustior, capite parum latior, lateribus nonnihil rotundatus, supra parum convexus, rugoso-punctatus, viridi-argenteo-squamosus, dorso longitudinaliter obsolete canaliculatus, late niger, squamulis denudatus, et præterea maculis utrinque duabus lateralibus denudatis, nigris. Scutellum sub-triangulare, nigrum, punctulatum. Elytra thorace quintuplo longiora et duplo fere latiora, basi singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, pone humeros sensim angustata, apice acuminata, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, viridi-argenteo-squamosa, sutura, margine laterali, humeris, plaga magna pone humeros et alia transversa, postica, communi, parva, maculaque fere apicali, nigris, denudatis, ornata. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio denudato. Pedes mediocres, nigri, parce viridi-argenteo-squamosi et griseo-pubescentes, femoribus anticis modice incrassatis, muticis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 55. N. MITIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, viridi-argenteo-squamosus, capite rostroque canaliculatis, thorace rugoso-punctato, basi bi-sinuato, nigro quadri-lineato, elytris punctato-striatis, nigro-lineatis et maculatis, dorso squamulis cupreo-aureis tecto.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

N. aurichalceo proximus, sed paulo minor et in elytris angustior. Caput breve, latum, planum, nigrum, subtilissime rugoso-punctatum, squamulis viridi-argenteis parce, ad oculos magis condensatis, adspersum, sulculo in fronte tenuiter impresso ad apicem rostri continuato; oculi laterales, ovati sub-rotundi, modice prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo parum angustius, crassiusculum, supra planum, nigrum, cœruleo-argenteo-squamosum. Antennæ longitudine dimidii corporis, tenues, piceæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine brevior, anterius paulo angustior, apice truncatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, subtiliter rugoso-punctatus, viridi-argenteo-squamosus, lineis quatuor nigris, notatus, duabus dorsalibus latis, fere connexis, lateralibus apicem non attingentibus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra thoracis basi vix duplo latiora, basi singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, et illo quintuplo lon-

giora, pone humeros ampliata, apicem versus sensim angustata, apice acuminata, supra convexa, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis; viridi-argenteo-squamosa, dorso squamulis aureo-cupreo-micantibus, obsita, sutura, linea in medio singuli elytri longitudinali, apicem non attingente, macula parva rotunda pone medium, aliaque laterali ei opposita, nigris, denudatis, ornata. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio nudo. Pedes mediocres, rufo-ferruginei, parce cœruleo-argenteo-squamulosi et griseo-pubescentes; femoribus anticis piceis, modice incrassatis muticis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 56. N. Celator. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus viridi-argenteo-squamosus, antennis tibiisque nigro-piceis, capite rostroque leviter canaliculatis, thorace crebre subtiliter ruguloso, utrinque viridi-lineato, elytris regulariter profundius punctato-striatis, vitta laterali viridi-argentea notatis.

Var. β. Lineis thoracis obsoletis, elytrorum lineola disci pone medium margineque laterali postico viridi-argenteo-squamosis, pedibus nigris vel rufo-testaceis.

N. bipunctatus. Chevrolat *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. A. Dom. Com. de Mannerheim et Dom. Chevrolat missus; e Cayenna a Dom. Dupont communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *N. ruricolæ*, thorace non canaliculato, elytris evidenter punctato-striatis ut et colore distinctus. Caput breve, latum, crassum, nigrum, obsoletissime punctulatum, squamulis viridi-argenteis adspersum, sulculo in fronte tenuissime impresso, ad medium rostri continuato; oculi globosi, nigri; rostrum capite paulo brevius et angustius, crassum, parum arcuatum, supra planum, impressum, nigrum, obscurum, versus apicem squamulis viridi-argenteis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, tenuissimæ, nigro-piceæ, basi dilutiores, clava elongato-ovata, acuminata. Thorax latitúdine media vix brevior, apice truncatus, nonnihil angustatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, subtiliter confertim rugulosus, linea utrinque sat lata laterali, e squamulis viridi-argenteis, notatus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra magna, basi nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris prominulis, oblique angulatis, tho-

race quintuplo longiora, a basi ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso sub-acuminata, supra valde convexa, nigra vel ferruginea, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, versus latera vitta sat lata, viridi-argenteo-squamosa, ornata. Corpus subtus nigrum, viridi-argenteo-squamosum, ventris medio longitudinaliter denudato. Pedes mediocres, pube pallida squamulisque viridi-argenteis adspersi; femoribus nigris, anticis modice incrassatis; tibiis nigropiceis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. —BHN.

* 57. N. RURICOLA. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis rotundis cupreo-aureis tectus, antennis tibiisque rufo-piceis, capite, rostro thoraceque canaliculatis, elytris ovatis, regulariter punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Liophlœo nubilo statura fere et magnitudine æqualis. Caput breve, latum, nigrum, sub-læve, squamulis rotundis depressis cupreo-aureis tectum, vertice denudato, sulculo in fronte tenuiter impresso, ad medium rostri continuato; oculi rotundati, modice prominuli, obscure brunnei; rostrum capite paulo brevius et angustius, crassiusculum, supra planum, colore et indumento capitis. Antennæ capite cum thorace longiores, tenues, rufo-piceæ, griseo-pubescentes, clava elongato-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine medii multo brevior, antice truncatus, angustior, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, anguste canaliculatus, niger, rugoso-punctatus, squamulis depressis densis cupreo-aureis, tectus. Scutellum subtriangulare, nigrum, punctulatum. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi fere duplo latiora et illo quintuplo longiora, antice singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, apice acuminata, supra valde convexa; tota nigra, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis; squamulis minutis cupreo-aureis densis tecta, in medio dorsi sæpe denudata, forte detrita. Corpus subtus nigrum, cupreo-aureo-squamosum, ventre medio longitudinaliter obscuriori, squamulis viridi-argenteis adsperso. Pedes mediocres, femoribus muticis, nigris, cupreo-aureo basi viridi-argenteo squamosis, tibiis rufo-piceis, griseo-pubescentibus. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 58. N. Deplorabundus. *Schh.*

Oblongus, dilute cæsio-squamosus, antennis pedibusque piceis, fronte canaliculata, thorace nigro trilineato, elytris punctato-striatis, sutura vittaque media fusco-squamosis.

Habitat in Brasilia. Dom. Faldermann. Mus. Schh.

Phyllobio pyri vix major. Caput breve, latum, nigrum, parce dilute cæsio-squamosum, sulculo in fronte tenuiter impresso, ad apicem rostri fere extenso; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo paulo angustius, supra planum, colore et indumento simili uti caput. Antennæ capite cum thorace longiores, tenues, piceæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine paulo brevior, apice truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bisinuato-emarginatus, supra modice convexus, subtiliter rugoso-punctatus, dilute cæsio-squamosus; in medio dorsi plaga lata obscurior, squamulis paucioribus cæsiis et cupreis irrorata, et versus latera utrinque alia angustior, nigra. Scutellum sub-triangulare, nigrum, dilute cæsio-squamosum, punctulatum. Elytra thoracis basi fere duplo latiora et illo quintuplo longiora, basi singulatim rotundata, humeris oblique angulatis, pone medium adhuc magis ampliata, apice acuminata, supra convexa, nigra, regulariter punctato-striata, squamulis parvis dilute cæsiis tecta, vitta lata suturali et alia in cujusvis elytri medio, apicem non attingente, fusco-squamosis, maculis parvis e squamulis cæsiis immixtis irrorata. Corpus subtus dilute cæsio-squamosum. Pedes mediocres; femoribus nigro-piceis, basi testaceis, muticis, cæsio-squamosis, anticis modice clavatis; tibiis dilute piceis, griseo-pubescentibus. Tarsi picei, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 59. N. Albulus. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, supra squamulis dilute fusco-cervinis, subtus et versus latera cupreo-argenteis tectus, rostro lato cum fronte leviter canaliculato, thorace sub-cylindrico, postice profunde bi-sinuato, elytris subtiliter punctato-striatis, tibiis tarsisque piceis.

Habitat in Cayenna. A Dom. Chevrolat missus. Mus. Schh.

Statura fere *N. ruricolæ*, sed multo minor; *Phyllobio mali* magnitudine æqualis. Caput breve, latum, crassum, nigrum, squamulis dilute fusco-cervinis tectum; orbita oculorum argenteo-squamosa; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum longitudine et fere

latitudine capitis, crassum, parum arcuatum, supra planum, canalicula tenui in fronte usque producta, exaratum; nigrum, ad basin dilute cervino-squamosum, apice et lateribus squamulis argenteis tectum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, longitudine fere dimidii corporis, tenues, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes; clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media brevior, apice truncatus, anterius perparum angustatus, lateribus vix rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, basi obsoletissime canaliculatus, niger, squamulis unicoloribus dilute fusco-cervinis tectus. Scutellum parvum, triangulare, cervino-squamosum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, et illo quintuplo fere longiora, humeris prominulis, oblique angulatis, lateribus inflexa, pone humeros ultra medium fere linearia, tum apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, squamulis dilute fusco-cervinis versus latera cupreo-argenteis tecta. Corpus subtus nigrum, squamulis argenteis, cupreo-micantibus tectum. Pedes mediocres, squamulis cupreo-argenteis dense obsiti; antici nonnihil longiores; femoribus nigris, modice clavatis; tibiis piceis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 60. N. TEMPERANS. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, squamulis cinereo-argenteis tectus, antennis pedibusque testaceis, rostro angustiore cum fronte tenue canaliculato, thorace longiore angusto, basi emarginato, elytris evidenter, minus regulariter punctato-striatis, femoribus anticis obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

N. injucundo valde affinis, illo paulo brevior, sed multo angustior et gracilior. Caput, oculi, rostrum et antennæ ut in illo. Thorax angustior, latitudine media multo longior, sub-cylindricus, apice truncatus, anterius perparum angustatus, lateribus vix rotundatus, basi late sed parum profunde emarginatus, angulis retrorsum productis, supra modice convexus, ferrugineus, squamulis sordide argenteis, cervinis immixtis, tectus. Scutellum minutum, triangulare, ferrugineum. Elytra elongata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix dimidio latiora, humeris prominulis, oblique angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, a basi ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice con-

vexa, ferruginea, minus regulariter parum profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis, squamulis sordide argenteis tecta, in dorso antico rarioribus. Corpus subtus rufo-testaceum, punctatum, squamulis argenteis tectum. Pedes longiusculi, testacei, squamulis argenteis cupreo-micantibus obsiti; femoribus modice clavatis, anticis nonnihil crassioribus, subtus pone medium dente obsoleto armatis; tibiis anticis apice arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

Incertæ stirpis; species mihi invisæ.

61. N. Basilicus.

Piceus, subtus viridi-squamosus, thorace bilineato, coleopteris obovalibus, punctato-sulcatis, fascia postica viridi.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 421. n° 562.

Patria: Brasilia.

62. N. Leucospilus.

Brunneus, squamosus, coleopteris ob-ovalibus, punctato-striatis, fasciis duabus undulatis albidis.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 428. n° 564.

Patria: Brasilia.

63. N. Auriventris.

Niger, supra glauco-subsquamosus, subtus viridi-aureus, elytris oblongis, punctato-striatis, setosis.—Germ.

Leptocerus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 425. n° 569.

Patria: Brasilia.

Genus 77. PLECTROPHORUS. *Nobis* (1).

Character generis.—Antennæ longæ, valde tenues; scapus thoracem fere attingit; articuli duo basales funiculi longiusculi, æquales, reliqui breves, omnes obconici.

Rostrum breve, apice late et profunde rotundato-emarginatum.

Frons latiuscula; occiput parum elongatum.

Oculi majusculi, sub-oblongi, valde prominuli.

Thorax brevis, sub-cylindricus, versus apicem cito angustior.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 106. *Leptocerus* (subgenus *Plectrophorus*).

Elytra elongata, sub-linearia; humeri obtuse angulati.

Tibiæ anticæ intus crenulatæ, intermediæ intus versus apicem calcare longo armatæ, omnes apice muticæ.

Corpus oblongum, alatum, minoris magnitudinis.

* 1. P. LUTRA. *Schh.*

Albidus, antennis tenuissimis rufescentibus; capite lineis tribus nigris; elytris ad suturam obsolete fuliginoso-maculatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Dom. T. LUND, GYLLENH. et SCHH.

Parvus; lin. 2. longus. Corpus tectum indumento e squamulis minutis albidis. Antennæ tenues, rufescentes, clava distincta, alba. Caput longitudine thoracis, æquabile, albidum, lineis verticis tribus nigris, tenuibus, intermedia os attingente, lateralibus abbreviatis; os nigrum, profunde emarginatum, angulis lateralibus acutiusculis; oculi magni, prominuli, nigri. Thorax sub-quadratus, modice convexus, sub-æquabilis, albidus, medio dorso sub-fuliginoso, et linea integra sed tenuissima impresso. Elytra elongata, thorace paulo latiora, sed illo duplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, albida, punctis sub-fuliginosis adspersa, præsertim versus suturam. Corpus subtus albidum. Pedes obscure rufo-brunnei, squamulis albidis vestiti. Coxæ primi paris lamina elongata, compressa auctæ; femora intermedia subtus versus basin tuberculo valido instructa.—DALM.

GENUS 78. LAGOSTOMUS. *Schh.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; articuli funiculi primi longiusculi, obconici, reliqui breves, sub-turbinati; clava ovata.

Rostrum breviusculum, crassum, sub-angulatum, apice profunde triangulariter emarginatum.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax antrorsum angustior, basi bi-sinuatus, lateribus obliquis subrectis.

Elytra oblongo-ovata, antice in medio singulatim rotundata; humeri sub-retusi, oblique sub-angulati.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, durum, rigidum, alatum. — *Antennæ* breviusculæ, thoracis medium non attingentes, pone medium rostri insertæ, fractæ, validæ, parce rigide pilosæ, 12-articulatæ; articulo 1° clavato, oculos attingente, 2 et 3 longiusculis, obconicis, 4-8 brevibus, sæpissime sub-turbinatis, in

paucis sub-rotundatis, omnibus sub-æqualibus; clava ovata, 4-articulata. — *Rostrum* sæpissime breve, longitudine capitis, in nonnullis capite paulo longius, crassum, sub-angulatum, sæpius per strigam obsoletam transversim impressam a fronte distinctum, apice profunde triangulariter emarginatum; scrobs infra-ocularis, profunda, arcuata. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli. — *Thorax* latitudine baseos brevior, anterius angustior, basi bi-sinuatus, apice truncatus, lateribus obliquis subrectis, supra modice convexus, subtus pone gulam late sed non profunde emarginatus. — *Scutellum* aut distinctum, apice rotundatum, parum elevatum, aut indistinctum vel nullum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi fere duplo latiora, et illo quadruplo longiora, antice in medio singulatim rotundata, margine reflexo, thoracis basi arcte applicata, supra præsertim posterius convexa, apice obtuse acuminata, anum occultantia; humeris obliquis, sub-retusis, obtuse sub-angulatis. — *Pedes* validi, sub-æquales; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis anterioribus apice intus curvatis, posticis rectis, omnibus apice truncatis, unco brevi, horizontali, acuto, intus armatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo 1° basi tenui, 2° trigono, 3° latiore, bi-lobo, ultimo valido, clavato, bi-unguiculato.

Typus : — *Lagostomus paganus.*

A λαγὸς lepus, στόμα os.

Observ. — Simillimum hocce genus est *Thylaciti* generi, a quo tamen differt antennis validioribus et brevioribus, thorace postice bi-sinuato et humeris oblique sub-angulatis. — A genere *Cypho*, cui quoque simile est, distinguitur : antennis brevioribus aliterque constructis, rostro sæpe per strigam transversam a capite distincto et humeris sub-retusis.

Stirps 1. — Scutellati.

* 1. L. Turritus. *Schh.*

Elongato-sub-ellipticus, niger, subtus dense albido-squamulosus, supra squamositate fusco-cinerea in cavitatibus vestitus; capite rostroque profunde sulcatis, thorace elytrisque rugosis, his pone medium tuberculis duobus magnis conicis instructis.

Patria : Japonia. A Dom. Dehaan benevole communicatus. Mus. Schh.

Reliquis major, *Cypho gibbero* sub-æqualis. Caput breve, latum.

supra in medio profunde sulcatum et antice utrinque sulco arcuato insculptum, nigrum, in cavitatibus obscure cinereo-squamulosum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum latitudine capitis et illo duplo longius, porrectum, valde crassum, supra tri-sulcatum, intermedio profundiore, lateralibus posticis, antrorsum evanescentibus; disperse punctatum, nigrum, fusco-squamulosum. Antennæ nigræ, dense cinereo-albido-squamulosæ et pilosæ. Thorax latitudine non brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus pone medium ampliatus, basi bi-sinuatus, supra minus convexus, in medio late canaliculatus, ante medium striga transversa impressus, cæterum rugis difformibus confertim obsitum; niger, in cavitatibus fusco-squamulosus. Scutellum elevatum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin ad callum humeralem oblique ampliata, pone callum impressa, dein ulterius ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, sub-gibbosa, rude, remote et minus regulariter punctato-striata, rugis difformibus transversis inæqualia, interstitiisque alternis elevatioribus, undatis; nigra, in cavitatibus cinereo-squamulosa et sub-setosa; pone medium singuli elytri, prope suturam, tuberculum magnum, conicum, turritum observatur. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, dense albido-squamulosi et setulosi, femoribus clavatis, tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis.—Ghl.

* 2. L. Granulatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate cretacea undique tectus, setisque pallidis parce adspersus, thorace depresso, subtilius tuberculato, elytris rude, remote punctato-striatis, interstitiis æqualibus, parce atro-tuberculatis.

Patria: Insula Java. A Dom. Dehaan benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Otiorhynchi nigritæ.* Caput breve, latum, depressum, nigrum, cretaceo-squamosum, fronte antice canaliculata, disperse tuberculata setisque paucis, erectis, pallidis adspersa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix capite angustius, nec longius, apice triangulariter emarginatum, supra planum, similiter ac caput squamosum et setosum, ore atro. Antennæ breves, dense cretaceo-squamosæ, clava parva, nigra. Thorax latitudine brevior, antice sub-truncatus, lateribus parum ampliatus,

basi profunde bi-sinuatus, supra depressus, niger, squamositate cretacea tectus, tuberculis numerosis, parvis adspersus, in medio dorsi nudis, nigris, omnibus seta pallescente instructis. Scutellum parvum, ovatum, dense cretaceo-squamosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique ampliata, humeris sub-elevatis; lateribus inflexa, in medio laterum emarginata, posterius attenuata, apice conjunctim acuminata, supra convexa, fornicata, rude, remote punctato-striata, interstitiis æqualibus, convexiusculis; nigra, squamositate densa cretacea tecta, tuberculisque atris, nitidis, versus latera minoribus, rotundatis, in disco antico transversis, angustis, parce adspersa; puncta impressa striarum etiam sæpe nuda, nigra. Corpus subtus vage punctatum, nigrum, squamositate cretacea tectum. Pedes elongati, validi, nigri, dense cretaceo-squamosi punctisque nigris irrorati, tibiis scabris, setosis.—Ghl.

* 3. L. Tuberculatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate fusco-cinerea tectus, setisque concoloribus adspersus, thorace sub-depresso, canaliculato, fortius tuberculato, elytris rude, remote punctato-striatis, tuberculis nigris parce adspersis, pone medium fascia interrupta cinereo-albida notatis.

Patria : Insula Java. A Dom. Dehaan benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa affinitas *L. granulati;* differt tamen thorace evidenter canaliculato, fortius tuberculato, squamositate totius corporis obscuriore, elytrisque fascia postica albida notatis, parcius tuberculatis. Caput et rostrum ut in *L. granulato*, modo indumento obscure fusco setisque ejusdem coloris vestita; oculi semi-globosi, nigri. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-squamulosæ et setosæ. Thoracis forma ut in supra memorato, sed paulo minus depressus, in medio evidenter canaliculatus, tuberculis plurimis majoribus, setiferis adspersus, niger, fusco-squamosus. Scutellum elevatum, rotundatum, cinereo-squamulosum. Elytra quoad structuram etiam omnino ut in *L. granulato*, et simili modo punctato-striata, nigra, squamositate fusco-cinerea dense tecta, tuberculisque parvis, atris, nitidis anterius et versus latera parce adspersa; pone medium fascia inæquali albidius squamosa observatur. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate cinereo-albida dense tectum. Pedes ut in præcedenti.—Ghl.

* 4. L. SUBFASCIATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate fusca et cinereo-albida tectus, setisque concoloribus adspersus, thorace depresso, canaliculato, confertim tuberculato, elytris remote punctato-striatis, pone medium fascia interrupta albida notatis, vix tuberculatis, punctis plerisque striarum oblongis.

Patria: Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

L. tuberculato simillimus et nimis affinis, elytris vix nigro-tuberculatis, indumento illorum dilutius cinereo-albido et punctis striarum plerisque oblongis, angustis, fere unice distinctus. Caput, oculi, rostrum et antennæ omnino ut in *L. tuberculato.* Thoracis forma etiam eadem, supra depressus, evidenter canaliculatus, confertim tuberculatus, niger, in dorso fusco-squamulosus, subtus, lateribus, in canalicula media et linea disci utrinque, squamulis albidioribus tectus. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma etiam eadem, supra convexa, remote punctato-striata, punctis plerisque oblongis, angustis; nigra, in dorso squamositate fusca vestita, versus latera et in fascia postica abbreviata magis albida tecta, setisque fuscis adspersa; in lateribus deflexis tuberculum unum alterumve parvum, nigrum, nitidum observatur, in dorso vero nulla. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes longiusculi, validi, cretaceo-squamosi.

GHL.

* 5. L. COSTATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate densa cinereo-albida undique tectus, setulisque concoloribus adspersus, thorace obsolete canaliculato tuberculatoque, elytris parum convexis, remote punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus.

Patria: Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Proxime præcedentibus quidem similis, sed duplo minor, in elytris minus convexus et in pluribus distinctus. Caput porrectum, inæquale, pone oculos late et profunde transversim impressum, fronte punctata, canaliculata; nigrum, squamositate densa setulisque fusco-cinereis tectum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum crassum, angulatum, basi constrictum, supra impressum, squamosum. Antennæ breves, piceo-ferrugineæ, cinereo-setosæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius paulo angustior,

apice truncatus, lateribus vix ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, tuberculis parvis setiferis adspersus, niger, etiam in tuberculis, squamositate densa cinereo-albida vestitus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense squamosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique ampliata, dein posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra in dorso antico fere plana, posterius declivia, profunde et remote punctato-striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, convexis, unde striæ per paria approximatæ videntur; nigra, squamositate densa cinereo-albida vestita, setulisque concoloribus declinatis adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate cinereo-albida tectum. Pedes validi, nigri, dense squamosi et setosi.—Ghl.

* 6. L. Paganus.

Oblongo-ovatus, niger, squamositate densa cinereo-albida tectus setulisque concoloribus parce adspersus, thorace evidentius tuberculato, obsolete canaliculato, elytris parum convexis, remote punctato-striatis, interstitiis æqualibus, pone medium fascia obliqua, interrupta, albida notatis.

Cyphus id. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Patria : Insula Java. A Dom. Com. Dejean benevole donatus. Mus. Schh.

L. costato magnitudine et statura simillimus, sed thorax fortius tuberculatus, elytrorum interstitia æqualia, etc. Caput porrectum, pone oculos depressum, obsolete punctatum, dense cinereo-squamosum, fronte canaliculata; oculi semi-globosi, nigro-brunnei: rostrum capite paulo longius, crassum, angulatum, basi striga transversa a capite distinctum, supra fere planum, punctulatum, nigrum, dense squamulosum. Antennæ breves, nigræ, cinereo-setosæ. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, lateribus parum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra minus convexus, in medio obsolete canaliculatus, confertim evidenter tuberculatus, niger, squamositate densa cinerea vestitus. Scutellum elevatum, rotundatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique valde ampliata, humeris elevatis; posterius attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, remote punctato-striata, interstitiis omnibus æqualibus, convexis; nigra, in dorso squamositate densa cinerea,

versus latera albidiore tecta, et pone medium fascia obliqua albida, suturam non attingente, notata. Corpus subtus parce punctatum, nigrum, dense cinereo-albido squamosum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamosi et setosi.—GHL.

* 7. L. INEPTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis dense adspersus, fronte tenue canaliculata, rostro sub-bisulcato, thorace profunde rugoso, elytris sulcatis, sulcis profunde, sub-remote punctatis, interstitiis convexis.

Habitat in Insula Java. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Otiorhynchi æneopunctati.* Caput mediocre, crassum, nigrum, supra parum convexum, subtilissime crebre punctulatum, griseo-squamosum, vertice denudato; frons plana, inter oculos canalicula tenui impressa; oculi laterales, ovati, modice prominuli, brunnei; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, lineare, sub-rectum, supra planum, obsolete bi-sulcatum, carinula media parum elevata; totum nigrum, squamulis griseis tectum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis basin vix pertingentes, minus crassæ, nigro-piceæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil prominulis, supra modice convexus, undique sat profunde rugoso-punctatus, squamulis griseis unicoloribus tectus, dorso longitudinaliter nonnihil denudato. Scutellum parvum, rotundatum, immersum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, quam latiora vix triplo longiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra valde convexa, præsertim posterius; distincte sulcata, sulcis in fundo sat profunde remote punctatis, interstitiis convexis; tota nigra, squamulis griseis tecta, versus latera et apicem denudata, forte detrita. Corpus subtus nigrum, squamulis cinereo-albidis, sub-metallicis obtectum. Pedes validi, mutici, nigri, squamulis cinereo-albidis, sub-metallicis tecti, pubeque albida adspersi; femoribus modice incrassatis; tibiis teretibus, subrectis; tarsis elongatis, subtus obscure fulvo-spongiosis.—BHN.

STIRPS 2. — Exscutellati.

* 8. L. VERMICULATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, undique dense cretaceo-squamosus, thorace cylindrico, rugoso, profunde canaliculato, elytris externe remote punctato-striatis, in dorso tuberculis difformibus alte elevatis adspersis.

Patria : Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

L. granulato duplo major. Caput quadratum, pone oculos transversim impressum, anterius planum, disperse punctatum, canalicula angusta a vertice ad apicem rostri exaratum, nigrum, dense cretaceo-squamosum ; oculi semi-globosi, nigri ; rostrum porrectum, longitudine capitis et illo vix angustius, punctura et indumento ut in capite. Antennæ breves, dense cretaceo-squamosæ, clava fusca. Thorax latitudine fere longior, sub-cylindricus, antice truncatus, lateribus non ampliatus, basi bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio profunde sulcatus, undique rugosus, niger, squamositate densa cretacea vestitus, granulisque parvis nigris irroratus. Scutellum nullum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique valde ampliata, humeris sub-elevatis ; posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, externe et in stria suturali regulariter, remote punctato-striata, striis disci vero irregularibus, e tuberculis interstitiorum alte elevatis, difformibus, interruptis ; nigra, squamositate densa cretacea vestita, punctis striarum et signaturis sparsis nigris irrorata. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, dense cretaceo-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, dense cretaceo-squamosi, punctisque nigris irrorati.—GHL.

* 9. L. CÆSICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate fusco-cinerea vestitus, thorace profunde sulcato, lateribus nonnihil ampliato, elytris remote, abrupte punctato-striatis, in disco valide tuberculatis.

Patria : Insula Java. A Dom. DEHAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

L. vermiculato vix longior, sed in elytris latior. Caput latum, quadrangulum, fere planum, obsolete punctatum, nigrum, squamositate obscure cinerea vestitum, fronte profunde canaliculata ;

oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite dimidio longius et paulo angustius, crassum, porrectum, supra late et profunde canaliculatum, granulatum, nigrum, cinereo-squamosum. Antennæ breviusculæ, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine longior, antice truncatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus ante medium ampliatus, posterius angustior, basi obsolete bi-sinuatus, intra basin striga elevata, arcuata instructus; supra in medio sulco profundo, utrinque abbreviato, lateribus elevato-marginato insculptus; superficies reliqua inæqualis, sub rugosa et granulata: niger, squamositate cinerea inæqualiter vestitus. Scutellum nullum. Elytra magna, antice singulatim rotundato-producta, margine elevato, pone basin oblique ampliata, tuberculo humerali elevato instructa; lateribus ultra medium adhuc latiora, posterius subito angustata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; juxta suturam striæ duæ sat regulares, punctatæ, punctis remotis, anterioribus magnis, profundis; posterioribus minoribus; versus latera etiam striæ nonnullæ regulares, punctatæ, in disco vero striæ e tuberculis magnis, difformibus, alte elevatis, abruptæ et dis-locatæ; nigra, squamositate densa fusco-cinerea tecta, etiam in tuberculis, relicta tantum plaga baseos communi, oblonga, nuda. Corpus subtus punctatum, nigrum, inæqualiter cinereo-squamosum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamosi, femoribus clavatis, muticis, tibiis arcuatis, tarsis dilatatis, subtus fusco-spongiosis. —GYLL.

GENUS 79. CYPHUS. *Nobis.*

Cyphus GERM., LATR., STURM (1). *Chlorima* DEJ. *Catal.*—*Curculio* FABR., OLIV., HERBST.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, validiusculæ; scapus clavatus, sæpius oculos superans; articulus secundus funiculi primo longior, 3-7 sensim breviores.

Rostrum breve, crassum, supra planum, in medio linea impressa notatum.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax basi bi-sinuatus, in medio supra sæpius deplanatus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, posterius sæpius gibba; humeri oblique angulati, sub-elevati.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 107. n° 50.—Germ. Ins. Sp. I. p. 427.—Latr. Regne Anim. p. 591. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. nat. XIV. p. 595

Corpus elongato-ovatum, alatum, aut majoris aut medioeris magnitudinis.

STIRPS 1.—Antennæ longæ; articuli 4-8 longiusculi, sub-obconici.

* 1. C. GIBBER.

Elongato-ovatus, niger, squamulis lacteis densissime tectus, capite rostroque canaliculatis, thorace rugoso, dorso lateribusque late impresso, elytris subtiliter striato-punctatis, postice gibbosis.—BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 513. n° 36. — *Ent. Syst.* I. II. p. 454. n° 255.—*Mant.* I. p. 112. n° 176.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 303. n° 334. T. 15. f. 189.—*Enc. méth.* V. p. 529. n° 257.

HERBST. *Col.* VI. p. 173. n° 134. T. 72. f. 1.

PALLAS. *Icon.* p. 32. n° 14. Tab. B. fig. 14.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1782. n° 352.

Chlorima gibbera. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 92.

C. argillaceus. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 429. n° 573. (a *C. gibbero* vix diversus).

Patria : Brasilia.

* 2. C. PISTOR. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, squamulis fusco-cretaceis tectus, capite thoraceque canaliculatis, thorace rugoso, elytris profunde punctato-striatis, pone medium gibbis.

Habitat in Brasilia. A Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

C. gibbero statura fere similis, sed dimidio minor, aliter coloratus, et in elytris profundius punctatus, abunde distinctus. Caput breve, crassum, supra planum, nigrum, squamulis fusco-cretaceis undique tectum, sulco profundiore, ad apicem rostri continuato, exaratum ; oculi laterales, oblongo-ovati, prominuli, obscure brunnei; rostrum capite paulo longius, sed illo nonnihil angustius, crassiusculum, sub-horizontale, supra planum, indumento capitis, apice bifurcatum, ciliatum. Antennæ crassiusculæ, thoracis basin attingentes, nigræ, tenuiter cretaceo-squamosæ et griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, nigro-velutina. Thorax latitudine parum brevior, antice nonnihil angustior, truncatus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra ruguloso-exasperatus, in medio longitudinaliter elevatior et in elevatione canaliculatus, undique densissime fusco-cretaceo-squamosus. Scu-

tellum parvum, sub-triangulare, nigrum, fusco-cretaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris oblique prominulis, sub-angulatis, thorace quintuplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus attenuata, apice simultaneæ acuminata, supra convexa, profunde sed remote et minus regulariter punctato-striata, undique squamulis fusco-cretaceis tecta, interstitiis 3 et 5 a sutura elevatioribus, sub-costatis; postice gibbosa, et paulo pone medium tuberculo oblongo, transverso, juxta suturam notata. Corpus totum subtus nigrum, squamulis fusco-griseis densissime tectum. Pedes mediocres, mutici, nigri, squamulis grisescentibus tecti, griseo-pubescentes. Tarsi dilatati, subtus obscure fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 3. C. Bituberosus. *Schh.*

Elongatus, niger, squamis densis pallidis undique tectus, capite thoraceque canaliculatis, elytris remote sub-striato-punctatis, singulo pone medium disci tuberculo magno conico instructo.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Com. Mannerheim et Schh.

Statura *C. gibberi*, sed fere triplo minor, præsertim angustior. Caput latum, porrectum, in medio sat profunde canaliculatum, pone oculos transversim impressum, subtiliter rugulosum, nigrum, squamis rotundatis, depressis, pallidis tectum, immixtis aliis lanceolatis elevatioribus; oculi laterales, majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum longitudine et latitudine capitis, crassum, supra excavatum, et a basi ad antennas canaliculatum, colore, punctura et indumento ut in capite. Antennæ thoracis basin attingunt, subtenues, nigræ, albido-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius paulo angustior, apice truncatus, lateribus vix ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, inæqualis, in medio anguste canaliculatus, confertim subtilius punctulatus, niger, squamis pallidis tectus. Scutellum triangulare, angustum, dense pallido-squamosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi multo latiora illique arcte applicata, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus inflexa sed non ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim acuminata, thorace quadruplo longiora, supra inæqualia, singulatim in medio longitudinaliter convexa, punctis majusculis, sub-seriatis, valde remotis impressa, confertim subtiliter ruguloso-punctata, nigra, squamis rotundatis, depressis pallidis tecta, immixtis aliis angustis, elevatioribus, versus apicem densioribus, elongatis, setiformibus; pone medium disci singuli elytri tuberculum magnum,

crassum, obtuse conicum, squamosum. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense pallido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense pallido-squamosi et setosi.—GHL.

* 4. C. INHALATUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute luteo-virescentibus setulisque brevissimis albidis tectus, fronte rostroque canaliculatis, thorace ruguloso, utrinque longitudinaliter impresso, dorso elevato, plano, canaliculato, elytris bifariam striato-punctatis.—BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 430. n° 574.

Patria: Brasilia.

* 5. C. JUVENCUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis læte sulphureis dense tectus, fronte rostroque canaliculatis, thorace subtiliter confertim punctulato, longitudinaliter canaliculato, basi profunde bi-sinuato, elytris subtiliter striato-punctatis.—BHN.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 352. n° 409. T. 1. f. 11.

* VAR. β. Cinereo-squamosus, vertice, lateribus thoracis, regione humerali elytrorum brunneo-pollinosis.

Patria : Cayenna.

* 6. C. PUDENS. *Schh.*

Elongato-ovatus, supra squamulis cinereo-fulvescentibus tectus, antennis pedibusque testaceis, capite canaliculato, thorace ad basin obsolete sulcato, elytris subtiliter punctato-striatis, non gibbosis.

* VAR. β. Totus supra pulvere citrino tectus.

Habitat in Insula St. Barthelemi. Dom. FORSSTROEM. Mus. D. BILLBERG et SCHH.

Polydroso micanti magnitudine æqualis. Caput breve, crassum, squamulis cinereo-fulvescentibus, certo situ cupreo-micantibus omnino tectum, fronte plana, canalicula angusta, ultra medium rostri extensa, exarata; oculi laterales, oblongo-ovati, prominuli, nigri; rostrum capite fere brevius et paulo angustius, supra planum, colore et indumento simili ac caput; ore emarginato, piloso. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, crassiusculæ, testaceæ, griseo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, nigro-picea. Thorax latitudine medii brevior, antice truncatus, angustior, posterius nonnihil ampliatus, lateribus subrectis, obliquis, basi bi-sinuatus, ante scutellum obsolete canaliculatus, supra

modice convexus, densissime squamulis cinereo-fulvescentibus cupreo-micantibus tectus. Scutellum parvum, sub-triangulare, cinereo-squamosum. Elytra ovata, antice thoracis basi dimidio latiora, singulatim in medio rotundato-producta, humeris prominulis, sub-angulatis, pone humeros apicem versus angustata, apice acuminata, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius, dilute rufo-picea, regulariter et minus profunde punctato-striata, squamulis cinereo-fulvescentibus, certo situ cupreo-micantibus densissime tecta. Corpus subtus rufo-piceum, subtilissime punctulatum, cinereo-metallico-squamulosum. Pedes mediocres, mutici, toti pallide testacei, femoribus sub-clavatis, squamulis cupreo-micantibus et pube grisea vestitis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.

VAR. β. Differt tantum pagina tota superiore pulvere læte citrino tecta, translucentibus passim squamulis cinereo-albidis; antennæ et pedes saturatius ferruginea.—BHN.

STIRPS 2. — Antennæ longiusculæ; articuli 4-8 brevissime-obconici.

* 7. C. LATREILLEI. *Schh.*

Elongato-ovatus, ater, sub-setosus, capite, thoracis maculis apicalibus elytrisque dense cæsio-squamosis, his simul maculis sex fasciaque posteriore flexuosa holosericeo-atris, apice singulatim acuminatis.

Habitat in Brasilia. A Celeb. Dom. STEVEN benevole donatus. Mus. SCHH.

Magnus; *Entimo imperiali* paulo minor. Caput et rostrum undique squamulis cæsiis tecta, relictis punctis minutis sparsis denudatis atris; rostrum crassum, supra sub-planum, uni-sulcatum, sulco in frontem adscendente, attenuato; oculi globosi, nigri. Antennæ modice crassæ, nigræ, clava oblonga, acuminata, fusco-pubescente. Thorax antice angustior, sub-truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde emarginatus, leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio nonnihil impressus, totus holosericeo-ater, lineis duabus cuneatis, approximatis, cæsio-squamosis, ab apice versus medium ductis. Scutellum demersum, in metathorace situm, nigrum, sinuato-triangulare. Elytra ampla, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris oblique prominulis, angulum formantibus; thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, versus apicem attenuata, apice singulatim acuminato-producta, dehiscentia; supra valde convexa, fere æqualia, squamulis densis læte

cæsiis tecta, setulisque parvis, albidis, reclinatis, parce adspersa, subtiliter et remote seriato-punctata; signaturæ variæ holosericeo-atræ, sub-elevatæ, elytra ornant, nempe: triangulum parvum commune, pone scutellum; in medio baseos singuli elytri macula difformis et altera paulo minor ad latus inferum tuberculi humeralis; ante medium singuli elytri macula orbiculata, et pone medium fascia communis, macularis, sinuato-flexuosa, quasi e maculis quinque variæ formæ conflata, centrali majore, communi; margo exterior a basi ultra medium itidem atro-holosericeus. Squamulæ corpus subtus tegentes magis cœrulescentes, in ventre maculatim confluentes. Pedes validi, nigri, parcius cœrulescenti-squamosi, in femoribus posticis fasciam constituentibus. Pedes antici longiores, tibiis arcuatis; tarsi omnium valde dilatati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

Dom. P. A. LATREILLE, le premier entomologiste vivant.

Com. DEJEAN. *Spec. gén. des coléopt.* I. p. XXIV.

* 8. C. SEDECIMPUNCTATUS.

Cœrulescens, thorace punctis nigris quatuor, coleopteris duodecim.—LINN.

Curculio id. LINN. Mus. Lud. *Ulr.* p. 58. n° 17.—*Syst. nat.* I. II. p. 618. n° 92.—Ed. GMEL. I. IV. p. 1791. n° 92.

FABR. *Syst. el.* II. p. 509. n° 10.—*Ent. Syst.* I. II. p. 450. n° 237. —*Mant.* I. p. 111. n° 164.—*Spec. ins.* I. p. 185. n° 133.—*Syst. ent.* p. 146. n° 98.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 298. n° 327. T. 2. f. 17. a. b. — *Enc. méth.* V. p. 526. n° 244.

DRURY. *Illustr.* III. p. 74. T. 49. f. 4.

Chlorima sedecimpunctata. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 92.

* VAR. β. Cœlestinus, maculis omnibus separatis minoribus nigris.

Patria : America meridionalis.

* 9. C. MODESTUS. *Klug.*

Ovatus, niger, squamis setulisque cinereo-albidis undique tectus, thorace canaliculato punctis quatuor, elytris simul duodecim atro-holosericeis notatis, interioribus duplicatis.

Patria : Mexico. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

C. sedecimpunctato quoad signaturas similis, sed minor, angustior,

in elytris minus convexus, aliter coloratus. Caput cum rostro porrectum, oblongo-quadrangulum, supra fere planum, distincte canaliculatum, punctatum, nigrum, cinereo-albido squamosum et setulosum, pone oculos macula denudata nigra notatum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei. Antennæ crassiusculæ, nigræ, cinereo-squamosæ et setosæ. Thorax latitudine fere longior, anterius paulo angustior, apice truncatus, lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, supra in medio longitudinaliter late impressus, subtilius punctatus, niger, squamulis depressis, rotundatis et piliformibus mixtis, undique vestitus, utrinque maculis duabus atro-holosericeis notatus, anteriore rotundata, ad medium laterale, altera oblonga, posteriore et interiore. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, oblique angulatis; lateribus inflexa, apice singulatim acuminato-producta, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, remote striato-punctata, interstitiis confertim alutaceis; nigra, squamulis setisque cinereo-albidis dense vestita, maculisque atro-holosericeis, sex in singulo, notata, quarum prima major, sub callo humerali; secunda supra illam; tertia ante medium disci, didyma; quarta et quinta pone medium, versus suturam, oblique positæ, approximatæ, didymæ, et demum sexta versus marginem, ovata, simplex. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamosum, ventre p sterius vitta media nigra notato. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense albido-squamulosi et pilosi, femoribus clavatis, muticis.— GYLL.

* 10. C. VARNHAGENI.

Cœruleo-argenteus, nitidulus, thorace maculis quatuor atris, coleopteris punctato-striatis, tuberculorum atrorum seriebus duabus transversis, basi vage maculatis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 437. n° 584.

Patria : Brasilia.

11. C. AUGUSTUS (1).

Argenteo-viridis, splendens, pedibus cæruleis; coleopteris punctato-striatis, tuberculorum seriebus duabus transversis. —ILLIG.

Curculio id. ILLIG. *Mag.* I. p. 174. n° 8.

Patria : Brasilia.

---

(1) Mihi invisus.

12. C. HANCOCKI (1).

Corpore squamoso; squamulis aurato-viridescenti-cæsiis, coleopteris gibbis, quadri-tuberculatis; humeris apicibusque mucronatis.—KIRBY.

Curculio id. KIRBY in *Linn. Soc. Trans.* XII. p. 435. n° 76. T. 22. f. 11.

Patria: Brasilia.

* 13. C. GERMARI. *Wintheim.*

Elongato-ovatus, squamulis læte viridibus, maculatim aureo mixtis tectus, thorace scabro, profunde lateque canaliculato, elytris striato-punctatis, fasciculis plurimis atro-holosericeis, sub-ocellatis, notatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. DE WINTHEIM, hoc nomine benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et similitudo *C. varnhageni*, abunde tamen diversus, defectu macularum thoracis, numero et situ fasciculorum in elytris, etc. Caput cum rostro crassum, supra planum, profunde canaliculatum, squamulis læte viridibus, hinc inde aureo-micantibus, undique tectum; oculi globosi, nigri. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pilosæ, clava dense fusco-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, antice nonnihil angustior, truncatus, et versus latera constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra ruguloso-exasperatus, in medio fovea longitudinali lata et profunda canaliculatus; squamulis læte viridibus, ad margines canaliculæ ut et versus latera aureo-tinctis, omnino tectus. Scutellum parvum, rotundatum, viridi-squamosum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris oblique prominulis, sub-angulatis, thorace fere quintuplo longiora, lateribus inflexa, versus apicem attenuata, apice simultaneæ acuminata, supra convexa, evidenter, sed remote striatim-punctata; squamulis læte viridibus, ad suturas præsertim aureo-micantibus, tecta; fasciculis similibus viginti-duobus sub-elevatis, atro-holosericeis, iride fulva cinctis, adspersa, quorum undecim in quovis elytro, primus in medio baseos, secundus in callo humerali, tertius ante medium disci, quartus minor prope illum juxta

(1) Mihi invisus.

suturam, quintus versus marginem lateralem, ante medium, solitarius; tum tres in medio interiori, transversim positi, approximati; nonus versus marginem, pone medium, solitarius, et demum duo approximati in callo postico. Corpus totum subtus squamulis saturatius viridibus tectum, punctisque parvis nigris irroratum. Pedes mediocres, dense viridi-squamulosi, nigro-punctati, fulvo-pubescentes, antici longiores, tibiis arcuatis. Tarsi omnes valde dilatati, subtus obscure fulvo-spongiosi.—BHN.

STIRPS 3. — Antennæ longiusculæ; articuli 4-8 sub-rotundati.

* 14. C. GLORIANDUS. *Schh.*

Elongato-ovatus, ater, squamulis cœruleo-argenteis variegatus, thorace rugoso, sub-lineato, elytris remote punctato-striatis, plaga communi baseos lobata, fasciis duabus obliquis sinuato-dentatis apiceque cœruleo-argenteo-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. DE WINTHEIM benigne missus. Mus. SCHH.

Statura et magnitudo *C. varnhageni.* Caput cum rostro breve, depressum, atrum, squamulis cœruleo-argenteis dense adspersum, canalicula media, utrinque abbreviata, exaratum; oculi semi-globosi brunnei. Antennæ validæ, pilosæ, atræ, clava angusta cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, antice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi late sub-bisinuato-emarginatus, supra modice convexus, rude rugoso-punctatus, ater; squamulis in medio dorsi cœrulescentibus, versus latera albidioribus dense adspersus, relicta utrinque linea laterali atra latiore, antice abbreviata, in media fere interrupta, aliisque duabus dorsalibus, parallelis, obsoletioribus. Scutellum minutum, triangulare, squamulis cinereo-albidis tectum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris oblique prominulis, rotundatis, thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, apice acuminata, supra æqualiter convexa, remote punctato-striata, holosericeo-atra, opaca, sub-pilosa; signaturis variis e squamulis minutis cœruleo-argenteis nitidis insignita; nempe: in medio baseos plaga magna, communis, lobata, in centro maculam nigram includens; fascia obliqua, sub tuberculo humerali incipiens, versus medium dorsi ducta, lata, utrinque, præsertim posterius sinuato-erosa; dein fascia altera, etiam obliqua macularis, valde inæqualis, angustior, et demum in apice singuli elytri plaga sinuata, externe adscendens, suturam non attingens. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cœruleo et viridi-argenteis tectum. Pedes mediocres, nigri, squa-

mulis cœruleo-viridibus, nitidis, adspersi, tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

15. C. Margaritaceus.

Elongato-ovatus, niger, squamulis cœruleo-argenteis tectus, capite, lineis quatuor thoracis, humeris elytrorum, fasciis tribus pedibusque aureo-cupreis.—Bhn.

Sturm. *Ins. Catal.* 1826. p. 75. T. 3. f. 29.
C. Fabricii. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Var. β. Præterea pone humeros macula sat magna, rotunda, margineque laterali aureo-cupreis, fascia apicali valde flexuosa, antice pone medium cum margine laterali connexa, postice ramulum elongatum prope suturam usque ad apicem emittente.—Bhn.

* 16. C. Linnei. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, villosus, thorace postice angustiore, elytris subtilius punctato-striatis, basi maculisque decem stramineis duabusque aurantiis ornatis, corpore subtus pedibusque squamulis pilisque paleaceis tectis.

Trichaptus mutillarius. Dom. Germ. *in Litteris.*

Var. β. Dimidio major, macula intermedia dorsali deficiente.

Habitat in Brasilia. A Dom. de Wintheim missus. *Var.* β a Dom. Chevrolat communicatus. Mus. Schh.

C. sedecimpunctato non longior, sed latior. Caput breve, depressum, atro-villosum; rostrum capite paulo longius, crassum in apice, supra stramineo-villosum; oculi globosi, nigri. Antennæ mediocres, nigræ, cinereo et nigro-pilosæ, clava angusta, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media paulo longior, antice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi bi-sinuatus, angulis deflexis, supra convexus, fere gibbosus, in medio canaliculatus, ater, villositate longa, densa, concolore tectus, immixtis versus basin villis stramineis. Scutellum parvum, triangulare, squamis stramineis tectum. Elytra antice thoracis basi plus duplo latiora, et illo quadruplo longiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris prominulis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, subtiliter et remote striatim-punctata, holosericeo-atra, villosa; in ipsa basi litura transversa, inæqualis, straminea, interne juxta suturam ramulum ovatum emittens; pone illam macula ovata, cum opposita alterius elytri fere connexa; paulo pone medium juxta suturam,

tertia major; in ipso apice quarta, etiam magna; in medio marginis lateralis litura transversa, quasi e maculis duabus coalita, anteriore longiore; hæ omnes stramineæ et villositate concolore vestitæ; in medio disci anterioris cujusvis elytri præterea macula magna, orbiculata aurantiaca. Corpus subtus nigrum, dense stramineo-squamosum et villosum, segmentis posterioribus ventris maculis duabus denudatis in singulo, ultimo maxima parte nigro, apice stramineo-villoso. Pedes longiusculi, nigri, dense stramineo-squamosi et villosi; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN

Dom. CAROLI A LINNÉ, le véritable créateur des sciences naturelles, et le premier des naturalistes passés, présents et futurs.

Com. DEJEAN. *Spec. gén. des coléopt.* I. p. XXV.

Ad hoc genus verisimile referendæ sunt species; mihi invisæ.

17. C. CHLOROSTOMUS.

Thorace brevi, cylindrico, viridi-squamosus, brunneo irroratus, elytris punctato-striatis, setosis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 430. n° 575.

Patria : Brasilia.

18. C. CHRYSIS.

Albus, nigro-punctatus, elytris fasciis duabus maculisque quatuor aureis.—OLIV.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 508. n° 5. — *Ent. Syst.* I. II. p. 449. n° 233.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 296. n° 323. T. 1. f. 6. — *Enc. méth.* V. p. 525. n° 239.
HERBST. *Col.* VI. p. 228. n° 192. T. 76. f. 5.

Patria : India orientalis.

19. C. CYANIPES.

Albus, elytris vitta abbreviata, dentata, pedibusque cyaneis.—FABR.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 513. n°. 40. — *Ent. Syst.* I. II. p. 455. n° 259. — *Mant.* I. p. 113. n° 180.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 302. n° 333. T. 15. f. 190. — *Enc. méth.* V. p. 530. n° 261.
HERBST. *Col.* VI. p. 174. n° 135. T. 72. f. 2.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1783. n° 356.

Patria : Cayenna.

GENUS 80. HADROPUS. *Nobis* (1).

Cyphus. GERM.

Character generis.—Antennæ breviusculæ, minus validæ; scapus clavatus, oculos attingens; articulus secundus funiculi primo paulo longior, 3-7 breviores, omnes obconici.

Rostrum supra planum, in medio linea impressa notatum; scrobs percurrens, valde arcuata, subtus flexa.

Oculi rotundati, prominuli.

Thorax subconicus, postice bi-sinuatus.

Scutellum triangulare, distinctum.

Elytra convexa, basi singulatim rotundato-producta, posterius gibbosa, apice conjunctim sub-acuminata; humeri obtuse angulati.

Tibiæ rectæ, validæ, apice muticæ.

Corpus breviter ovatum, alatum, mediæ magnitudinis.

* 1. H. ALBICERIS.

Oblongo-ovatus, niger, densissime niveo-squamosus, capite rostroque leviter canaliculatis, thorace late sulcato, quadri-foveolato, elytris punctato-striatis, postice sub-costatis, gibbis.

Cyphus albiceris. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 432. n° 577.

VAR. β. Elytris postice squamulis luteo-virescentibus nubiculosis.

H. nubiculosus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 111.

Habitat in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et SCHH.

Eustale leucogæo Germ. minor et brevior. Caput breve, latum, nigrum, squamulis niveis tectum, supra planiusculum, sulculo in fronte tenuiter impresso, ad apicem rostri fere continuato; oculi ovati, modice prominuli, nigri; rostrum capite brevius, sed vix angustius, sub-horizontale, crassum, supra planum, in medio longitudinaliter impressum, similiter squamulosum. Antennæ thoracis medium parum superantes, crassiusculæ, nigræ, clava oblongo-ovata, sub-obtusa, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, apice truncatus, antice posticeque æque latus, lateribus vix rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, longitudinaliter late sulcatus, antice posticeque

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 111. n° 11

utrinque profunde foveolatus, niger, rugoso-punctatus, squamulis niveis densissime tectus. Scutellum minutum, triangulare, albido-squamosum. Elytra thorace quadruplo longiora, antice ejus basi duplo latiora, humeris prominulis, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, ad basin lobulo supra thoracem nonnihil producta, antice parum convexa, posterius gibbosa, nigra, punctato-striata, interstitiis sub-costatis, tertio a sutura posterius valde elevato; squamulis niveis tecta, pilisque nonnullis fuscis adspersa. Corpus subtus nigrum, niveo-squamosum. Pedes nigri, albido-squamosi; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

GENUS 81. — PLATYOMUS.

Platyomus SCHH., SAHLB. — *Cyphus* GERM., LATR., STURM, SCHH. olim (1). — *Chlorima* DEJ. *Catal.* — *Curculio* FABR., OLIV., HERBST.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; scapus oculos superans, extrorsum gradatim valde incrassatus; articulus secundus funiculi primo longior, 3-7 sensim breviores, omnes sub-obconici.

Rostrum breve, valde crassum, sub-porrectum, supra longitudinaliter profunde excavatum; scrobs brevis, curvata, profunda.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax subconicus, postice profunde bi-sinuatus.

Elytra sub-ovata, antice singulatim rotundato-producta; humeri aut in spinam horizontalem extensi, aut obtuse angulati, sub-elevati.

Corpus oblongo-ovatum, alatum, aut majoris aut mediocris magnitudinis.

Observ. — In genere *Platyomo* genuino, tibiæ omnes apice muticæ.

STIRPS 1. Scapus sub-arcuatus; clava antennarum oblongo-ovata. Scutellum parvum, triangulare.

* 1. P. NODIPENNIS.

Niger, squamis supra ferrugineis, subtus virescentibus dense obtectus, thorace carinato, transversim sulcato, elytris punctato-striatis, tuberculis prominentibus, apice obtuse mucronatis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 109. *Cyphus* subgenus A.

Sahlb. *Spec. ins.* I. p. 29. n° 19. T. 2. f. 6.
Chlorima draco. Dej. *Catal. Col.* p. 92.

* Var. β. Subtus albido-squamosus, thorace lineis duabus dorsalibus, maculaque parva utrinque basali atris, notatus, elytris dorso atro-lineatis et maculatis.

Cyphus cultricollis. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 432. n° 578.
Chlorima albiventris. Dej. *Catal. Col.* p. 92.

Patria : Brasilia.

* 2. P. Duponti. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamis supra brunneis subtus albidis dense tectus, thorace ruguloso, dorso late sed minus profunde impresso, antice carinato, elytris punctato-striatis, apice sub-acuminatis, singulo in dorso postico tuberculo obtuso instructo, humeris modice prominulis.

Patria : Brasilia. Mus. Schh.

Habitus *P. nodipennis,* sed dimidio minor; thorace late impresso, obsolete carinato, humeris minus productis, magis obtusis, tuberculis elytrorum obtusis, apice non mucronatis, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, crassum, nigrum, squamulis brunneis densissime tectum; frons plana, lineola inter oculos longitudinali impressa; oculi laterales, globosi, valde prominuli, nigri; rostrum longitudine et latitudine capitis, subrectum, crassum, apice incrassatum, squamulis brunneis obtectum, supra fovea magna longitudinaliter lateque excavatum, lateribus valde elevatis. Antennæ thoracis basin attingentes, crassæ, nigræ, articulo 1° brunneo-squamoso, funiculo squamulis pallidis tecto, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax antice truncatus, capite vix latior, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, rugulosus, dorso longitudinaliter lateque impressus, antice carinula parum elevata instructus; totus niger, squamulis brunneis dense vestitus, linea tamen laterali silacea insignitus. Scutellum minutum, triangulare, silaceo-squamosum. Elytra antice thorace duplo latiora et quadruplo longiora, pone humeros sensim angustata, apice conjunctim sub-acuminata, humeris prominulis, obtusis, supra in dorso parum convexa, postice magis gibbosa, minus profunde punctato-striata, tuberculo modice elevato, elongato, obtuso, pone medium inter striam a sutura secundam tertiamque; tota nigra, squamulis brunneis, hinc inde paulo pallidioribus densissime tecta. Corpus subtus nigrum, squamulis sordide albidis dense vestitum. Pedes validi, mutici, nigri, squamulis

pallidis brunneis immixtis tecti, pilosi; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.— BHN.

Dom. DUPONT junior, Parisiensis, naturæ investigator. Possessor pretiosi apparatus entomologici, ex quo multas raras species mihi communicare illi placuit.— SCHH.

* 3. P. PRASINUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis læte virescentibus tectus, antennarum clava atro-holosericea, thorace inæquali, dorso late, sat profunde impresso, elytris subtiliter punctato-striatis, apice obtuse acuminatis, singulo in dorso postico tuberculo valido, pube flava tecto, notato.

Cyphus id. Dom. Com. DEJEAN in *Litteris.*
Cyphus chrysocollæ. Dom. GERM. in *Litteris.*

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura *P. nodipennis*, sed paulo minor. Caput mediocre, crassum, nigrum, subtilissime crebre punctulatum, squamulis dilute virescentibus obtectum; frons plana, sulculo inter oculos longitudinali in vertice producto, impresso; oculi laterales, globosi, valde prominuli, nigri, nitidi; rostrum longitudine et latitudine capitis, subrectum, apice nonnihil incrassatum, nigrum, squamulis læte virescentibus dense vestitum, supra profunde, late, longitudinaliter excavatum; lateribus valde elevatis. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis basin attingentes, crassæ, nigræ, squamulis virescentibus tectæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media parum brevior, antice truncatus, capite vix latior, mox pone apicem leviter coarctatus; lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis retrorsum prominulis, supra inæqualis, rugulis transversalibus obsitus, dorso late sat profunde longitudinaliter impressus; totus niger, squamulis dilute virescentibus dense tectus. Scutellum minutum, sub-triangulare. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace duplo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris valde prominulis, acuminatis; lateribus inflexa, versus apicem attenuata, apice ipso nonnihil dehiscentia, singulatim acuminata, supra convexa, postice magis gibbosa, minus profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter confertim punctulatis, nigra; squamulis læte virescentibus densissime tecta, pone medium tuberculo magno inter striam a su-

tura secundam tertiamque obtuse acuminato, valde elevato, pube flava tecto, alteroque minori obtuso, propius ad apicem et marginem exteriorem sito. Corpus subtus nigrum, squamulis pallide virescentibus tectum. Pedes mediocres, dense viridi-squamulosi pubeque pallida adspersi; antici nonnihil longiores; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsi omnes valde dilatati, subtus obscure fulvo-spongiosi.—BHN.

* 4. P. PISCATORIUS.

Thoracis dorso planato, albo-squamosus, elytris profunde striato-punctatis, ante apicem bi-spinosis.—GERM.

Cyphus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 434. n° 580.

* VAR. ζ. Elytris squamulis luteo-virescentibus, nubiculosis.

* 5. P. UNDULATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute cinereis dense tectus, fronte canaliculata, rostro parum profunde excavato, thorace obsolete sulcato, elytris oblongo-ovatis, subtiliter punctato-striatis, fasciis duabus, undulatis, umbrinis, decoratis.

Habitat in Brasilia. Mus. FALDERMANN.

P. perlepido certe affinis, sed major præsertim longior; ab illo colore, rostro minus profunde excavato, non canaliculato, elytris subtiliter punctato-striatis, etc., mox distinctus. Caput mediocre, crassum, nigrum, squamulis dilute cinereis dense tectum; frons plana, canalicula tenui insculpta; oculi laterales, ovati, prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, subrectum, crassum, supra fovea minus profunda longitudinaliter lateque excavatum, lateribus foveæ parum elevatis, nigrum; squamulis dilute cinereis dense vestitum. Antennæ crassæ, nigræ, parce pilosæ, scapo squamulis cinereis tecto, clava ovata, acuminata, nigra. Thorax longitudine paulo latior, apice truncatus, capite vix latior, posterius nonnihil ampliatus, lateribus vix rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, obsolete canaliculatus, niger, squamulis uni-coloribus dilute cinereis tectus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thorace duplo fere latiora, illoque quintuplo longiora, humeris prominulis, elevatis, oblique angulatis, apicem versus sensim angustata, apice conjunctim acuminata, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis fere planis; squa

mulis densis dilute cinereis tecta; fasciis duabus, priore ante, altera longe pone medium, angustis, undulatis, transversis, margines non attingentibus, e squamulis umbrinis, ornata. Corpus subtus nigrum, dense argenteo-squamosum. Pedes mediocres, rufo-ferruginei, squamulis albidis vestiti; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis apice parum arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 6. P. PERLEPIDUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis ochraceis et nigris variegatus, fronte rostroque canaliculatis, thorace sulcato, nigro-lineato, elytris amplis, punctato-striatis, fasciis duabus transversis, undulatis, albidis, ornatis.

* VAR. β. Squamulis nigris et albidis variegatus, fasciis elytrorum latioribus.

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH.

Otiorhyncho æneopunctato magnitudine æqualis. Caput mediocre, nigrum, squamulis ochraceis densissime obtectum; frons plana, lineola inter oculos longitudinali impressa; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum capitis longitudine et fere latitudine, eidemque contiguum, subrectum, crassiusculum, supra fovea magna longitudinaliter lateque excavatum, canaliculatum, lateribus foveæ elevatis; squamulis pallide ochraceis et pilis fuscis dense vestitum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis basin attingentes, crassiusculæ, nigro-piceæ, scapo squamulis dilute ochraceis tecto, clava ovata, acuminata, nigra. Thorax apice truncatus, capite vix latior, posterius parum ampliatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, canaliculatus, rugoso-punctatus, dilute ochraceo-squamosus, lineis tribus subrectis nigris ornatus, lateralibus obsoletioribus. Scutellum minutum, sub-triangulare, nigrum, dilute ochraceo-squamosum. Elytra ampla, thoracis basi plus duplo latiora et quadruplo longiora, antice singulatim in medio rotundato-producta, humeris prominulis, apicem versus angustata, apice conjunctim acuminata, supra valde convexa, nigra, punctato-striata, interstitiis convexis; squamulis nigris et ochraceis variegata; præterea fasciis duabus, priore paulo ante, altera longe pone medium, angustis, undulatis, transversis, margines attingentibus, e squamulis albidis, ornata. Corpus subtus nigrum, squamulis pallide ochraceis tectum, ventris medio nonnihil denudato, nigro. Pedes mediocres, mutici, nigri, squamulis griseis et pube albida tecti; femoribus posticis in medio macula nigra, notatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. -BHN.

* 7. P. Septempunctatus.

Elongato-ovatus, niger, supra sordide cretaceo subtus viridi-argenteo-squamosus, fronte canaliculata, capite thoraceque nigro-vittatis, elytris subtiliter punctato-striatis, atro maculatis vel fasciatis.

Mas : *dimidio minor, angustior, elytris maculis tribus baseos fasciisque duabus atris ornatis.*

Femina : *elytrorum maculis tribus baseos in fasciam confluentibus.*
Cyphus id. Dom. Com. Dejean in *Litteris.*

Habitat in Brasilia. Mus. Schh.

P. septemmaculato simillimus et valde affinis, nonnihil tamen major; signaturis atris thoracis elytrorumque ut et colore, ab illo mox distinctus. Caput mediocre, crassum, nigrum, longitudinaliter tenue canaliculatum, squamulis sordide argenteis tectum; vertice lineaque lata frontali denudatis; oculi ovati, prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, et illo paulo angustius, subrectum, crassum, supra anterius profunde excavatum, nigrum, squamulis sordide cretaceis tectum. Antennæ capite cum thorace vix longiores, crassiusculæ, atræ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine media paulo longior, apice truncatus, mox pone apicem transversim impressus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, rugoso-punctatus, niger, squamulis sordide cretaceis, dense tectus; vitta lata dorsali lineaque infra-laterali nigris ornatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, basi thorace duplo latiora, humeris elevatis, prominulis, oblique angulatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus sensim angustata, apice conjunctim sub-rotundata, supra convexa, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; squamulis sordide cretaceis tecta; signaturæ variæ holosericeo-atræ elytra ornant, nempe: in mare pone scutellum macula rotunda, communis, sub tuberculo humerali macula difformis, in medio fascia lata, transversa, prope suturam retrorsum flexa et versus apicem alia angustior, communis: in femina maculis tribus baseos magis dilatatis, confluentibus, in ipsa basi lituram sordide cretaceam includentibus, fasciis reliquis ut in mare. Corpus subtus nigrum, dense viridi-argenteo-squamosum, versus apicem abdominis macula sat magna, obscure umbrina. Pedes mediocres, validi, nigri, parcius viridi-argenteo-squamosi; in femoribus posticis macula nigra; tarsi omnium dilatati, subtus fulvo-spongiosi.

Bhn.

* 8. P. SEPTEMMACULATUS.

Elongato-ovatus, niger, squamulis dilute virescentibus tectus, fronte canaliculata, thorace nigro-lineato et maculato, elytris subtiliter punctato-striatis, maculis septem nigris ornatis.

Cyphus id. Dom. Com. DEJEAN in *Litteris.*

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH.

Phyllobio pyri magnitudine et statura quodammodo similis. Caput mediocre, nigrum, squamulis dilute virescentibus dense tectum, in vertice cœruleo-argenteo-micantibus; frons plana, lineola inter oculos longitudinali impressa; oculi laterales, rotundati, valde prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis et illo paulo angustius, sub-rectum, crassiusculum, supra anterius profunde excavatum, indumento simili uti caput vestitum. Antennæ capite cum thorace vix longiores, crassiusculæ, nigræ, pilosæ, clava ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine media paulo longior, apice truncatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi subbisinuatus, supra modice convexus, rugoso-punctatus, niger, squamulis dilute virescentibus densissime tectus, linea dorsali recta, et præterea macula laterali utrinque parva, oblongo-ovata, nigris, decoratus. Scutellum minutum, triangulare, dilute virescenti-squamosum. Elytra antice thoracis basi plus duplo latiora et fere quintuplo longiora, antice singulatim in medio rotundato-producta, humeris prominulis, pone humeros sensim angustata, apice acuminata, supra convexa, nigra, subtiliter et regulariter punctato-striata, interstitiis planis, squamulis dilute virescentibus tecta; margo lateralis in medio niger; pone humerum macula oblongo-ovata, obliqua, nigra; interius in sutura altera minor, communis, rotundata; tertia paulo pone medium magna fasciam transversam, undulatam, formans, marginem lateralem attingens, quartaque ante apicem oblonga, libera, transversim posita; præterea macula parva marginalis sub humero observatur. Corpus subtus nigrum, squamulis pallide cœruleo-argenteis tectum. Pedes mediocres, mutici, nigri, cœruleo-argenteo-squamosi, griseo-pubescentes. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 9. P. NOVEMMACULATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis sordide cretaceis tectus, fronte canaliculata, thorace nigro tri-maculato, elytris subtiliter punctato-striatis, maculis novem nigris ornatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. GERM. benevole communicatus. Mus. SCHH.

P. septemmaculato valde affinis, sed triplo minor; *Phyllobio argentato* æqualis. Caput mediocre, nigrum, squamulis sordide cretaceis, in vertice cœruleo-micantibus, tectum; fronte plana, linea tenui impressa, ad medium rostri extensa, canaliculata; oculi majusculi, laterales, oblongo-ovati, modice prominuli, nigro-brunnei; rostrum capiti contiguum, ejusque longitudine, sed paulo angustius, supra anterius profunde excavatum, lateribus foveæ valde elevatis; squamulis sordide cretaceis et fulvescentibus obtectum. Antennæ thoracis basin superantes, nigræ, pilosæ; articulus primus longissimus, valde ad apicem incrassatus, squamulis cinereis adspersus, clava ovata, acuminata, fusca. Thorax antice truncatus, latitudine media brevior, in medio nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, squamulis sordide cretaceis obductus; in medio dorsi vitta longitudinali, antice posticeque angustata, medio ampliata, maculaque utrinque laterali oblonga, nigris, ornatus. Scutellum minutum, triangulare, sordide cretaceo-squamosum. Elytra thorace quintuplo longiora, antice vix illo duplo latiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris prominulis, apice angustata, conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, nigra, regulariter et subtiliter punctato-striata; squamulis sordide cretaceis densissime tecta, macula pone scutellum communis, parva, oblongo-ovata, nigra, altera ei opposita, elongata, in callo humerali, tertia paulo pone medium versus suturam, parva, transversim ovata, quarta ei externe opposita rotundata, quintaque ante apicem transversa; præterea macula parva, sub callo humerali et margo lateralis in medio, nigra. Corpus subtus sordide cretaceo et virescenti-squamosum, ventris medio nonnihil denudato. Pedes mediocres, mutici, nigri, squamulis sordide cretaceis et pilis albidis vestiti; femoribus posticis extus in medio macula nigra, notatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

STIRPS 2. — Scapus subrectus; clava antennarum elongato-ovata. Scutellum majusculum, oblongum, antice angustatum, posterius rotundato-ampliatum.

* 10. P. NIVEUS.

Elongato-ovatus, niger, densissime niveo-squamosus, fronte impressa, capite, rostro, thoracis dorso scutelloque umbrinis, thorace rude remote rugoso, elytris bifariam obsolete punctato-striatis, lineis tribus elevatis, tuberculatis, apice acute mucronatis.—BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 510. n° 17. — *Ent. Syst.* I. II. p. 451. n° 241. — *Mant.* I. p. 111. n° 168.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 304. n° 335. T. 14. f. 173.—*Enc. méth.* V. p. 527. n° 248.

HERBST. *Col.* VI. p. 176. n° 137. T. 72. f. 4.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1791. n° 417.

Patria : Brasilia.

Verisimile hujus generis, species mihi invisæ.

11. P. AGONISTA.

Thoracis dorso elevato, planato, lacteo-squamosus, antennis rostroque brunneis, elytris lateribus tuberculatis, dorso spinis tribus longitudinaliter positis.—GERM.

Cyphus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 433. n° 579.

Patria : Brasilia.

12. P. HYSTRICOSUS.

Thoracis dorso planato, albo-squamosus, elytris remote striato-punctatis, ante apicem bispinosis.—GERM.

Cyphus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 434. n° 581.

Patria : Brasilia.

13. P. BESCKII.

Croceo-squamosus, antennis pedibusque atris, thorace punctis sex, elytris numerosis, atris.—GERM.

Cyphus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 436. n° 583.

Patria : Brasilia.

GREX COMPSUS. *Nobis.*

Cyphus GERM., STURM, SCHH. olim (1). — *Chlorima* DEJEAN. — *Curculio* FABR., OLIV., HERBST.

Adumbratio. — *Antennæ* longiusculæ; scapus crassiusculus, plerumque sub-linearis, basi tamen magis tenuis.— *Rostrum* breviusculum, crassiusculum.—*Thorax* oblongus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus. — *Scutellum* oblongum, apice

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 109. *Cyphus* subgenus B.

rotundatum.—*Elytra* oblongo-ovata, antice singulatim rotundato-producta, supra parum convexa.—*Tibiæ* omnes apice intus unco horizontali valido armatæ.

STIRPS 1.—Elytra apice sub-obtusa.

* 14. P. ACROLITHUS.

Thorace sub-cylindrico, vage punctato, albo-squamosus, elytris vitta repando-dentata, brunnea, nigro marginata.—GERM.

Cyphus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 435. n° 582.

Patria : Brasilia.

* 15. P. ELEGANS.

Elongato-ovatus, niger, squamulis viridi-argenteis densissime tectus, fronte cuprea rostroque canaliculatis, thorace punctis profundis valde remotis impresso, dorso antico foveolato, utrinque dilute cupreo-lineato, elytris scabriusculis, dilute cupreo-variegatis, punctis profundis seriatis.—BHN.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 328, n° 371. T. 1. f. 10.
Chlorima id. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

Patria : Cayenna.

16. P. EXANGUIS. *Schh.*

Oblongus, niger, densissime cretaceo-squamosus, antennarum articulis 2, 5, 6, 7, macula parva apicali thoracis scutelloque psittacinis, rostro canaliculato, thorace profunde remote punctato, basi impresso, elytris convexis, costatis, punctato striatis, apice obtuse acuminatis, parum divergentibus.

Habitat in America meridionali. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Eustali leucogæo magnitudine et statura non dissimilis. Caput breve, latum, nigrum, dense cretaceo-squamosum ; fronte plana sulco sat profundo, versus apicem rostri continuato, insculpta ; oculi parvi, sub-rotundati, modice prominuli, nigri ; rostrum capite paulo longius, eodemque paulo angustius, crassum, subrectum, apicem versus nonnihil ampliatum, apice triangulariter emarginatum, margine interno ciliato, supra planum, in dorso impressum, utrinque sulculo tenui, abbreviato, exaratum, indumento capitis. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad thoracis basin pertingentes, minus tenues, nigræ, sub-argenteo-squamosæ, articulo 2°, 5°, 6° et 7° psittacino-squamosis, 9° et clava oblongo-ova-

ta, acuminata, fuscis, pallido-pubescentibus. Thorax latitudine media paulo longior, antice truncatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, dense cretaceo-squamosus, punctis majusculis profundis, remotis, impressus, ante scutellum impressus, antice macula parva elongata, psittacina, notatus. Scutellum oblongo-ovatum, psittacino-squamosum. Elytra oblonga, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, pone basin mox ampliata, humeris elevatis, rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso parum dehiscentia, singulatim obtuse acuminata, supra valde convexa, præsertim posterius, nigra, minus profunde punctato-striata, interstitiis 3, 5 et 7, a sutura elevatioribus, costatis; tota squamulis cretaceis, densissime tecta; setulis brevissimis, depressis, albidis, seriatim adspersa. Corpus subtus dense cretaceo-squamosum. Pedes mediocres, mutici, squamulis cretaceis dense tecti, setulis albidis, adspersi. Tarsi supra virescenti-squamulosi, subtus fulvo-spongiosi. —BHN.

STIRPS 2. - Elytra apice acuta, sub-divergentia.

* 17. P. LACTEUS.

Oblongus, niger, densissime cretaceo-squamosus, antennis nigro-fuscis, thorace profunde remote punctato, elytris dorso deplanatis, postice sub-gibbosis, punctato-striatis, costatis, apice acutis, tuberculo conico instructis, divergentibus, femoribus apice, tibiis tarsisque cœruleis.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 510. n° 18.—*Ent. Syst.* I. II. p. 451. n° 292.—*Mant.* I. p. 111. n° 169.—*Spec. ins.* I. p. 185. n° 137. forte.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 304. n° 336. T. 14. f. 172. —*Enc. méth.* V. p. 527. n° 249.

HERBST. *Col.* VI. p. 177. n° 138. T. 72. f. 5.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1791. n° 418.

Chlorima lactea. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

* VAR. β. Dimidio minor.

Curculio religiosus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 302. n° 332. T. 2. f. 20.

Habitat in Cayenna. Mus. Reg. Acad. Scient Holm. et Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Cyphi gibberi*, sed variat etiam dimidio minor, rostro carinato et colore pedum, a reliquis facile distinctus. Caput

breve, latum, supra planum, dense sordide cretaceo-squamosum; oculi mediocres, sub-rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius et illo paulo angustius, subrectum, crassum, apicem versus ampliatum, apice triangulariter emarginatum, margine interno pallido-ciliato, supra planum, carinula longitudinali tenui, nigra denudata, præditum, sulculo utrinque laterali, abbreviato, exaratum; totum dense cretaceo-squamosum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad thoracis basin pertingentes, crassiusculæ, nigro-fuscæ, pallide pubescentes, clava oblonga, acuminata, fusca. Thorax antice truncatus, leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis retrorsum nonnihil productis, supra parum convexus, punctis magnis, profundis, remote impressus; totus niger, dense cretaceo-squamosus. Scutellum elongatum, apice ampliatum, obtuse rotundatum, cretaceo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora et illo quadruplo longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, mox pone basin ampliata, apicem versus angustata, apice ipso dehiscentia; mucrone parvo, acuto, instructa; supra in dorso fere plana, longe pone medium gibbosa, sat profunde punctato-striata, interstitiis 3, 5 et 7 a sutura elevatioribus, costatis; tota nigra, squamulis cretaceis undique tecta; setulis brevissimis pallidis, declinatis, seriatim adspersa. Corpus subtus cretaceo-squamosum. Pedes mediocres, robusti, nigri, albido-setulosi, cœruleo-squamulosi, femoribus a basi ultra medium cretaceis; tibiis anticis apice curvatis, uncinatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 18. P. CANUS. *Schh.*

Elongatus, niger, densissime sordide cretaceo-squamosus, rostro canaliculato, apice ampliato, thorace rugoso, basi impresso, elytris punctato-striatis, costatis, postice gibbis, apice acutis, mucronatis, divergentibus.

Chlorima nivea. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH.

Statura elongata, *P. exangui* paulo angustior. Caput breve, latum, nigrum, sordide cretaceo-squamosum; frons plana, sulculo longitudinali, versus apicem rostri continuata, impressa; oculi mediocres, sub-rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum, eodemque dimidio longius, sed ad basin paulo angustius, subrectum, crassiusculum, apicem versus valde am-

pliatum, apice bi-furcatum, margine interno ciliato, supra planum, indumento simili ut in capite. Antennæ capite cum thorace vix longiores, ad apicem rostri insertæ, nigro-fuscæ, pubescentes; scapo oculos superante, sub-lineari, basi tamen magis tenui; clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax sub-cylindricus, antice truncatus, nonnihil constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra valde rugosus, ante scutellum impressus, niger, squamulis densis sordide cretaceis tectus. Scutellum oblongum, antice angustatum, posterius rotundato-ampliatum, sordide cretaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et illo quintuplo fere longiora, sub-cylindrica, apicem versus attenuata, antice singulatim rotundato-producta, apice in mucronem subacutum, extrorsum sursumque nonnihil arcuatum, producta, humeris prominulis, supra sub-depressa, versus apicem gibbosa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis 3, 5 et 7 a sutura elevatioribus, costatis; tota squamulis sordide cretaceis undique tecta. Corpus subtus nigro-piceum, sordide cretaceo-squamosum. Pedes mediocres, mutici, nigri; femoribus squamulis albidis et cœrulescentibus pubeque albida vestitis; femora antica clavata, tibiis curvatis, uncinatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

19. P. ISABELLINUS. *Schh.*

Elongato-ovatus, squamulis isabellinis densissime tectus, rostro longitudinaliter late impresso, cum fronte tenue canaliculato, thorace remote rugoso-punctato, elytris bifariam punctato-striatis, sutura lineisque tribus modice elevatis.

Patria: Brasilia. Mus. CHEVROLAT.

Majoribus individuis *P. elegantis* magnitudine æqualis et statura subsimilis. Caput mediocre, crassum, squamulis isabellinis densissime obtectum; frons plana lineola inter oculos longitudinali impressa, ad apicem rostri continuata; oculi sub-globosi, prominuli, nigri; rostrum capitis longitudine et latitudine eidemque contiguum, subrectum, crassum, apice parum incrassatum, squamulis isabellinis apice ipso pallidioribus vestitum, supra fovea longitudinaliter lateque sed minus profunda insculptum, lateribus modice elevatis. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis basin attingentes, crassæ, nigræ, isabellino-squamosæ, parce pilosæ, clava parva oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media paulo longior, antice truncatus, capite vix latior, pone apicem leviter constrictus, versus basin nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, remote rugoso-puncta-

tus, niger, squamulis isabellinis densissime vestitus. Scutellum elevatum, oblongo-ovatum, nigrum, squamulis isabellinis tectum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, mox pone basin ampliata, humeris prominulis, obtuse rotundatis, thorace quadruplo longiora, lateribus linearia apicem versus angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra convexa, postice declivia, magis gibbosa, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis latioribus cum sutura modice elevatis, alternis fere planis; tota nigra, squamulis isabellinis pallidioribus immixtis dense obtecta. Corpus subtus densissime isabellino-squamosum. Pedes validi, nigri, squamulis isabellinis tecti, pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis, anticis apice arcuatis, valide uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BOH.

* 20. P. AURICEPHALUS.

Elongato-ovatus, niger, densissime dilute viridi-squamosus, capite rostro pedibusque aureo-cupreis, rostro triangulariter impresso, thorace remote rugoso-punctato, dorso obsolete lateribus in medio profunde impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis modice elevatis.

Curculio id. SAY in *Journ. Acad. Nat. Scient. Philad.*

Patria : Mississipi Americæ borealis. Dom. SAY. Mus. SCHH.

P. isabellino longitudine æqualis, nonnihil autem latior. Caput mediocre, crassum, nigrum, squamulis aureo-cupreis vestitum; fronte leviter foveo-lata; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine et latitudine capitis, crassum, apice parum incrassatum, supra triangulariter impressum, nigrum indumento capitis. Antennæ thoracis basin vix superantes, minus crassæ, nigræ, griseo-squamosæ et parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax longitudine capitis cum rostro, antice truncatus, capite vix latior, posterius sensim ampliatus, lateribus vix rotundatus, basi bi-sinuatus, minus crebre rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter late sed parum profunde impressus, lateribus in medio utrinque foveola sat profunda insculptus; totus niger, densissime dilute viridi-squamosus. Scutellum elevatum, supra planum, fere rotundatum, similiter squamosum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thorace paulo latiora sed illo quadruplo longiora, humeris obliquis, parum prominulis, rotundatis, pone medium apicem versus angustata, apice ipso singulatim acuminata, supra modice convexa, postice declivia, subtiliter puncta

to-striata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis; tota nigra, squamulis unicoloribus dilute viridibus densissime tecta. Corpus subtus squamulis viridibus densissime vestitum. Pedes validi, mutici, squamulis supra aureo-cupreis subtus virescentibus tecti; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 21. P. CLARUS.

Oblongus, niger, squamulis dilute virescentibus tectus, thorace profunde remote rugoso-punctato, elytris punctato-striatis, vitta media abbreviata cyanea, et in hac punctis impressis majoribus, pedibus viridi-argenteo-squamosis, femoribus anticis subtus dentatis.—BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 541. n° 409.

Patria: Demerary Amer. merid.

22. P. VIRGINALIS (1).

Griseus, thorace elytrisque vittis quatuor albis, duabus marginalibus.—OLIV.

Curculio id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 341. n° 391. T. 20. f. 270.

Patria: America meridionalis.

GENUS 82. OXYDERCES. *Nobis.*

Cyphus SCHH. olim (2).—*Curculio* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; scapus clavatus, oculos superans; articuli duo basales funiculi obconici, reliqui breves, nodosi.

Rostrum breve, capite paulo angustius, sub-porrectum, supra in medio impressum, canaliculatum, apice profunde triangulariter emarginatum; scrobs brevis, curvata, ante oculos desinens.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax basi profunde bi-sinuatus, anterius angustior, supra in medio planus.

Elytra elongata, antice singulatim rotundato-producta, apice singulatim acuminata; humeri retusi, oblique angulati.

Tibiæ apice intus unco valido armatæ.

Corpus elongatum, alatum, mediæ magnitudinis.

---

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 110. *Cyphus*, subgenus C.

* 1. O. Cretaceus.

Oblongus, niger, densissime niveo-squamosus, oculis scutelloque nigris, fronte rostroque canaliculatis, thorace dorso plano, lateribus punctis valde remotis impresso, elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, dorso postico uni-spinosis, apice mucronatis.—Bhn.

Curculio id. Fabr. *Syst. el.* II. p. 511. n° 24.—*Ent. Syst.* I. II. p. 452. n° 245.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 301. n° 331. T. 2. f. 19.

Herbst. *Col.* VI. p. 481. n° 497.

Patria: Insulæ Guadeloupe et Martinique.

Genus 83. PHÆDROPUS. *Nobis* (1).

Curculio Fabr., Oliv.—*Chlorima* Dej., Sturm.

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; scapus oculos attingens, clavatus; articulus primus funiculi brevis, crassiusculus, secundus longiusculus, 3-7 breves, omnes sub-obconici.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, sub-deflexum, sub-angulatum, clavatum, in medio late canaliculatum; scrobs linearis, valde arcuata, subtus flexa.

Oculi rotundati, parum prominuli.

Thorax sub-cylindricus, basi leviter bi-sinuatus, pone oculos valde lobatus.

Elytra oblonga, sub-triangularia, posterius gibba, basi singulatim rotundato-producta; humeri obliqui, in spinam horizontalem extensi; elytra dein sensim attenuata, apice singulatim producto-acuminata.

Tibiæ intus crenulatæ, apice unco valido armatæ.

Corpus oblongum, alatum, mediæ magnitudinis.

1. P. Togatus. *Chevrolat.*

Elongato-ovatus, niger, cervino-squamosus, capite supra, vittis tribus latis thoracis elytrorum plaga dorsali communi, alia laterali apice toto, maculaque triangulari pectoris argenteo-squamosis, elytris spinosis, apice mucronatis.

Patria: Brasilia. Mus. Chevrolat.

---

(1) Schh. loc. cit. p. 112. n° 52.

Species pulchra. Statura *Phædropi candidi*, sed duplo major. Caput mediocre, crassum, supra dense niveo-subtus cervino-squamosum; fronte plana, inter oculos foveola parva insculpta; oculi sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius et paulo angustius, crassum, modice arcuatum, infra oculos impressum, apicem versus incrassatum, supra planum, leviter triangulariter impressum, nigrum, squamulis cervinis dense tectum pubeque albida adspersum. Antennæ infra medium rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, subtenues, nigræ, brunneo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, apice late profunde emarginatus, pone oculos lobatus, lateribus rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, longitudinaliter canaliculatus, niger; squamulis micantibus cervinis tectus, dorso vitta lata et alia utrinque laterali argenteo-squamosis. Scutellum parvum, triangulare, argenteo-squamosum. Elytra antice thorace duplo latiora illoque quadruplo longiora, humeris valde prominulis, acuminatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice singulatim mucrone conico instructa, supra valde convexa, postice gibbosa, declivia, punctato-striata, non procul a basi in dorso antico tuberculo obtuso, modice elevato, munita, sutura in dorso postico utrinque trituberculata, inter strias a sutura secundam tertiamque longe pone medium tuberculo acuto alteroque minori propius ad apicem et marginem exteriorem sito; tota nigra, cervino-squamosa, in medio baseos plaga magna, communis, oblongo-ovata, fere in medio dorsi extensa, alia lateralis, oblongo-quadrata, apiceque toto densissime argenteo-squamosis. Corpus subtus cervino-squamosum et pubescens; pectore macula magna triangulari argentea ornato, ventre pallido maculato. Pedes robusti, mutici, nigri, squamulis cervinis aureo-micantibus tecti; femoribus modice clavatis, supra versus apicem argenteo maculatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. —BHN.

* 2. P. CANDIDUS.

Elongato-ovatus, ater, capite rostro pedibusque squamulis cupreis adspersis, thorace rugoso-punctato, utrinque vitta inæquali antice angustata argentea notato, elytris argenteo-squamosis, punctato-striatis, spinosis, apice mucronatis, plaga laterali pone medium atra ornatis.—BHN.

Curculio id. FABR. *Syst. el.* II. p. 509. n° 14.—*Ent. Syst.* I. II. 451. n° 240.—*Mant.* I. p. 111. n 167.—*Spec. ins.* I. p. 185. n° 136.—*Syst. ent.* p. 146. n° 101.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 527. n° 247.

HERBST. *Col.* VI. p. 480. n° 495.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1791. n° 416.

Curculio tomentosus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 343. n° 394. T. 13. f. 155. a. b.—*Enc. méth.* V. p. 536. n° 288.

Curculio tomentiger. HERBST. *Col.* VI. p. 319. n° 292. T. 85. f. 4. a. b.

Chlorima candida. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

Patria : Cayenna.

GENUS 84. EUSTALES. *Nobis* (1).

Eustalis GERM., LATR., STURM.—*Phaops* SAHLB.—*Chlorima* DEJ., STURM.—*Curculio* OLIV.—*Brachyrhinus* BILLB.

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; scapus oculos attingens, clavatus; articuli duo basales funiculi longiusculi, reliqui breves, omnes sub-obconici.

Rostrum capite longius, sub-deflexum, supra sub-planum; scrobs curvata, prope marginem inferum oculi desinens.

Oculi sub-oblongi, longitudinaliter positi, modice prominuli.

Thorax anterius angustior, basi bi-sinuatus, sub-marginatus, apice truncatus.

Scutellum oblongum, apice rotundatum.

Elytra oblongo-ovàta, antice singulatim rotundato-producta, posterius valde convexa; humeri sub-retusi, obtuse angulati.

Tibiæ anticæ sub-arcuatæ, intus crenulatæ, apice angulatæ, sub-uncinatæ.

Corpus oblongo-ovatum, alatum, mediæ magnitudinis.

* 1. E. ADAMANTINUS.

Viridi-adamantinus, scintillans, thoracis elytrorumque vitta laterali alba.—GERM.

Eustalis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 444. n° 589. T. 2. f. 4.

Patria : Brasilia.

* 2. E. THUNBERGI.

Viridis, squamulosus, lineis thoracis quatuor albis, elytrorum novem. DALM.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 113. n° 53.

Curculio id. DALM. *Anal. Ent.* I. p. 84, n° 90.
Brachyrhinus id. BILLB. *Enum. Ins.* p. 45.
Eustalis pentachordius. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 446. n° 592.
Chlorima lineata. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

* VAR. β. Viridi-squamosus, thoracis elytrorumque marginibus lineisque duabus dorsalibus, horumque sutura argenteis. — SAHLB.

Phaops Thunbergi. SAHLB. *Spec. ins.* I. p. 25. n° 17. T. 2. f. 7.
Patria : Brasilia.

* 3. E. AURONITENS.

Oblongo-ovatus, niger, squamis viridi-aureis dense obtectus, oculis antennisque denudatis, thoracis elytrorumque lateribus argentatis, elytris concinne punctato-striatis.

Chlorima id. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 115.
Curculio nitidulus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 328. n° 370. T. 4. f. 38. a. b.? — *Enc. méth.* V. p. 527. n 546.?
FABR. *Syst. el.* II. p. 509. n° 13. — *Ent. Syst.* I. II. p. 451. n° 239. — *Mant.* I. p. 111. n° 166. — *Spec. ins.* I. p. 185. n° 135. — *Syst. Ent.* p. 146. n° 100. — An?
HERBST. *Col.* VI. p. 255. n° 221. T. 78. f. 10. ?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1791. 415. ?

Habitat in Brasilia. Specimina e Mus. MANNERHEIM descripta a DD. STRUWE et BESCKE, missa a Dom. STURM. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Phyllobii pyri.* Caput medio transversim impressum, fronte nonnihil convexa, squamulis viridi-aureis tectus, relicta linea media longitudinali nigra; oculi satis prominuli, nigri ; rostrum capite paulo longius, versus apicem satis incrassatum, squamulis viridi-aureis etiam tectum, medio longitudinaliter nigro-lineatum scrobeque laterali denudata utrinque, ut nigro-trilineatum apparet. Antennæ capite cum thorace fere longiores, brunnescentes, griseo-pilosæ. Thorax latitudine baseos vix longior, apicem versus angustatus, squamulis viridi-aureis obductum, carinula media sub-elevata nigra, versus latera parcius squamosum, nigredine transparente ut etiam thorax quasi nigro-trilineatus apparet, subtus squamulis magis condensatis in argenteum colorem nonnihil vergentibus. Scutellum dense viridi-squamosum. Elytra thoracis basi fere duplo latiora, latitudine baseos plus quam duplo longiora, versus apicem sensim angustata, apice acuminato, supra convexa, squamulis viridi-aureis dense obtecta, subtus in lateribus fere argenteo-squamosa, punctato-striata, relictis apud individua bene conservata in fundo striarum punctis elongatis nigris denuda-

tis, in interstitiis 1, 3, 5 et 7 a sutura setis brunnescentibus rigidis seriatim dispositis. Corpus subtus parcius viridi-squamosum. Pedes etiam parce squamosi, tibiis et tarsis dense hirtis.

Mannerheim.

4. E. Cerussatus.

Oblongus, niger, dilute viridi-squamosus, fronte foveolata, rostro sub-bisulcato, thoracis elytrorumque marginibus, lineisque dorsalibus sordide albidis, elytris punctato-striatis.

Chlorima cerussata. Dej. *Catal. Col.* p. 92.

* Var. β. Squamulis albidis tectus, thorace utrinque dilute cœruleo-lineato, elytris in medio vitta longitudinali dilute cœruleo-squamosa.

Habitat in Brasilia. A Dom. Sturm benevole communicatus. Mus. Schh.

E. Thunbergi magnitudine æqualis. Caput mediocre, nigrum, squamulis dilute viridibus dense tectum; frons depressa, sulculo abbreviato, profundo, in medio impresso; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capiti contiguum, eodemque paulo longius et augustius, crassiusculum, subrectum, apice bifurcatum, laciniis acutis, margine interno ciliatis, squamulis dilute viridibus dense tectum, supra sub-planum, obsolete bi-sulcatum, carinula media parum elevata. Antennæ ad apicem rostri insertæ, nigræ, pubescentes; scapo tenuiter viridi-squamoso, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax antice truncatus, angustior, lateribus parum rotundato-ampliatus, versus basin sensim dilatatus, ibique fere dimidio latior, leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger; squamulis dilute virescentibus tectus, margine laterali utrinque lineisque duabus dorsalibus obsoletis sordide albido-squamosis. Scutellum minutum, sub-rotundum, planum, squamulis virescentibus tectum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora et quadruplo longiora, mox vero pone humeros prominulos, sub-cylindrica, postice angustata, apice conjunctim acuminata, supra valde convexa, nigra, punctato-striata, squamulis dilute virescentibus tecta, sutura, interstitio inter strias secundam et tertiam latiori nonnihil elevato, lineaque lata laterali sordide albido-squamosis. Corpus subtus nigrum, parcius viridi-squamosum, griseo-pubescens. Pedes mediocres, nigri; femora parce viridi-squamosa, sub-pilosa, crassiuscula, mutica; tibiæ hirsutæ, squamulis virescentibus adspersæ; antici ad apicem incurvatæ. Tarsi valde pilosi, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 5. E. Opalinus. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis niveis sub-metallicis tectus, fronte canaliculata, rostro latiori, breviori, supra plano, obsoletissime carinato, elytris subtiliter punctato-striatis, vitta obsoleta disci dilute cœrulescenti, notatis.

Habitat in Brasilia.? A Dom. Chevrolat missus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *E. cerussati;* rostro multo latiori, breviori, obsoletissime carinato, ut et colore fere unice distinctus. Caput breve latum, crassum, nigrum, squamulis argenteis tectum; frons plana, inter oculos sulculo abbreviato, minus profundo, impresso; oculi laterales, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum capitis longitudine et latitudine, eidemque contiguum, sub-rectum, crassum, apice profunde triangulariter emarginatum, albido-ciliatum, supra planum; linea obsoleta longitudinali, sub-elevata, notatum; totum nigrum, dense argenteo-squamosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, thoracis basin vix attingentes, minus crassæ, piceæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, lateribus vix rotundatus, versus basin perparum ampliatus, postice leviter bisinuatus, supra modice convexus, niger, squamulis unicoloribus argenteis tectus. Scutellum minutum, sub-rotundatum, planum, nigrum, argenteo-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, et illo quadruplo longiora, humeris prominulis, oblique angulatis, pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice conjunctim acuminata, supra valde convexa, subtiliter punctato-striata, interstitio inter strias secundam tertiamque latiori et nonnihil elevato; tota nigra, squamulis argenteis tecta, in disci cujusvis elytri vitta longitudinali, obsoleta, cœrulescenti-micante, præterea setulis brevissimis, depressis, albidis, adspersa. Corpus subtus nigrum, squamulis argenteis dense obsitum. Pedes mediocres, nigri, squamulis argenteis obtecti, setulis albidis adspersi; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, anticis ad apicem incurvatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 6. E. LEUCOGÆUS.

Thorace transverso, quadri-impresso, canaliculato, albo-squamosus, elytris foveolis numerosis sub-seriatis impressis.—GERM.

Eustalis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 445. n° 591.
Phaops albugo. SAHLB. *Spec. ins.* I. p. 27. n° 18. T. 2. f. 8.
Chlorima inæqualis. DEJ. *Catal. Col.* p. 92.

Patria : Brasilia.

7. E. HARMONICUS (1).

Viridi-squamosus, scintillans, pedibus piceis, thoracis elytrorumque vitta laterali albida.—GERM.

Eustalis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 445. n° 590.

Patria : Brasilia.

GENUS 85. POLYCOMUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; scapus oculos attingens, clavatus; articulus secundus funiculi primo longior, reliqui breves, omnes obconici.

Rostrum capite longius, sub-deflexum, sub-angulatum, in medio late canaliculatum; scrobs curvata, subtus flexa.

Oculi fere breviter ob-ovati, perpendiculares, modice prominuli.

Thorax anterius angustior, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, apice truncatus.

Scutellum triangulare.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, apice singulatim sub-acuminata.

Tibiæ teretes, rectæ, apice intus angulatæ, muticæ.

Descriptio.—*Corpus* oblongo-ovatum, squamosum et setosum, alatum. *Antennæ* thoracis basin vix attingentes, versus apicem rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos attingente, recto, clavato, 2° et 3° longiusculis, illo breviore et paulo crassiore, 4-8 paulo brevioribus, omnibus obconicis; clava ovata, acuminata, 4-articulata. —*Rostrum* capite paulo longius, sed illo angustius, arcuatum, sub-deflexum, supra in medio late canaliculatum,

---

(1) Mihi invisus.

ad latera angulatum, versus apicem nonnihil incrassatum, apice ipso profunde triangulariter emarginatum; scrobe curvata, profunda, subtus flexa; mandibulæ validæ, exsertæ, rectangulariter curvatæ.—*Oculi* laterales, sub-breviter ovati, perperdiculariter positi, modice prominuli.—*Thorax* latitudine medii vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, apice truncatus, sub-marginatus, supra modice convexus. —*Scutellum* trigonum.—*Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi fere duplo latiora et illo quadruplo longiora, antice versus scutellum singulatim rotundata, humeris horizontaliter prominentibus, obtuse angulatis; supra modice convexa, æqualia, apice singulatim sub-acuminata, anum occultantia.—*Pedes* mediocres, sub-æquales, validi; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice intus angulatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo dilatato, bilobo, ultimo clavato, falcato, valido, bi-unguiculato.

A πολύκομος comatus, multicomus.

Observ.—Generi *Eustali* simillimum est hoc genus, sed differt præcipue funiculi antennarum, rostri, oculorum, scutellique structura diversa.

1. P. LANUGINOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, supra dense aurichalceo-squamosus et cinereo-subsetosus; thorace granulato, obsolete canaliculato, elytris sub-remote punctato-striatis, corpore subtus pedibusque dense cretaceo-furfurosis.

Eustales id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Brasilia. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Statura et fere facies *Polydrosi micantis*, sed dimidio major. Caput breve, pone oculos ampliatum, supra planum, squamis aurichalceis, nitidis, dense tectum, setisque erectis cinereis adspersum; oculi nigro-brunnei, inferne acuminati; rostrum capite angustius, sed dimidio longius, sub-arcuatum, supra late canaliculatum, nigrum, similiter ac caput squamosum et setosum. Antennæ nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax parvus, antice paulo angustior, subtruncatus, margine elevato; lateribus modice ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, confertim granulatus, in medio obsolete canaliculatus, niger, dense aurichalceo-squamosus, setulis pilisque erectis cinereis adspersus. Scutellum triangulare.

dense aurichalceo-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi fere duplo latiora, interne singulatim rotundato-producta, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice singulatim breviter acuminata, thorace quadruplo longiora et ultra, supra modice convexa, concinne punctato-striata, punctis remotis, plerisque oblongis; nigra, squamis aurichalceis, nitidis, dense tecta, pilisque sub-reclinatis cinereis adspersa. Corpus subtus obsolete punctatum, aurichalceo-squamosum et furfure cretaceo obductum. Pedes validi, nigri, aurichalceo-squamosi et furfure cretaceo obducti, cinereo-pubescentes.—GHL.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

INDEX ALPHABETICUS

IN

SYNONYMIÆ INSECTORUM

SECTIONEM QUARTAM.

OBSERVATIONES.

Nomina generum litteris grandioribus,
Nomina gregum litteris obliquis,
Et nomina specierum litteris minimis,
Systematica in hoc indice asterisco (*) notata sunt, ut melius a synonymis distinguerentur.
Numerus primus ordinem generis,
Numerus autem secundus ordinem speciei cujusque suo in genere indicat.

FINIS INDICIS.





